PRÆLECTIONES
DOCTISS. VIRI
GUILIELMI WHITAKERI,

NUPER S. THEOLOGIÆ IN ACADEMIA CANTABRIGIENSI DOCTORIS ET PROFESSORIS Regii, & Collegii S. Joannis Evangelistæ in eadem Academia Præfecti:

IN QUIBUS TRACTATUR CONTROversia de ECCLESIA contra Pontificios, inprimis ROBERTUM BELLARMINUM Jesuitam; in septem Quæstiones distributa, quas sequens pagina indicabit.

Excepta primùm ab ore Authoris; deinde cum aliis exemplaribus collata, & post ejus mortem ad breves illius Annotatiunculas examinata.

Operâ & curâ JOANNIS ALLENSON, S. Theologiæ Baccalaurei, & Collegii prædicti Socii.

His accessit ejusdem Doct. WHITAKERI ultima concio ad Clerum; unâ cum descriptione vitæ & mortis: authore ARDIA ASSHETON *Lancastrensi, S. Theologiæ Baccalaureo, & ejusdem Collegii Socio; quam sequuntur carmina funebria.*

HERBORNÆ NASSOVIORUM.

CIↃ IↃ XCIX.

Pro schola Herbornensi

ORDO QUÆSTIONUM.

1 *Quid sit Ecclesia Catholica, & ex quo hominum genere constet.*
2 *Qualis sit; num visibilis, an invisibilis.*
3 *An possit deficere.*
4 *An possit errare.*
5 *Ex quibus notis vera Christi visibilis Ecclesia sit agnoscenda.*
6 *An Romana Ecclesia sit vera Christi visibilis Ecclesia.*
7 *Quæ & quanta sit Ecclesiæ authoritas.*

NOBILISSIMO VIRO,

COMITI ESSEXIO, EQUITI AURATO, REGINEÆ MAJESTATI A CONsiliis secretioribus, totius Angliæ Comiti Mareschallo, Academiæ Cantabrigiensis Cancellario dignissimo, aliisq; plurimis honorum titulis meritó insignito.

EN tibi (honoratissime Comes) pulcherrimi ædificii qualemcunq; fabricam, vel potiús pulcherrimæ fabricæ nudam tantúm ideam, & imperfectam quandam delineationem, inchoatam illam quidem ab Architecto peritissimo, sed mortis præmaturo adventu, nondum omni ex parte ab eodem perpolitam, nec omnibus suis numeris usquequaq; absolutam. Jecit ille quidem hujus ædificii fundamenta, annis plus minús abhinc duodenis, summa cum laude & applausu omnium, in Academiæ nostræ scholis publicis; quin & parietes etiam ibidem extruxit, cónclavia distinxit, trabes denig; omnes, trabiumq; contignationes, miro quodam artificio coagmentavit. Reliquum erat, ut quod in aliis ædificiis fieri solet, parietes dealbaret, fastigium imponeret, supremam denig; (quod ajunt) manum operi adhiberet. Quod illum facturum esse speravimus universi, qui operi huic, dum sub manibus illius erat, interfuimus, & quod ille procul dubio ante hunc diẽ præstiterat, si Deus illi longioris vitæ usuram concessisset. Verúm (proh dolor) quartus hic jam agitur annus, ex quo ille intempestivâ morte é vivorum cœtu ac societate sublatus: tum

opus hoc, aliaq; nonnulla hujus generis imperfecta, tum triste etiam sui desiderium, nobis reliquit. Nec ab illo tempore repertus quisquam est, qui in labores ejus succederet, quaq; ab illo feliciter cœpta erant, absolvenda susciperet. Hinc ad immensum illum doloris cumulum, quem ex morte ejus passim ceperunt omnes, non nostrates modó, verumetiam exteri, (ad quos tum viri ipsius fama, tum operum ejus notitia pervênit) magna certé facta est accessio: qui quidem dolor tantum abest ut temporis diuturnitate minuatur, ut multorum etiamnum hac de re querela, & plures, & majores indies audiantur. Tandem renuentibus & reluctantibus aliis, qui ad hoc munus & optimé instructi, & maximé idonei videbantur: cœperunt mecum agere nonnulli, meorum hac ex patre laborum conscii, utpote quem nôrant ad hujus tam eximii Doctoris pedes, ut ille olim ad Gamalielis, per aliquot annos assedisse: ne tantos ab illo labores susceptos irritos esse paterer, néve committerem, ut monumenta illius tam praclara eodem quo ossa ejus tumulo obruerentur. His ego tam aquis in causa tam honesta amicorum postulationibus non potui non annuere, nec laboribus & vigiliis meis parcere volui, ut huic tam pio illorum desiderio satisfacerē. Feci igitur, quod potui, quaq; alioquin á tineis & blattis arrosa, in tenebris perpetuis jacuissent, á situ & squalore, quo obducta erant, vindicavi, & in lucem aspectumq; hominum emisi. Periculum veró primó facere volui in hoc uno, quod nunc prodit, opere seorsim, progressurus postea (annuente Deo) ad alia, si ea quæ hîc præstiterim, judicii tui calculo probata fuisse intellexero. Ut has veró de Ecclesia prælectiones Honori tuo dicarem (illustrissime Comes) multæ me rationes impulerunt. Quarum prima, eaq; certé non minima hæc est, quód florentissima illius Academia, in qua hæ Prælectiones habitæ sunt, & ubi Author ipse vixit & mortuus est, unanimi nuper omnium ordinum applausu, & concordi suffragiorum omnium consensu, Cancellarius factus es; quo

nomine

nomine omnes tum ingeniorum noſtrorum fœtus, tum laborum & ſtudiorum fructus, Amplitudo tua quaſi jure ſuo vendicare poteſt. Huc etiam accedit, quód haud obſcura ſæpe ſummi tui in Authorem amoris teſtimonia exhibuiſti; quem & cúm hîc olim felicem ſtudiis operam navares, in deliciis ſemper habueris: & pauló ante mortem in ſcholis prælegentem, & inter doctiſſimos Theologos de graviſſimis quæſtionibus disputantes, moderatoris officio fungentem, præſentiâ tuâ cohoneſtaveris: & defunctum deniq; tam dolueris, quám qui maximé, defunctiq; etiam memoriam ex animo tuo haud excidiſſe, ſemel atq; iterum teſtatum feceris. Inter omnia verò illud inprimis apud me maximé valuit, omnemq; ex animo meo hæſitationẽ excuſſit, quód Tractatus iſte, cúm de Eccleſia inſcribatur, nemini aut deberi potiús, aut convenire magis, mihi videretur, quám ei, qui & in bello armis, & in pace conſiliis, Eccleſiam tueri, fovere, propugnare ſoleat; qualẽ te jamdudum Eccleſia hæc noſtra Anglicana, ſuo magno cum bono, experta eſt. His ego juſtiſſimis (ut mihi perſuadeo) rationibus impulſus, Amplitudini tuæ (nobiliſſime Comes) iſtas meorũ in hoc genere laborum primitias commendatas eſſe cupio; quas ſi benignâ fronte excipere, & patrocinii tui alis protegere dignatus fueris, ut ſub nominis tui auſpiciis divulgatæ, publico Eccleſiæ uſui (cui me jamdudum ex vitæ inſtituto conſecravi) inſerviant; abundé me voti mei compotem eſſe exiſtimabo. Deus Opt. Max. Amplitudinem tuam Eccleſiæ, Reipublicæ, & Academiæ noſtræ, diutiſſimé incolumẽ conſervet. Januar. 30. 1598.

Honori tuo addictiſſimus

Joannes Allenſon.

LECTORI BENEVOLO S.

HABES hîc (amice Lector) doctiſſimi viri lucubrationes, vel potiús lucubrationum ejus fragmenta quædam, qualia ego feſtinanti calamo ab ore prælegentis raptim arripere potui. Neq; enim te exiſtimare velim, hæc totidem verbis ab Authore ipſo, vel inter prælegendum dicta, vel poſtea ſcriptis mandata fuiſſe: ſed hauſiſſe me tantúm ex illius prælectionibus, unâ cum aliis aſſiduis ejusdem auditoribus, eademq; cum iisdem poſtea ſeduló recoluiſſe, necnon poſt mortem Authoris ad illius annotatiunculas conciſas, (quas ille ſeorſim in memoriæ tantúm ſubſidium ſcripſerat) tanquam ad Lydium lapidem, quantâ potui fide ac diligentiâ, examinâſſe, atque ita tandem in hanc, quam vides, formam redegiſſe. Quare ſi quæ rectè dicta, & appoſitè atq; enucleatè ſcripta inveneris, ibi me Authoris & verba & mentem rectè aſſecutum eſſe exiſtimes: ſin in locum aliquem perplexum incideris, in quo non ſatis enucleatè omnia tibi explicata videbuntur: ibi me ab Authoris vel verbis, vel ſententia (quorũ utrumq; iis, qui aliorum dictata excipiunt, uſuvenire ſolet) aberrâſſe putes, omnemque culpam in calami mei tarditatem conjicias. Si enim Authorem ipſum jam ſuperſtitem haberemus, ut hæc quæ á me excepta ſunt, recognoſceret: aut ſi, dum adhuc ſuperſtes fuit, hæc illi vacâſſet recognoſcere, quemadmodum ea olim, quæ ſunt á me ſimiliter ex prælectionibus ejus in Controverſiam de Scripturis excepta, recognovit: & limatióra omnia, & enucleatiora, & auctiora, & omni deniq; ex parte emendatiora haberes. Verúm illud, uti ſpero, pro prudentiâ tuâ tecum cogitabis (humaniſſime Lector) ſi æquus rerum æſtimator ſis, & ſi veritati ex animo faveas: (hoſtes enim & Adverſarios, vel apertos, quales ſunt Pontificii; vel occultos, quales ſunt calumniantes Zoili, ac larvati & perſonati tenebriones, quorum nimis magna ubique copia eſt, non moror:) illud (inquam) apud te unâ mecum reputabis, ſi Lector amicus ac benevolus fueris: quemadmodum ſatius eſt, in humili

in humili & anguſto tuguriolo, & in ædibus licet malé materiatis pernoctare, quám ſub dio cubare: ita meliús nobiscum actum eſſe, quód hæc licet malé conſarcinata fragmenta habeamus, quám ſi harum prælectionũ fructu omnino privaremur. Quæ certé cogitatio, niſi mihi ad hos labores ſubeundos, quaſi ſtimulos quosdam addidiſſet: vel ſtatim in initio, ab incepto prorſus deſtitiſſem, vel in medio curſu, aut in extremo ſaltem quod dicitur, actu, inſtar inertis poëtæ defeciſſem. Quare æquo animo his, qualiacunque fuerint, fruere, & candidé (quæſo) omnia ac dextré interpretare. Vale, é Collegio S. Joannis Evangeliſtæ in Academia Cantabrigienſi. Januar. 30. 1598.

LUSUS IN BELLARMINUM, EJUSQ. cum digniſſ. viro D. D. Whitakero collatio.

BEllarmine, ſonat tibi qua tria, nomen in uno:
Vix unum é tribus his, nomina terna ferunt.
BELLA ſonat, ſonat ARMA, MINAS *ſonat; omnia Martis:*
Nec qua orbem vincunt ſingula, terna Deum.
BELLA geres ARMIS, *ARMA aggrediere* MINANDO,
Ordine ridiculo verba ſonora fluunt:
Incipis á BELLO, *ſic demum pergis ad* ARMA,
ARMA MINÆ *deinceps, ora ſequuta manum.*
Ira MINAS *parit,* ARMA MINÆ, *póſt,* ARMA *duellum:*
BELLA *necem; nihili eſt qui ſonat iſta retró.*
Claude MINIS; *tutum eſt, concedimus, incipe* BELLO:
Macte age, qui ſolo nomine victor eras.

Aſt tibi principium Pax nominis indidit ALBUM,
Extremum Mavors indigitavit ACRE.
Qua dare quis poſſet magè conſona nomina rebus,
Candori Morum, *viribus Ingenii?*
Quantus utroq; fuit; nec adhuc ſi noverit orbis,
Dignus ut ignoret, neſciat, ut pudeat.
At vos, extremi teſtor monumenta laboris,
Ultima ſublati pignora viva patris.
Apoſtr. ad libr. *Poſthume: defuncti qui ſic geris ora parentis,*
Quem tumulus peperit, quem genuit cathedra:
Ibis, & infami calcabis marmora Roma,
Qua tot alunt vivo, monſtra peroſa, patri.
Ito age, & antiqua luſtrando cadaver Arena
Quare novus, quêis cum digladiere, feras.
I, pete Romulidas; pugnaq; appende tabellam,
Quicquid erit monſtri, percute, vince, redi.
Cùm modo lata tibi decorat victoria frontem,
Palma manum; excipiat Granta ſinu reducem.

Joſephus Hall.

SYNOPSIS



- 1 Prophetia, ad quam referenda est nobilis illa de Scripturis controversia; quia Scriptura ab illo tanquam á summo Ecclesiæ doctore & paterna voluntatis interprete nobis proposita est. Habet verò hæc controversia quæstiones sex
  - 1 De numero Canonicorum librorum.
  - 2 De Scripturarum editione authentica & versionibus, itemq; de sacris vernaculis.
  - 3 De authoritate Scripturarum.
  - 4 De perspicuitate Scripturarum.
  - 5 De interpretatione Scripturarum.
  - 6 De perfectione Scripturarum contra non scriptas traditiones.
- CHRISTUS, quo nomine illius officia denotãtur, quæ tria sunt
  - Ea quæ ipsius nominibus significãtur. Sunt verò nominatim duo
    - Militantem, atq; hæc sunt vel de
      - Totâ, quales sunt
        - 1 Quid sit Ecclesia Catholica, & ex quo hominum genere constet.
        - 2 Qualis sit, visibilis nempe, an invisibilis.
        - 3 An deficere potest.
        - 4 An errare potest.
        - 5 Quæ sint nota veræ visibilis Ecclesiæ.
        - 6 An Romana Ecclesia sit vera Christi visibilis Ecclesia.
        - 7 Quam potestatem atq; authoritatem habeat Ecclesia.
      - Congregatis in Concilio, quod Ecclesia representativa vocari solet; atq; hic quæritur
        - 1 An cogenda sint Concilia.
        - 2 A quo cogenda sint.
        - 3 Ex quibus hominibus constare debeant.
        - 4 Quis in Cõciliis summus præses esse debeat.
        - 5 An Concilium sit supra Papam.
        - 6 An errare possint Concilia.
      - Membris, iisq; vel
        - Summum nempe caput, quod Papistæ volunt esse Pontificem Romanum. hic quæritur
          - 1 An Ecclesiæ regimen sit Monarchicum.
          - 2 An hæc Monarchia in Petro constituta fuerit.
          - 3 Fueritne Petrus Episcopus Ecclesiæ Romanæ, ibiq; mortuus.
          - 4 Petróne Papa in primatu successerit.
          - 5 An Papa sit Antichristus.
          - 6 An Papa possit errare in fide & doctrina.
          - 7 An possit Papa leges Ecclesiasticas condere quæ obligent conscientias.
          - 8 An soli Papæ Christus jurisdictionẽ Ecclesiasticã immediaté contulerit, aliis verò Episcopis & Presbyteris mediaté.
          - 9 Habeátne Papa potestatem temporalem.
        - Separatis, quæ tripliciæ sunt
          - Media, nempe Clerici, iique sunt vel
            - Seculares, qui in Ecclesiastica aliqua functione versãtur. hic quæritur
              - 1 Penes quos sit electio Ministrorum.
              - 2 An pares sint Episcopis Presbyteri jure divino.
              - 3 An Ministri sive Presbyteri debeant esse cælibes.
              - 4 An decimæ Ministris jure divino debeantur.
              - 5 An Ministri sint exempti á jugo seculari.
            - Regulares. quales sunt monachi & cæteri ordines religiosi. Atque hic quæritur de
              - 1 Consiliis Evangelicis.
              - 2 Votis
              - 3 Solitudine
              - 4 Habitu
              - 5 Tonsura
              - 6 Labore
              - 7 Horis Canonicis
              - } Monachorum.
          - Infima, nempe Laici, etiã Reges & Imperatores, ut Papistæ statuũt. Hic quæritur de civili Magistratu
            - 1 Utrúm cura Religionis spectet ad Magistratum civilem.
            - 2 Utrúm hæreticos morte punire possit.
            - 3 Utrúm á Papa excõmunicari & abdicari possit.
            - 4 Utrúm leges civiles obligent conscientiam.
            - 5 Utrúm Papa subjiciantur Principes.
    - Triumphantẽ quæ constat ex
      - Angelis, ubi quæstiones oriuntur de eorum
        - Hierarchia.
        - Ministerio.
        - Invocatione.
      - Sanctis mortuis, atq; hic quæritur
        - De limbo Patrum.
        - De Purgatorio, & hic quæritur
          - 1 An sit aliquod Purgatorium.
          - 2 Qui sint in Purgatorio.
          - 3 An mereantur qui sunt in Purgatorio.
          - 4 De loco Purgatorii.
          - 5 De duratione Purgatorii.
          - 6 De pœnis Purgatorii, earumq; remediis.
        - Sintne invocandi & adorandi Sancti mortui.
        - De imaginibus Sanctorum
          - 1 An sint idola.
          - 2 An sint facienda & collocanda in templis.
          - 3 An adoranda sint.
          - 4 De crucis imagine.
        - De peregrinationibus ad loca Sanctorum.
        - De templis iis dicandis.
        - De vigiliis Sanctorum.
        - De festis Sanctorum.
        - De canonizatione Sanctorum.
  - 2 Regiũ munus, quó referenda est controversia de Ecclesia, quia Ecclesia Christi regnum est, in quo dominatur. Quæstiones verò circa eam pertinẽt vel ad Ecclesiam
    - 1 Prædestinatione & reprobatione, de quibus hæ quæstiones sunt
      - 1 Utrúm Deus aliquos prædestinaverit, aut reprobaverit.
      - 2 Propter quid reprobaverit, aut prædestinaverit; an scilicet propter opera prævisa.
      - 3 An aliquis de sua prædestinatione & electione certus esse possit.
    - 2 Peccato,
      - 1 Quid sit.
      - 2 Quotuplex sit; hic de peccato
        - Originali.
        - Actuali.
      - 3 An omnes originali peccato infecti nascantur, etiam ex piis Matris
    - 3 Sacerdotium, cujus partes sunt
      - 1 Intercessio: hic quæritur, an Christus sit solus mediator intercessionis.
      - 2 Sacrificium, atq; hic de Sacramentis quæritur, idque tum in
        - Genere, ubi quæri solet
          - 1 Quid sit Sacramentum.
          - 2 De Sacramentorum necessitate.
          - 3 Quis sit legitimus minister Sacramentorum.
          - 4 Qua sit vis & efficacia Sacramentorum, nempe an conferant gratiam ex opere operato.
          - 5 Quomodo vetera Sacramenta á novis differant.
          - 6 De charactere Sacramentorum.
          - 7 Quot sint Sacramenta.
        - Specie, ubi quærendum de
          - Baptismo
            - 1 Quid sit Baptismus.
            - 2 De necessitate Baptismi, utrúm qui sine Baptismo moriuntur, servari nequeant, & quando Baptismus cœpit esse necessarius.
            - 3 Quibus commissa sit authoritas baptizandi, num fœminis & Laicis, an Episcopis & Presbyteris tantúm.
            - 4 De vi & effectu Baptismi.
            - 5 Utrúm Joannis & Christi Baptismus idem sit.
            - 6 De ritibus & ceremoniis in Baptismo.
          - Eucharistia; ubi quærendum
            - 1 De reali præsentia, atq; hic
              - 1 An Christi corpus possit esse in diversis locis simul.
              - 2 An occupet locum in Sacramento Eucharistiæ.
              - 3 De transsubstantiatione, sive de conversione panis & vini in corpus & sanguinem Christi.
            - 2 An Sacramentum Eucharistiæ sit Sacramentum extra usum.
            - 3 Quæ elementa sint idonea in celebratione hujus Sacramenti, ubi de pane azymo.
            - 4 Quis sit effectus hujus Sacramenti.
          - Reliquis quinq; Sacramentis Papisticis
            - Pœnitentia, atq; hic de
              - Confirmatione.
              - Contritione.
              - Confessione.
              - Satisfactione.
              - Indulgentiis.
              - Jejuniis.
            - Extrema unctione.
            - Ordine.
            - Matrimonio.

CHRISTIANISMUS
rium iniquitatis, Chri-
cipué oppugnans, non
em, ut veteres feré hæ-
es, quæ jamdiu explosæ
lis est Papismus, Chri-
tiori ratione cõtrarius.
s enim licet Christum
enus profiteatur: reve-
n ei adversatur, tum
quoad

- *Ea quæ ipsius nominibus significãtur. Sunt verò nominatim duo*
  - *Jesus, hoc nomine redemtionis salutisq; nostræ beneficia designantur, atq; hic agendum est de*
    - 1 *Prædestinatione & reprobatione, de quibus hæ quæstiones sunt*
      - 1 *Utrùm Deus aliquos prædestinaverit, aut reprobaverit.*
      - 2 *Propter quid reprobaverit, aut prædestinaverit; an scilicet propter opera prævisa.*
      - 3 *An aliquis de sua prædestinatione & electione certus esse possit.*
    - 2 *Peccato, ubi quærendum*
      - 1 *Quid sit.* { *Originali.* / *Actuali.*
      - 2 *Quotuplex sit; hic de peccato*
      - 3 *An omnes originali peccato infecti nascantur, etiam virgo Maria.*
      - 4 *An omnia peccata sint paria.*
      - 5 *An sit aliquod peccatum ex se veniale.*
      - 6 *An concupiscentia post Baptismum sit peccatum.*
      - 7 *An Deus sit author peccati.*
    - 3 *Lege, utrùm impleri possit, & plus etiam fieri quàm præcipit; ubi de operibus supererogationis.*
    - 4 *Libero arbitrio, & de statu hominis ante regenerationem.*
    - 5 *Fide* { *quid sit.* / *quotuplex sit.*
    - 6 *Bonis operibus ac meritis.*
    - 7 *Justificatione.*
  - *Ejus personam, quâ de re controversia etiam quædam inter nos & Papistas orta sunt, nempe an Christus* { *sit αὐτόθεος.* / *creverit sapientiâ.* / *perpessus fuerit animo dolores infernorum.*
- *Triumphantè qua constat ex*
  - *Angelis, ubi quæstiones oriuntur de eorum*
    - *Hierarchia.*
    - *Ministerio.*
    - *Invocatione.*
  - *Sanctis mortuis, atq; hic quæritur*
    - *De limbo Patrum.*
    - *De Purgatorio, & hic quæritur*
      - 1 *An sit aliquod Purgatorium.*
      - 2 *Qui sint in Purgatorio.*
      - 3 *An mereantur qui sunt in Purgatorio.*
      - 4 *De loco Purgatorii.*
      - 5 *De duratione Purgatorii.*
      - 6 *De pœnis Purgatorii, earumq; remediis.*
    - *Sintne invocandi & adorandi Sancti mortui.*
    - *De imaginibus Sanctorum*
      - 1 *An sint idola.*
      - 2 *An sint facienda & collocanda in templis.*
      - 3 *An adoranda sint.*
      - 4 *De crucis imagine.*
    - *De peregrinationibus ad loca Sanctorum.*
    - *De templis iis dicandis.*
    - *De vigiliis Sanctorum.*
    - *De festis Sanctorum.*
    - *De canonizatione Sanctorum.*
  - 2 *Intercessio: hic quæritur, an Christus sit solus mediator intercessionis.*
  - 3 *Sacerdotium, cujus partes sunt*
    - *Sacrificium, atq; hic de Sacramentis quæritur, idque tum in*
      - *Genere, ubi quari solet*
        - 1 *Quid sit Sacramentum.*
        - 2 *De Sacramentorum necessitate.*
        - 3 *Quis sit legitimus minister Sacramentorum.*
        - 4 *Qua sit vis & efficacia Sacramentorum, nempe an conferant gratiam ex opere operato.*
        - 5 *Quomodo vetera Sacramenta à novis differant.*
        - 6 *De charactere Sacramentorum.*
        - 7 *Quot sint Sacramenta.*
      - *Specie, ubi quærendum de*
        - *Baptismo*
          - 1 *Quid sit Baptismus.*
          - 2 *De necessitate Baptismi, utrùm qui sine Baptismo moriuntur, servari nequeant, & quando Baptismus cœpit esse necessarius.*
          - 3 *Quibus commissa sit authoritas baptizandi, num fœminis & Laicis, an Episcopis & Presbyteris tantùm.*
          - 4 *De vi & effectu Baptismi.*
          - 5 *Utrùm Joannis & Christi Baptismus idem sit.*
          - 6 *De ritibus & ceremoniis in Baptismo.*
        - *Eucharistia, ubi quærendum*
          - 1 *De reali præsentia, atq; hic*
            - 1 *An Christi corpus possit esse in diversis locis simul.*
            - 2 *An occupet locum in Sacramento Eucharistia.*
            - 3 *De transsubstantiatione, sive de conversione panis & vini in corpus & sanguinem Christi.*
          - 2 *An Sacramentum Eucharistiæ sit Sacramentum extra usum.*
          - 3 *Qua elementa sint idonea in celebratione hujus Sacramenti, ubi de pane azymo.*
          - 4 *Quis sit effectus hujus Sacramenti.*
        - *Reliquis quinq; Sacramentis Papisticis*
          - *Pœnitentia, atq; hic de*
            - *Contritione.*
            - *Confessione.*
            - *Satisfactione.*
            - *Indulgentiis.*
            - *Jejuniis.*
          - *Confirmatione.*
          - *Extrema unctione.*
          - *Ordine.*
          - *Matrimonio.*
- *Ea quæ ipsius nominibus significãtur. Sunt verò nominatim duo*
  - *Anthropomorphismus Christi, non sine controversia de Ecclesia, quia Ecclesia Christi regnum est, in quo dominatur. Quæstiones verò circa eam pertinẽt vel ad Ecclesiam*
    - *Triumphantẽ qua constat ex*
      - *Angelis, ubi quæstiones oriuntur de eorum*
        - *Hierarchia.*
        - *Ministerio.*
        - *Invocatione.*
      - *Sanctis mortuis, atq; hic quæritur*
        - *De limbo Patrum.*
        - *De Purgatorio, & hic quæritur*
          - 1 *An sit aliquod Purgatorium.*
          - 2 *Qui sint in Purgatorio.*
          - 3 *An mereantur qui sunt in Purgatorio.*
          - 4 *De loco Purgatorii.*
          - 5 *De duratione Purgatorii.*
          - 6 *De pœnis Purgatorii, earumq; remediis.*
        - *Sintne invocandi & adorandi Sancti mortui.*
        - *De imaginibus Sanctorum*
          - 1 *An sint idola.*
          - 2 *An sint facienda & collocanda in templis.*
          - 3 *An adoranda sint.*
          - 4 *De crucis imagine.*
        - *De peregrinationibus ad loca Sanctorum.*
        - *De templis iis dicandis.*
        - *De vigiliis Sanctorum.*
        - *De festis Sanctorum.*
        - *De canonizatione Sanctorum.*
      - 2 *Intercessio: hic quæritur, an Christus sit solus mediator intercessionis.*
      - 3 *Sacerdotium, cujus partes sunt*
        - *Sacrificium, atq; hic de Sacramentis quæritur, idque tum in*
          - *Genere, ubi quari solet*
            - 1 *Quid sit Sacramentum.*
            - 2 *De Sacramentorum necessitate.*
            - 3 *Quis sit legitimus minister Sacramentorum.*
            - 4 *Qua sit vis & efficacia Sacramentorum, nempe an conferant gratiam ex opere operato.*
            - 5 *Quomodo vetera Sacramenta à novis differant.*
            - 6 *De charactere Sacramentorum.*
            - 7 *Quot sint Sacramenta.*
          - *Specie, ubi quærendum de*
            - *Baptismo*
              - 1 *Quid sit Baptismus.*
              - 2 *De necessitate Baptismi, utrùm qui sine Baptismo moriuntur, servari nequeant, & quando Baptismus cœpit esse necessarius.*
              - 3 *Quibus commissa sit authoritas baptizandi, num fœminis & Laicis, an Episcopis & Presbyteris tantùm.*
              - 4 *De vi & effectu Baptismi.*
              - 5 *Utrùm Joannis & Christi Baptismus idem sit.*
              - 6 *De ritibus & ceremoniis in Baptismo.*
            - *Eucharistia, ubi quærendum*
              - 1 *De reali præsentia, atq; hic*
                - 1 *An Christi corpus possit esse in diversis locis simul.*
                - 2 *An occupet locum in Sacramento Eucharistiæ.*
                - 3 *De transsubstantiatione, sive de conversione panis & vini in corpus & sanguinem Christi.*
              - 2 *An Sacramentum Eucharistiæ sit Sacramentum extra usum.*
              - 3 *Qua elementa sint idonea in celebratione hujus Sacramenti, ubi de pane azymo.*
              - 4 *Quis sit effectus hujus Sacramenti.*
            - *Reliquis quinq; Sacramentis Papisticis*
              - *Pœnitentia, atq; hic de*
                - *Contritione.*
                - *Confessione.*
                - *Satisfactione.*
                - *Indulgentiis.*
                - *Jejuniis.*
              - *Confirmatione.*
              - *Extrema unctione.*
              - *Ordine.*
              - *Matrimonio.*
    - *Plicia sunt*
      - *pe Clerici, utque sunt vel*
        - *Regulares, quales sunt monachi & cæteri ordines religiosi. Atque hìc quæritur de*
          - 1 *Consiliis Evangelicis.*
          - 2 *Votis*
          - 3 *Solitudine*
          - 4 *Habitu*
          - 5 *Tonsura* } *Monachorum.*
          - 6 *Labore*
          - 7 *Horis Canonicis*
        - *Infima, nempe Laici, etiã Reges & Imperatores, ut Papistæ statuũt. Hic quæritur de civili Magistratu*
          - 1 *Utrùm cura Religionis spectet ad Magistratum civilem.*
          - 2 *Utrùm hæreticos morte punire possit.*
          - 3 *Utrùm à Papa excommunicari & abdicari possit.*
          - 4 *Utrùm leges civiles obligent conscientiam.*
          - 5 *Utrùm Papa subjiciantur Principes.*

SECUNDÆ CONTROVERSIÆ, QUÆ EST DE ECCLESIA, QUÆSTIO PRIMA.

Ex quo hominum genere conſtet Eccleſia Catholica.

CAPUT PRIMUM.

In quo via munitur ad futuram de Eccleſia diſputationem, totaq; Controverſia in ſuas particulares quæſtiones diſtribuitur.

POſtquam Chriſti Propheticum munus ab erroribus Antichriſtianis & Papiſticis, ſatis, uti ſpero, ſuperiore noſtra diſputatione vindicatum eſt: ratio inſtituta poſtulat, ut errores atque hæreſes profanas Papiſtarum oppugnemus, quibus Regium Chriſti munus violare atque evertere conantur. Chriſti regnum eſt Chriſti Eccleſia, in qua ut Monarcha regnat, quamque ſuis legibus & imperio continet. Contra hanc Chriſti noſtri Eccleſiam atq; regnum Adverſarii noſtri conjurârunt, multaque impié hactenus docuerunt. Nos oportet tanquam fideles pioſq; Regis hujus ſubditos, ſanctiſſimum Domini noſtri regnum contra Antichriſti ſatellites defendere, illorumq; omnes impetus retundere, nullamq; partem aut locum ſine præſidio relinquere.

Varié autem ab Adversariis oppugnatur, ideoque resistendi varia multiplexq; ratio sit oportet. Ecclesiam in duo membra Scripturæ distribuunt. Aliam enim partem in terris militare, aliam in cœlis triumphare affirmant. Tertium Adversarii membrum adjungunt Ecclesiæ in Purgatorio patientis, quam illi Ecclesiam laborantem appellant. Sed nos pristinam veramque distinctionem retineamus, tertium veró membrum Adversariis nostris relinquamus. Et primó quidem, illorum de militante Ecclesia errores refellamus. Quæ Controversia multas partes habet, quæ sigillatim á nobis tractandæ sunt; sed hæ duæ summæ sunt ac generales, de tota Ecclesia in se, deq; Ecclesiæ partibus ac membris. De secunda suo loco, nunc de prima disseremus.

Antequam autem longiús progrediamur, fundamentum aliquod scripturæ jaciemus, quo tota hæc disputatio nitatur. Scribitur ergo Matth. 16. 18. Κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. *Sed & ego tibi dico, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non superabunt eam.* Apostolos Christus interrogaverat primúm, quem se alii homines esse dicerent. Illi veró respondebant: Alii te Johannem Baptistam esse dicunt, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum aliquem ex Prophetis. Iterum quærit Christus, quem ipsi dicerent eum esse. Petrus pro omnibus seque ipso respondet, eum esse veré Christum illum filium Dei viventis. Hanc illius tam glorioſam confessionem Christus approbat & laudat, Petrumq; ipsum felicem pronunciat, cui tantam scientiam atque fidem cœlestis Pater inspirâsset. Atque adeó hujus fidei & confessionis tantum

tum robur esse affirmat, ut in ea tanquam in petra suam velit Ecclesiam ædificare. Unde intelligimus, summam esse Ecclesiæ tum felicitatem, tum stabilitatem, quam Christus ipse suis manibus in petra ædificabit. Itaq; subjungit Christus, portas inferorum non esse illam unquam superaturas. Ac proinde scriptura ubiq; Ecclesiam summis laudibus ornat. Et meritó quidem; cúm omnes omnium bonorũ, æternæq; vitæ, promissiones ad illam pertineant. Hæc illa est, quæ in libro Canticorum columba unica, Christi soror, sponsa, amica, hortus deniq; conclusus & consignatus appellatur. Hæc illa est, quæ Christi corpus dicitur, & πλήρωμα τοῦ παντὸς ἐν πᾶσι πληρουμένου, Eph. 1. 23. Hæc illa est civitas sancta de cœlo descendens, Apoc. 21. 10. Hęc illa est, quam Propheta David fructiferę vineę comparat, Psal. 80. 9. Hęc illa est, quæ firmamentum & columna veritatis vocatur, 1. Tim. 3. 15. Hanc idem Apostolus matrem nostrûm omnium vocat. Gal. 4. 26. Et alibi sæpe in scripturis regnũ Dei vocatur, & regnum cœlorum, & Eph. 2. 21. templum Domini. Illam, quemadmodum Christus hoc loco affirmat, nullæ unquam vires inferorum poterunt evertere. Illi Spiritus ἀλήθειας promissus est, qui perpetuó in ea maneat, qui eam in omnem veritatẽ ducat, doceatque omnia, Joh. 14. 16. & 26. Hæc deniq; illa est, cui se Christus perpetuó affuturum esse promisit usque ad finem mundi, Matth. 28. 20. Hæc divina Ecclesiæ decora ac privilegia singularia, omnes ad Ecclesiam amandam, laudandam, admirandam excitant. Et nemo sané est tam projectus ad scelera, tam impudens, audaxque hostis Ecclesiæ, qui non insaniam illam ac feritatem deponeret, si Ecclesiæ dignitatẽ ac majestatem oculis suis

contemplari posset. Sed pleriq; Ecclesiam non agnoscunt; quamque se amare simulant, eam multis injuriis damnisque afficiunt. Ecclesiam omnes ad se trahunt, etiam ii qui Ecclesiam oppugnant, eiq; bellum acerrimum atq; infestissimum indicunt. Ipsi etiam hæretici, quibus nulli hostes Ecclesiæ capitaliores sunt, apud se tamen Ecclesiam esse, se Ecclesiam studiosissimé colere affirmant. Idque semper soliti sunt facere. Cúm enim scirent, extra Ecclesiam nihil boni sperari posse, nec posse quenquam habere Deum Patrem, qui non habeat Ecclesiam matrem, ut rectè Cyprianus, & Augustinus: se Ecclesiæ filios & alumnos haberi voluerunt. De Marcionitis olim præclaré scripsit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem: *Faciunt favos & vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionita.* Et Cyprianus Epist. 73. hæreticos similis comparat, quæ cúm homines non sint, tamen homines imitantur. Sic hæretici, qui in Ecclesia non sunt, imó qui Ecclesiam hostili odio prosequuntur, apud se tamen Ecclesiam esse gloriantur. In hunc enim modum de Novatiano scribit Cyprianus in eodem loco: *Novatianus* (inquit) *similarum more, quæ cúm homines non sint, homines tamen imitantur, vult Ecclesiæ Catholicæ authoritatem sibi & veritatem vendicare, quando ipse in Ecclesia non sit, imó adhuc insuper contrà Ecclesiam rebellis & hostis extiterit.* Atq; hic omnium semper hæreticorum mos fuit. Quo minus mirandum est, Papistas hodie Ecclesiam sibi tam gloriosé vendicare, tamque vehementer cupere, ut nos ab illius possessione arceant atque depellant. Et est hæc magni momenti controversia. Non enim de fundo, non de pecunia, non de veste, sed de regni cœlestis hæreditate contendimus, nostráne, an Adversariorum sit. Aut enim illi Eccle-

sia

ſia ſunt, aut nos. Illi quidem ſuam eſſe Eccleſiam affirmant, & litem hanc ſic tractant, ut in nulla omnino cauſa confidentiús ſe gerant. Campianus in tertia ſua ratione ſic ſcribit: *Audito Eccleſiæ nomine, hoſtis expalluit.* Sic quaſi in regno ſuo ſunt, cúm de Eccleſia loquuntur. Putãt ſcilicet nos nullo modo locum noſtrum tueri poſſe, quando de Eccleſia quæſtio inſtituitur. Verúm nos nequaquam expalleſcimus, nec quamobrem expalleſcere debeamus, ullam omnino cauſam intelligimus. Non enim illorum clamores, ſed rationes & argumenta expendimus: eoſq; non Chriſti Eccleſiam, ſed Papæ atq; Antichriſti Synagogam eſſe pronunciamus; non minús confidenter, quám illi, multó (ſat ſcio) veriús.

Sed ut hanc litem controverſiamque meliús tractemus, eam in ſuas quæſtiones distribuemus, easque ordine explicabimus. De Chriſti Eccleſia in petra ædificata quærimus. Eſſe quidem Eccleſiam in petra ædificatam, omnes concedunt; ſed quæ hæc Eccleſia ſit, quæ in petra ædificatur; qualis item & cujusmodi ſit, & quibus notis ſit agnoſcenda, atq; ita deinceps, magna inter nos & Pontificios contentio eſt. Itaque hanc omnem controverſiam his quæſtionibus concludemus. Prima quæſtio erit de Eccleſiæ definitione, quæ nimirum ſit Eccleſia illa, quã Chriſtus in petra ædificavit, & ex quo hominum genere conſtet. Secunda, ſítne hæc Eccleſia in petra ædificata, viſibilis, an inviſibilis. Tertia, poſſítne hæc Eccleſia in petra ædificata errare in fide, & moribus. Quarta, poſſítne hæc Eccleſia ædificata in petra deficere. Quinta, quæ ſint notæ veræ viſibilis Eccleſiæ Chriſti. Sexta, ſítne Romana Eccleſia vera Chriſti Eccleſia in petra ædificata, & Eccleſia illa Catholica, quam nos in ſym-

bolo profitemur. Septima & ultima, quæ & quanta sit hujus Ecclesiæ authoritas. Nequaquam veró vos multitudo hæc quæstionum perturbet. Res enim magnæ sunt, ideoque non perturbaté, sed distinctè dilucideq; sunt tractandæ. In quibus dum versati fueritis, operam vestram non malé collocatam esse judicabitis.

CAPUT SECUNDUM.

De varia Ecclesiæ acceptione.

PRima ergo quæstio est de Ecclesiæ ipsius definitione. Ad cujus quæstionis statum priusquam accedamus, est aliquid nobis breviter de multiplici hujus vocabuli significatione, variaque acceptione necessarió dicendum. Ecclesia dicitur ἀπὸ τῦ ἐκκαλεῖν, quod est evocare. Vocabulum fuit apud Athenienses valde usitatum, apud quos idē significavit, quod apud nos concio. Concionem enim illi ἐκκλησίαν vocabant. Hinc mutuó sumtum est, atq; ad sanctiorē usum, ut alia prēterea multa vocabula, traductum. Et rei certé, quam significat, aptissimé convenit. Quid enim aliud Ecclesia est, si vim vocis spectes, quā cœtus, vel numer⁹ hominum evocatorum? Et certé qui ad veram Ecclesiam pertinent, ex hoc mundo, reliquisq; hominibus, qui in mundo versantur, in unū cœtum, & corpus, & quasi Rempublicam sanctam evocantur. Utitur veró Deus tanquam instrumentis quibusdam in illis evocandis, prēconibus suis, Evangelii ministris. In hunc numerum nulli veniunt, nisi evocati á Deo, nulli sua sponte, aut viribus suis freti veniunt. Illis ergo nomen Ecclesiæ optimé convenit. Ita legimus é Chaldæis Abrahamum, é cœtu Pharisæorum Paulum evocatū fuisse. Hinc sanctos Paulus *vocatos* appellat, ut Rom. 1. 7. *Omnibus qui sunt Romæ, dilectis*

dilectis Dei, vocatis ſanctis, gratia vobis & pax, &c. Sic 1. Cor. 1. 2 *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis ſanctis, &c.* Et 1. Cor. 1. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in communionem filii ipſius Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Et Chriſtus Matth. 9. 13. dicit, ſe non veniſſe, *ut vocaret juſtos*, hoc eſt, hypocritas, qui ſe juſtos eſſe putant, *ſed peccatores*, hoc eſt, eos qui in juſtitiam ſuam agnoſcunt. Hinc Scripturæ ſæpius nos noſtræ vocationis memores eſſe jubent. Quando igitur á Deo vocamur, tum in Eccleſiam & Rempublicam Chriſti adſciſcimur; qui nō vocantur, ii non ad Eccleſiam actu pertinent, ne quidem electi. Hæc vocatio nos civitate ſancta donat: eſt enim primus quaſi ingreſſus & introitus in Eccleſiam Dei. Tum igitur actu & re filii Dei ſumus, cū vocamur, non antea. Eccleſiæ veró nomen varié accipitur & diſtinguitur, & ὁμωνυμία verbi ſine diſtinctione multos ſæpe fallit. Adverſarii quidem in iſta Controverſia, in perpetua quadam homonymia verſantur. Ea igitur primo in loco tanquam veſtis quædam detrahenda eſt, ut veritatem nudam, atque apertam, non abditam, & abſtruſam intueamur.

Sumitur ergo Eccleſia interdum communiter ꝓ quavis concione, aut cœtu: & ſic interdum in malam partem accipitur, pro cœtu ſcilicet malorum, ut Pſal. 26. 5. *Eccleſiam malignantium odi.* & Act. 19. 32. Erat ἡ ἐκκλησία συγκεχυμένη, id eſt, cœtus Epheſiorum. & verſ. 40. ejusdem capitis, ſcriba ille, qui ſedavit turbas á Demetrio & reliquis artificibus Epheſi excitatas, dimiſiſſe ἐκκλησίαν dicitur, hoc eſt, cœtum illum temeré congregatum. Non enim erat iſte cœtus ordine ſatis convocatus. At hoc modo nō ſępe ſumitur in ſcripturis, ſed ſæpius pro fideli

sacroque cœtu. Et sic etiam varié. Nam aliquando totum corpus electorum, fidelium, & sanctorum significat, ut cúm in Symbolo dicitur, *Credo Ecclesiam Catholicam.* Sic in hoc loco, quẽ nos tractamus, nempe Matth. 16. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam.* Sic Ecclesia *Christi corpus dicitur, & complementum ejus, qui implet omnia in omnibus,* Eph. 1. 23. Sic deniq; sumitur Ephes. 5. 32. *Magnum hoc mysterium est, dico autem de Christo, & de Ecclesia ejus.* Aliquando significat eã partem fidelium & sanctorum, quæ jam in cœlis cum Christo triumphat, ut cũ dicitur *non habere maculam aut rugam,* Ephes. 5. 27. Hoc necessarió intelligendum est de illa parte Ecclesiæ, quæ jam in cœlis cum Christo regnat. Ea enim pars Ecclesię, quæ adhuc in terris versatur, & á Domino peregrinatur, non caret rugis & maculis suis. Interdum eam fidelium partem significat, quæ in terris militat, ut 1. Tim. 3. 15. *Ut cognoscas, quomodo oporteat te in domo Dei versari, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & firmamentum veritatis.* Sic Act. 5. 11. ἐγένετο φόβος μέγας ἐφ' ὅλην τὴν ἐκκλησίαν. *Incidit timor magnus in totam Ecclesiam.* Interdum significat Pastores Rectoresque Ecclesiæ, ut Matth. 18. 17. εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ, *dic Ecclesiæ,* hoc est, Pastoribus & Præfectis Ecclesiæ. Aliquando populum & gregem ipsum significat, qui alio nomine ποιμνίον appellatur, ut Act. 20. 28. ubi & ποιμνίον & ἐκκλησία habetur, & 1. Pet. 5. 2. Postremó interdum particulares cœtus fidelium, Christi doctrinam ac religionem profitentium, Ecclesiæ vocantur, ut Apocalyp. 2. 1. *Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe.* & vers. 8. *Angelo Smyrnæorum Ecclesiæ scribe.* & versu 12. *Angelo Pergamensis Ecclesiæ scribe, &c.* Ita dicimus Ecclesiam Romanorum, Corinthiorum, Galatarum, Colossensium,

Et

Et ſingulæ denique Eccleſiæ particulares hoc nomine appellantur. Bellarminus notat ex Auguſtino, veterem populum Synagogam dici in Scripturis, novum verò nuſquam dici Synagogam, ſed ſemper Eccleſiam. Apud Auguſtinum quidem hoc habetur in Pſal. 81. & alibi in inchoata expoſitione ad Romanos: *Eccleſia* (inquit) *ex vocatione appellata eſt, Synagoga verò ex congregatione. Convocari enim magis hominibus congruit, congregari autem magis pecoribus, unde greges proprie pecorum dici ſolent.* Sed hoc magis argutum mihi videtur, quàm ſolidum. Non eſt tale aliquod discrimen. Nam & veteres quando congregabantur, tum vocabantur; & nos cùm vocamur, in Eccleſiam congregamur. Eadem veteris novæq; Eccleſiæ ſubſtantia fuit. Hebræum vocabulum עדה vel קהל Septuaginta interpretes verterunt non modò συναγωγὴν, ſed & ἐκκλησίαν. Deut. 23. nomen ἐκκλησίας quater invenitur, nempe verſ. 1. 2. 3. & 8. Et 1. Sam. 17. 47. γνώσεται πᾶσα ἡ ἐκκλησία αὕτη. *Cognoſcet univerſa Eccleſia hæc.* Et 1. Reg. 8. 14. cùm Salomon templum conſecrabat, ſtetiſſe dicitur πᾶσα ἡ ἐκκλησία ἰσραὴλ, *omnis Eccleſia Iſraël*; ſic enim in Latina vulgata editione habetur. Non ergo aut Septuaginta, aut vulgatus interpres, tam curioſè has voces diſtinxerunt. Quare quod Turrianus ſcribit in lib. 1. de Eccleſ. & ordinat. miniſtrorum, cap. 1. Eccleſiam Iſraëlitarum non priùs fuiſſe, aut appellatam fuiſſe Eccleſiam, quàm Aaron factus eſt ſacerdos, ineptum & falſum eſt. Nam illa vocabula Hebraica antea inveniuntur, Exod. 12. 3. 6. 19. 47. Eadem quidem Eccleſia antea fuit quoad rem & ſubſtantiam, quæ nunc eſt. Populum verò novi Teſtamenti nunquam dici ſynagogam, haud ſcio, an ſit recipiendum. Nam Heb. 10. 25. Chriſtianorum cœtus

 Ex quibus hominibus ἐπισυναγωγὴ dicitur, μὴ ἐγκαταλείποντες τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν. *Non deserentes aggregationem nostri mutuam.* Ubi docet Apostolus, cœtus sanctorum non esse deserendos. Sed fateor, sic plerumque se rem habere, apud Patres præsertim. Illi enim hanc Synagogæ & Ecclesiæ distinctionem solent observare. Nam apud illos per Synagogam feré semper non vera Ecclesia intelligitur, sed adulterina illa, quæ Christo inimica erat, eumq; persequebatur, quæ adhuc etiam á Christo alieniſſima est. Sed nonnullæ tamen instantiæ contrá dari possunt.

CAPUT TERTIUM.

De statu primæ quæstionis.

NUnc ad causam ipsam veniamus, & Ecclesiæ definitionem quæramus, hoc est, quid ipsa sit, & ex quibus hominibus constet. Ecclesiam autem intelligimus Catholicam, quemadmodum in Symbolo sumitur. De ea enim Ecclesia nunc sumus disputaturi, quæ corpus Christi dicitur, quæque in petra ædificatur, & quæ columna & firmamentum veritatis est. Nos hanc Ecclesiam non nisi ex bonis constare dicimus, Adversarii veró econtra ex bonis atque malis simul. Sic Bellarminus, sic Stapletonus, sic alii Pontificii. Ergo aliter illi Ecclesiam definiunt, aliter nos. Ut veró illorum definitionem sententiamq; inveniamus, non opus erit multorum hac de re Pontificiorum testimonia quærere. Uno Bellarmino contenti esse possumus, qui hanc causam diligentissimé tractavit. Similiter etiam Stapletonus. Una est utriusque sententia. Sic ergo Bellarminus Ecclesiam definit lib. 3. cap. 2. de Ecclesia: Ecclesia vera est cœtus hominum, ejusdem Christianæ fidei professione, & eorun-

eorundem Sacramentorum communione colligatus, ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipué Romani Pontificis, qui eſt Chriſti in terris unicus vicarius. Sic ille Eccleſiam definivit. Similiter Turrianus in lib. de Eccleſ. & ordinat. miniſtr. Eccleſia (inquit) eſt fidelium cœtus, & congregatio facta ab Epiſcopis, ſub uno viſibili capite, Romano Pontifice. Sed ad Bellarmini definitionē redeamus. Ea veró tres partes habet, quæ tres notas, & proprietates eorum continent, qui ad veram Eccleſiam pertinent. Prima eſt profeſſio veræ fidei. Atq; hæc quidem nota ab eccleſia removet & excludit, non modó eos, qui nunquā in Eccleſia fuerunt, cujusmodi ſunt Turcæ, Judæi, & Pagani: verumetiam eos, qui fuerunt aliquando in Eccleſia, ſed non permanſerunt: cujusmodi ſunt hæretici, & apoſtatæ. Secunda eſt Sacramentorum communio. Et hæc quidem removet tum Catechumenos, qui nondum ſunt ad Sacramētorum communionem admiſſi, tum excommunicatos, qui á ſacramētorum communione dimiſſi ſunt. Tertia eſt, ſubjectio legitimis Paſtoribus, & inprimis viſibili Eccleſiæ capiti, Pontifici Romano, quæ excludit ſchiſmaticos; qui licet fidem veram habeant & Sacramenta, tamen foris habent, & non in ſinu eccleſiæ: quia legitimis Paſtoribus non ſubjiciuntur. Alii omnes (inquit) includūtur, etiamſi reprobi, ſceleſti, & impii fuerint. Videtis, cujusmodi ſit illorum eccleſia, quos ab illa excludāt, quos veró includant; pios multos ab illis ex eccleſia ejici & excludi, impios veró & reprobos multos includi, & in eccleſiam recipi.

Explicat deinde Bellarminus hanc ſuam definitionem, aitque, inter Catholicorum & hæreticorum ſententiam hoc intereſſe, quód ii requirant internas

virtutes ad constituendum aliquem in Ecclesia, fidem nempe, spem, & charitatem. Nos autem (inquit) etsi credimus in Ecclesia inveniri omnes virtutes; tamen non putamus ullam internam virtutem ad hoc necessariò requiri, ut quis absolutè membrum veræ Ecclesiæ dicatur, sed tantùm externam professionem fidei, & Sacramentorum communionem. Sic illorum definitio ejusmodi Ecclesiam cõstituit, quæ nullam habeat internam virtutem, non fidem, non spem, non charitatem. Etsi enim credant, in Ecclesia esse omnes virtutes; tamen ajunt has virtutes non requiri ad Ecclesiam constituendam, adeò ut sine his possit aliquis esse verum membrum Ecclesiæ. Qui enim colligantur externâ tantùm professione fidei, Sacramentorum communione, & subjectione uni capiti, quantumvis omnibus virtutibus careant, veræ tamen Ecclesiæ membra sunt secundùm Adversarios. Nos autem postea ostendemus, Catholicam illam Ecclesiam, ad quam omnia illa magnifica encomia, & glorioſæ promissiones pertinent, quæ in Scripturis habentur, ex solis bonis, electis, & prædestinatis constare. Subjungit deinceps Bellarminus ex Augustino aliquid in hac explicatione definitionis suæ, quod maximè contra illum facit, & superiorem illius definitionem prorsus evertit. Augustinus in breviculo collationis cum Donatistis collat. 3. Ecclesiam esse ait, corpus vivum, in quo est & anima, & corpus. Animam verò esse interna dona Spiritus sancti, hoc est, virtutes internas, fidem, spem, charitatem: corpus esse externam fidei professionem, & Sacramentorum communionem. Quod si verum est, tum ut aliquis sit pars, & verum membrum Ecclesiæ veræ, quæ corpus vivum est, oportet eum virtutes

tutes illas externas habere. Sic enim Augustinus Ecclesiam ex anima & corpore constare ait. Requirit igitur ille in vero membro veræ Ecclesiæ non tantúm corpus, id est, externam fidei professionem, & Sacramentorum communionem, verumetiam animam, id est, internas virtutes, idque multó quidem magis, quám corpus. Quemadmodum enim anima est præstantior pars hominis: sic virtutes internæ sunt præstantior pars membri Ecclesiæ. Tollit ergo hoc Bellarmini definitionem. Et certé miror, eum hoc ex Augustino afferre voluisse, quod tam aperté contra illius definitionem faciat; quæ Ecclesiam tantúm ad corpus externum astringit, cúm Ecclesię partem præcipuam esse animam Augustinus affirmet. Postea colligit ex his verbis Augustini Bellarminus, quosdam esse de anima simul & corpore Ecclesiæ, quosdam de anima Ecclesiæ tantúm, quosdam de corpore tantúm. Et qui de anima simul & corpore Ecclesiæ sunt, ii sunt (inquit) perfectissimé de Ecclesia, quia sunt Christo capiti & interiús & exteriús uniti: qui veró de Ecclesiæ tantúm corpore sunt, exteriús tantúm sunt Christo uniti. Hinc cõtra Bellarminum ipsum duo colligi possunt ex ipsius verbis. *Primum* est, eos qui sunt membra verę Ecclesiæ, Christo unitos esse, ac proinde reprobos non esse membra Ecclesiæ veræ; quam Augustinus non modó corpus, verumetiam animam esse affirmat; quia reprobi donis illis carent, quibus Christo uniri debent. Vivum ergo corpus esse non possunt, quia carent anima. *Secundum* est, prætermissos esse illos in definitione Bellarminiana, qui vel maximé ad Ecclesiam pertinent, hoc est, qui internis Spiritus sancti donis prędditi sunt. Nam ille ait tales esse perfectissimé de Ec-

cleſia, qui hæc dona habent. At hoc vel maximum in definiendo vitium eſt, illud prętermittere, quod maximé ad naturam definiti explicãdam pertinet. Subjungit Bellarminus, alios de anima tantúm Eccleſiæ eſſe, & non de corpore; cujusmodi ſunt (inquit) Catechumeni, vel excommunicati, ſi fidẽ & charitatem habeant, quod fieri poteſt. Hoc verum eſſe & nos fatemur. Quare ergo prætermiſit hos in definitione ſua, qui magis ad Eccleſiam pertinent, cúm ſint de anima Eccleſiæ, quám qui de corpore tantúm Eccleſiæ ſunt? Excluſit ille Catechumenos & excommunicatos é definitione ſua; quos tamen concedit eſſe de anima, hoc eſt, de præſtantiore parte Eccleſiæ. Quo certé nihil abſurdius dici aut fingi potuit. Reliquos ait eſſe de corpore & non de anima Eccleſiæ, ut qui nullam habent internam virtutem, & tamen ſpe aut timore aliquo temporali fidem profitentur, & Sacramenta recipiunt ſub regimine legitimorum Paſtorum, & tales (inquit) ſunt ſicut capilli, aut ungues, aut mali humores in corpore humano. Atque ut hujus Jeſuitæ incredibilem in definiendo vel inſcitiam, vel certé inertiam atque incogitantiam intelligatis; ſubjungit, ſuam definitionem ad hoc tantúm ultimum hominum genus pertinere, & hunc ultimum ſolũ modum exiſtendi in Eccleſia comprehendere. Quod perinde eſt, ac ſi quis hominem non ex anima & corpore, quæ ſunt eſſentiales ejus partes, ſed ex capillis, aut unguibus, aut malis humoribus, & excrementis definiat. Hoc plané modo Bellarminus Eccleſiam definivit. Ita ſuam ipſe definitionem ſuſtulit, eamque nullam eſſe fatetur; ut qui concedat, non veram Eccleſiam, ſed veræ Eccleſiæ malos tantúm humores, & quaſi excrementa quædam

dam á ſe definiri. Eſt præterea aliud egregium vitium in Bellarmini definitione. Nam Eccleſiã ille Catholicam definit, & tamen prætermittit illos omnes, qui in cœlis cum Chriſto triumphant; quos tamen maximam eſſe & glorioſiſſimam Eccleſiæ Catholicæ partem conſtat. Illos enim ad Eccleſiam Catholicam pertinere, vel ex Papiſtarum ſententia appareret, qui Eccleſiam Catholicam in militantem & triumphantem dividunt. At definitio ſemper æquè latè patere debet, atque ipſum definitum. Bellarminus verò militantem Eccleſiæ partem definitione ſua complexus eſt, eamque etiam non rectè definivit; partem verò maximam, maximeque glorioſam prætermiſit. Atque ita illorum quæ ſit definitio, accepiſtis; nunc ad noſtram definitionem veniamus.

Stapletonus controverſ. 1. lib. 1. cap. 3. de princip. doctrin. quinque errores Proteſtantium circa Eccleſiæ definitionem recenſet, & noſtram in definiendo inconſtantiam perſtringit. *Primus* error eſt, quód Eccleſiam ex ſolis electis conſtare dicimus. *Secundus*, quód ex ſolis actu bonis. *Tertius*, quód non niſi perfectorum Eccleſiam eſſe dicimus, ut Anabaptiſtæ. *Quartus*, quód Eccleſiam paucorum eſſe dicimus. *Quintus*, quód occultam dicimus eſſe. Sic Bellarminus lib. 3. de Eccleſia cap. 2. de noſtrorum hominum definitionibus ſermonem faciens, ait ſe quinque diverſas hæreticas opiniones de Eccleſia obſervaſſe. *Prima* eſt, Eccleſiam Catholicam eſſe prædeſtinatorum tantúm congregationem; eamque Wicleffi, & Johannis Huſſii ſententiam fuiſſe affirmat. *Secunda* eſt, quód ſit perfectorum tantúm, & nullum peccatum habentium multitudo. Sic olim (inquit)

Pelagiani, & hodie Anabaptistæ. *Tertia* est, quód sit justorum tantúm, eosque justos definit, qui nunquam lapsi sunt circa fidei confessionem. Sic olim Novatiani (inquit) & Donatistæ. *Quarta* est, Ecclesiam esse congregationem sanctorum, qui veré credunt, & obediunt Deo, atq; hanc Confessionistarum opinionem esse dicit, nos autem intelligit. *Quintam* ait esse Calvini, quasi ex his omnibus conflatam, esse scilicet numerum prædestinatorum, justorum, & sanctorum tantúm. Et sic nos quidem dicimus. At hæc sententia nihil differt á prima, tertia, & quarta. Eodem enim modo, quoad substantiam, definitur Ecclesia in his omnibus definitionibus; licet aliqua in verbis differentia sit. Sed nos justos non sumimus, ut Novatiani; nec perfectos, ut Pelagiani. Calumnia hæc tantúm est Adversariorum. Non est ergo quód nobis inconstantiá objiciat Stapletonus. Idem enim omnes sentimus; Ecclesiam illam sanctam, Catholicam, quam in Symbolo profitemur, cui tam multa in Scripturis privilegia tribuuntur, & de qua nunc disputamus, ex nullis impiis, aut reprobis, sed ex solis electis, justis, sanctis, & prædestinatis constare. Atq; hæc omnia vocabula eodem recidunt. Sed cúm Adversariorum definitionem respuimus atque rejecimus; æquum nunc est, ut nostram proponamus. Neq; hîc necesse erit accuratam aliquam & elaboratam definitionem in medium afferre. Ista quæ diximus, ad statum controversiæ cognoscendum sufficiunt. Quanquam si quis desideret definitionem aliquam, sic nos nostram Ecclesiam Catholicam definimus; Ecclesia Catholica, est cœtus hominum sanctorum, quos ab æterno Deus in Christo elegit ad vitam æternam. Hæc summatim Ecclesiæ naturam explicat

explicat & proponit. Alii fuſiús definiunt, & aliis verbis, ſed in re ac ſententia nihil intereſt. Hæc definitio omnes profanos, hypocritas, reprobos excludit. Nullos enim recipit & in Eccleſiam Catholicam admittit, niſi electos *& ſanctos*, ad quos regni cœlorum hæreditas pertinet. Electi veró nulli perire poſſunt. Sed non anté tamen ſunt Eccleſiæ membra, quám vocantur, & fide donantur; ut Paulus cúm vocatus eſt, tum factus eſt membrum veræ Eccleſiæ. Et ſic Deus omnes quos prædeſtinavit & elegit, ad ſe vocat, & in Eccleſiam inducit ſuo tempore. Nunc noſtrarum opinionum *ἀπόφασιν* & *ἀπόθεσιν* videtis. Illi dicunt pertinere ad Eccleſiam non prædeſtinatos, peccatores manifeſtos, infideles occultos; ſi modó Sacramenta habeant, fidem profiteantur, & legitimis Paſtoribus ſubjiciantur: non pertinere veró eos, qui ſunt aut non baptizati, aut excommunicati, quantumvis vera fide & aliis virtutibus prædíti fuerint, quod fieri poteſt. Nos contrá dicimus, non pertinere ad Eccleſiam non prædeſtinatos, aut peccatores manifeſtos, aut infideles occultos; quantumvis externam habeant profeſſionem, & Sacramentorum uſum, & ſubjiciantur legitimis Paſtoribus; pertinere veró non baptizatos & excommunicatos, ſi modó credant Evangelio. Omnes enim fideles eſſe dicimus, qui ad Eccleſiam pertinent, nullos eſſe infideles. Et de ſtatu quæſtionis hactenus, nunc ad disputationem veniamus.

CAPUT QUARTUM.

In quo Bellarmini argumenta diluuntur, quibus probat, omnes non baptizatos ab Eccleſia excludi.

BEllarminus disputationem ſuam in membra quædam diſtribuit. *Primó* enim probat, non ba-

ptizatos omnes ab Ecclesia Catholica excludi, *deinde* hæreticos omnes & Apostatas, *tertió* omnes schismaticos, *quartó* omnes excommunicatos, *quintó* probat, ad ecclesiam Catholicam pertinere etiã reprobos & magnos peccatores, & occultos infideles. Quod verò probat, hæreticos, & Apostatas, & schismaticos non esse membra veræ Ecclesiæ, hoc nihil ad nos, neque ad istam quæstionem pertinet. Nemo enim nostrûm hoc unquam affirmavit. Ergo prætermitti isti omnes á nobis possunt. Quanquam sunt Papistæ aliqui, qui & hos etiam ad ecclesiam pertinere affirmant. Nam Alphonsus de Castro in lib. 2. cap. 24. de justa hæreticorum punitione, hac de re in hunc modum scribit, *Ego fateor quidem* (inquit,) *& (meo quidem judicio) negari non potest, hæreticum esse partem Ecclesiæ, & membrum illius, & non esse omnino ab illa separatum; quia etsi fidem non habeat, habet tamen characterem Baptismalem, quo durante semper erit membrum Ecclesiæ.* Si quisquam nostrûm sic scripsisset, quis illorum clamores & contumelias ferre potuisset? Quis enim sanæ mentis sic scriberet, si modó cogitaret, quid scriberet? Hæreticus non separatur ab ecclesia (inquit Alphonsus) quamdiu character Baptismalis durat, hoc est, nunquam separatur. Nam ille character indelebilis est, & semper durat juxta illius opinionem; in qua etiam sententia alii Papistæ sunt; ergo secundúm illos, hæretici perpetuó erunt membra Ecclesiæ Catholicæ. Sed non affirmat quisquam nostrûm tale quicquam, ac proinde istam partem disputationis Bellarminianæ omittemus. Nunc ad reliquas partes veniamus, & quomodo probet, omnes non baptizatos & excommunicatos, quantumvis fideles, non esse de ecclesia; & non solos prædestina-

deſtinatos, ſed & magnos peccatores, & occultos infideles ad eccleſiam pertinere, videamus.

Capite tertio Bellarminus de non baptizatis disputat: & illos, quantumvis vera fide præditi ſint, non eſſe tamen de Eccleſia, probat. Non multis hac de re contendemus, quia hoc non eſt præcipuum caput hujus quæſtionis. Sed tamen ut noſtram Eccleſiæ definitionem tueamur, & Papiſtarum evertamus, etiam aliquos non baptizatos, ſi modó credant, eſſe de Eccleſia demonſtrabimus. Sunt igitur non baptizatorum duo genera. Alii fidem omnino contemnunt, & á religione prorſus alieni ſunt, quos Apoſtolus τὺς ἔξω vocat, 1. Cor. 5. 12. qui aut nullam religionem, aut certé non Chriſtianam amplectuntur. Hujusmodi non baptizatos nos non intelligimus. Nam hos non eſſe de Eccleſia, quis dubitat? Alii veró ſunt, qui etſi nondum externum Baptiſmi ſacramentum ſuſceperunt, tamen interna fide præditi ſunt. Atque tales omnes eſſe membra veræ Eccleſiæ affirmamus. Hoc Bellarminus improbat, ſed quibus argumentis, nunc videamus. Catechumeni (inquit) non ſunt in Eccleſia actu & proprié, ſed tantúm in potentia. Hîc ſtatum quæſtionis mutat, quando de iis tantúm disputat, quos Catechumenos vocamus. Nos enim non dicimus, omnes Catechumenos eſſe de Eccleſia; qui ne omnes quidem, qui ordine ſunt ſuperiores Catechumenis, de Eccleſia eſſe concedimus. Sed Catechumenos, ſi modó credant, eſſe veræ & Catholicæ Eccleſiæ membra, contendimus. Nunc quemadmodum ille probet, nullos Catechumenos eſſe de Eccleſia, audiamus.

Primum argumentum profert ex Act. 2. 41. *Qui ergo*

 Ex quibus hominibus receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt Eccleſiæ in die illa animæ circiter ter mille. Ex quo concludit, illos ter mille homines, antequam baptizati erant, non fuiſſe de Eccleſia. *Reſpondeo primó:* Non ſequitur ex hoc loco, nullos non baptizatos cenſeri in Eccleſia; quia Lucas ait, eos qui receperunt verbum, baptizatos eſſe; & tum ſubjungit, addita eſſe Eccleſiæ quaſi tria millia hominum: Non enim eſt neceſſe, ut ſic interpretemur locum, ac ſi tum primúm Eccleſiæ additi ſint illi homines, cúm baptizati ſunt. Sed poſtremum membrum referri poteſt ad primum, ut ſenſus ſit, ad Eccleſiam additos eſſe, qui ſermonem receperunt. Nam qui recipiunt verbum ex animo, ii in Eccleſiam cooptantur, atque iſtam cooptationem Baptiſmus confirmat. Non ergo facit Baptiſmus, ut homines primó ad Eccleſiam apponantur, & de Eccleſia ſint; ſed in Eccleſiam receptos confirmat. Sed *ſecundó* reſpondeo: Evangeliſtam loqui de particulari illa Chriſtianorum Eccleſia, quæ erat illo tempore Hieroſolymis; quæ primó ex paucis conſtabat, nempe ex centum & viginti tantúm, ut patet Act. 1. 15. poſtea veró Petrus hac ſua prima concione, cujus mentio fit Actor. 2. eam acceſſione iſta hominum ter mille auxit. Et certé fieri poteſt, ut horum aliqui, etſi quoad externam profeſſionem in Eccleſiam illam particularem cooptarentur, non tamen veræ & Catholicæ Eccleſiæ membra fuerint. In horum enim numero Nicolaum illum fuiſſe ſuſpicari poſſumus, qui poſtea defecit; ex quo Nicolaitæ dicti ſunt. Acceſſiſſe veró dicuntur ad Eccleſiam, & illi adjecti fuiſſe, quia tum primúm nomina Chriſto dederunt, & pleriq; eorum procul dubio fide vera præditi fuerunt. Itaque ad nos non perti-

pertinet hoc argumentum, neq; iſtam quæſtionem attingit. Noſtra enim hæc quæſtio eſt non de Eccleſia aliqua particulari, ſed de Catholica Eccleſia. Nos baptizatos omnes in particularem aliquam Eccleſiam recipi fatemur, á qua ante Baptiſmum excluſi ſunt; ſed non neceſſarió ad Catholicam Eccleſiam pertinere baptizatos omnes dicimus, nec ab ea excluſos eſſe omnes non baptizatos. Baptiſmus admittit in Eccleſiam particularem; ſed in Catholicam Eccleſiam poteſt aliquis ſine Baptiſmo admitti, ut alibi fuſiús docebimus. Præterea in Eccleſia particulari ſunt multi hypocritæ; in illa ſanctá Catholica Eccleſia nullus eſt hypocrita. Eſt igitur hæc fallacia ὁμωνυμίας, dum cœtum externum particularem pro Catholica Eccleſia ſumit.

Secundum Bellarmini argumentum ab authoritate Concilii Florentini ſumtum eſt; quod tamen apud nos non magnam authoritatem habet; quia recens fuit, & Antichriſtianum. Sed quoniam veram ſententiam habet, reſpondebimus. Affirmat hoc Concilium in inſtructione Armenorum, homines fieri membra Chriſti, & de corpore Eccleſiæ, cúm baptizantur: ergo qui non baptizantur, non ſunt membra Chriſti, nec de Eccleſia. *Reſpondeo primó:* Non ſequitur hoc argumentum: Qui baptizantur, fiunt Chriſti membra & Eccleſiæ; ergo nulli non baptizati ſunt Chriſti & Eccleſiæ membra. Similiter enim ex Paulo ratiocinari poſſemus in hunc modum. Paulus ait, Qui comedunt panem hunc, ſacramentalem ſcilicet & ſpiritualem, unum cum Chriſto corpus fiunt: ergo qui non comedunt, ab ejus corpore omnino ſunt disjuncti. At ipſi Papiſtæ hoc argumentum non probarent. Fatentur enim, infantes

baptizatos esse unum cum Christo corpus, licet illum panem nequaquam comederint. *Secundó respondeo:* Baptismus dicitur facere nos membra & particularis & Catholicæ Ecclesiæ, sed diverso modo. Particularis proprié, quia in externam Ecclesiæ societatem recipimur, cúm baptizamur, cujus antea membra non fuimus. Catholicæ veró Ecclesiæ & Christi membra facere dicitur non proprié, sed μετωνυμικῶς, quia Sacramentum est hujus beneficii, nostramq; in Christo adoptionem nobis confirmat atque obsignat. Est enim Sacramentum (ut loquitur Paulus Rom. 4. 11.) σφραγὶς τῆς δικαιοσυνῆς τῆς πίστεως, *sigillum justitiæ fidei.* At Baptismus non facit nos primó & proprié membra Christi & Ecclesiæ Catholicæ, sed spiritualis gratia. Absit, ut quisquam illud tribuat externo sacramento, quod ad spiritualem gratiam pertinet. Non tamen interim Baptismum inane & nugatorium esse signum illius beneficii dicimus; sed efficax & verum, iis nimirum omnibus, qui credunt. Si Concilium igitur de primo modo loquatur, hoc nihil ad causam facit. Si de secundo, nos dicimus, externum Baptismum non esse id proprié, quod nos primó facit CHRISTI & Ecclesiæ membra, sed quod nos tales esse confirmat, & nobis jus illud obsignat. Et de hoc quidem argumento satis multa diximus.

Tertium veró Bellarmini argumentum ex Patrum testimoniis sumitur, Nazianzeni, Chrysostomi, Tertulliani, Cyrilli, & Augustini, quibus breviter respondebo. *Primum* testimonium est Nazianzeni in oratione seu libro de sancto Baptismo, ubi ait, *Catechumenum esse in vestibulo pietatis; nec adhuc fidelem vocari posse, nisi intus ingrediatur per Baptismum*; ergo non bapti-

baptizatus non eſt verum membrum Eccleſiæ. *Reſpondeo:* Nazianzenum non id dicere, omnes Catechumenos excluſos eſſe á ſpe ſalutis, ſed loqui tantũ de externo ſtatu atque ordine Eccleſiæ, de variis ſcilicet ordinibus Eccleſiaſticis, qui tunc temporis in Eccleſia erant. Nam alii erant Catechumeni, alii perfecti Chriſtiani, (ut vocabantur) alii pœnitentes, alii orantes, alii energumeni. Secundúm hanc diſtinctionem fateor Catechumenos fuiſſe tantúm in veſtibulo Eccleſiæ, & cúm baptizati ſunt, tum in fidelium numerum admiſſos fuiſſe. Sed ego loquor de Catholica Eccleſia, in qua nullũ tale veſtibulum eſt; ſed qui credunt, ſtatim fiunt membra illius Eccleſiæ. Hoc ergo teſtimonium nihil contra nos facit. Loquitur enim Nazianzenus de particulari Eccleſia, nos verò de Catholica. *Secundum* teſtimonium eſt Chryſoſtomi in homil. 24. in Johannem, ubi ait, *Catechumenum alienum eſſe á fideli, & ab eo diſtinguendum eſſe, & nihil cum eo commune habere, non civitatem, non menſam, &c. Reſpondeo*, ut ad Nazianzenum antea. Illi ordines erant diſtincti, Catechumenorum ſcilicet & fidelium, ſecundúm externam Eccleſiæ politiam. Catechumeni non erant fideles, hoc eſt, non erant in fide perfectè inſtituti; atque ita nondum erant membra Eccleſiæ illius particularis, in qua inſtituti fuerunt, aut in illam per Baptiſmum admiſſi, ſed potuerunt tamen interim Eccleſiæ Catholicæ membra eſſe. *Tertium* teſtimonium eſt Tertulliani in libr. de præſcript. adverſ. hæretic. ubi hoc in hæreticis reprehendit, quód *non diſtinxerint Catechumenos á fidelibus. Reſpondeo:* Et hoc quidem reprehenſione dignum fuit. Nam in externa Eccleſiæ politia diſtinguendi

omnino fuerunt Catechumeni á reliquis. Priús enim erudiendi erant homines, & priús progreſſus aliquos feciſſe debuerant in cognitione Chriſtianæ religionis, aut ſaltem principiorum fidei, quám erant in Eccleſiam admittendi & baptizandi. Hujus ordinis nullam prorſus rationem habuerunt hæretici illi, de quibus Tertullianus loquitur, ac proinde illos meritó reprehendit. *Quartum* teſtimonium eſt Cyrilli in lib. 12. in Johan. cap. 50. Quo in loco docet Cyrillus, *Catechumenos apud Chriſtianos ſimiles eſſe iis, qui incircumciſi erant apud Judæos.* Quemadmodum ergo incircumciſus non debuit de agno Paſchali comedere; ita Catechumeni cœnam Dominicam non debent participare. *Reſpondeo:* Ego iſtam ſimilitudinem non improbo. Incircumciſus revera non erat in externo cœtu Eccleſiæ Judaicæ: ſic non eſt Catechumenus in externa ſocietate Chriſtianæ Eccleſiæ; Incircumciſo non licuit agno Paſchali veſci, ita nec Catechumenus eſt ad cœnam Dominicam admittendus. At interim Catechumenus, ſi ſit fidelis, eſt membrum Eccleſiæ Catholicæ; & ſic olim incircumciſi aliqui ad Eccleſiam Catholicam pertinebant, ut Naaman, Job, & alii. Nos fatemur, ordinem & politiam in Eccleſiis particularibus locum habere oportere. *Quintum* teſtimonium eſt Auguſtini in tract. 4. in Joh. ubi diſtinguit Catechumenos á fidelibus. *Reſpondeo:* Eodem pertinent hæc omnia. Diſtinguit Catechumenos á fidelibus, prout erant aliqui in ordine Eccleſiaſtico, qui Catechumeni, alii qui fideles vocabantur. Sed tamen inter hos, qui fideles communiter appellantur & habentur, multi ſunt hypocritæ, qui nulla fide prædíti ſunt. Et Auguſtinus ipſe, qui hos á ſe invicem diſtinguendos eſſe ait,

ait, non modó ait, Catechumenos quosdam eſſe in Eccleſia; ſed eos quoque multis, quos vocat fideles, quiáque in Eccleſiæ gremio eſſe videntur, præfert in eodem tractatu. Hæc ejus verba ſunt: *Futuri erant aliqui in Eccleſia excelſioris gratiæ Catechumeni. Fit enim aliquando, ut videas Catechumenum abstinentem ab omni concubitu, vale facientem ſeculo, renunciãtem omnibus quæ poſſidebat, & distribuentem pauperibus, & Catechumenus eſt. Inſtructus eſt etiam forté doctrina ſalutari ſupra multos fideles.* Hæc Auguſtinus.

Quartum & poſtremum Bellarmini argumentum á ratione ſumitur, eſtque hujusmodi. Catechumeni non habent jus ad ulla Sacramenta, nec ad alia, quæ ſunt communia univerſæ Eccleſiæ; non igitur actu & proprié ſunt de Eccleſia. Reſpondeo *primó*: Quod ait, eos ad nulla Sacramenta jus habere, hoc falſum eſt. Si enim in religione Chriſti inſtituti fuerint, habent jus ad Baptiſmum, repelli non debent. *Secundó* reſpondeo: Etſi ab externa Sacramentorum perceptione ſecundúm externam Eccleſiæ diſciplinam prohibeantur: tamen ſi credunt, habent jus ad regnum cœlorum, & ſervari poſſunt; & hoc credo eſſe aliquid, quod ad totam Eccleſiam pertinet. Sunt ergo membra Eccleſiæ Catholicæ. Eſt quidem, fateor, ordo Eccleſiaſticus ſervandus, ut adulti non baptizentur, niſi priús in fide inſtituti fuerint, & nulli ad cœnam Dominicam admittantur, niſi priús baptizati. Interim cúm primúm crediderint, Chriſto donati ſunt, & in ejus veram Eccleſiam collecti. Videtis, & Eccleſiæ & fidelium æquivocationem eſſe in hoc argumento. Atque hæc ſunt omnia Bellarmini hac in parte argumenta.

CAPUT QUINTUM.

In quo probatur, Catechumenos fide præditos ad Ecclesiam pertinere.

NOn baptizatos omnes excluſit Adverſarius ex eccleſia Catholica. Cujusmodi ſint argumenta, quibus hac in parte utitur, accepimus. Omnia certé vitioſa. Peccant enim omnia in homonymia vel eccleſiæ, vel fidelium. Me nunc oportet unico argumẽto demonſtrare, aliquos Catechumenos, ſive non baptizatos, de eccleſia Catholica eſſe, & ad eam pertinere; illos nimirum, qui vera fide prędíti ſunt. Nam hanc partem poſtea aliis argumentis probabimus. Sic igitur argumentum inſtituo. Catechumeni, ſi credant, poſſunt in eo ſtatu ſervari; ergo ſunt de eccleſia. Syllogiſmus hujusmodi confici poteſt. Omnes qui ſervantur, ſunt de eccleſia; at aliqui Catechumeni ſervantur; ergo aliqui Catechumeni ſunt de eccleſia. Propoſitionem Adverſarii non negabunt. Fatẽtur enim, extra eccleſiam ſalutem nullam aut ſperandam, aut omnino expectandam eſſe. Hoc illorũ axioma eſt. Quod ad minorem attinet, ait Bellarminus *primó*, Authorem libri de eccleſiaſticis dogmatibus cap. 74. apertè reſpondere, Catechumenos non ſalvari. *Reſpondeo*: Fateor, ejusmodi verba haberi apud Authorem illum. Sed quorſum hunc Authorem introducit Bellarminus? Num ipſe hanc opinionem recipit? Nequaquam. Ait enim, hoc nimis durũ eſſe. Et eſt ſanè. At Auguſtinus fuit in hac opinione, ne dicam hæreſi. Sed ille, homo cúm eſſet, errare potuit. Hæc verò ſententia, & cum veritate ipſa, & cum aliorum authorum opinione pugnat. Ambroſius enim in libro de obitu Valentiniani, non mi-

nús

nús diſerté affirmat, quosdam Catechumenos ſervari poſſe, de quorum numero Valentinianum fuiſſe ait, quem ille ibidem pluribus verbis laudat. Cum Scripturis veró pugnat apertiſſimé. Nam Chriſtus ait Mar. 16. 16. non, Qui non baptizantur, ſed, *Qui non crediderint*, condemnari. Et idem in Evangelio ait, *Fides tua te ſalvum fecit*: &, *Qui crediderit, habet vitam æternam*: &, *Quisquis in illum credit, eum non perire, ſed vitam æternam habere.* Qui credit igitur, ſalvus erit, quicunque tandem fuerit, ſive in Baptiſmo, ſive extra Baptiſmum, modó ſine contemtu. Nam hoc eſt, quod Auguſtinus ait tractat. 4. in Johan. Catechumenis eſſe pernicioſum, ſi dedignentur ad Baptiſmũ venire. Non enim privari Baptiſmo, ſed contemnere Baptiſmum, exitioſum eſt, ut rectè Bernardus, & alii. Sed progreditur Bellarminus, & ait, Melchiorem Canum huic argumento in hunc modum reſpondere, Catechumenos ſcilicet non eſſe de Eccleſia, quæ eſt proprié Chriſtiana, ſed eſſe de Eccleſia, quæ comprehendit omnes fideles ab Abel uſque ad mundi conſummationem, ac propterea ſalvari poſſe. *Reſpondeo*: hoc omnino idem eſſe, quod nos dicimus, Catechumenos fideles eſſe de Eccleſia Catholica. Nam hæc Catholica Eccleſia eſt, quæ continet numerum eorum, qui ſervantur ab Abele uſque ad finem mundi, ad quam nos Catechumenos vera fide præditos pertinere dicimus. Ita Canum videtis nobiscum ſentire. Quod veró negat Canus hanc eſſe proprié Chriſtianam Eccleſiam, in eo longé fallitur. Etſi enim vetus illa Judæorum Eccleſia non eſt dicta Chriſtiana; tamen erat proprié Chriſtiana, & Chriſtiana veré dici potuit.

Abel enim fuit Christianus; sic Noah, sic Abraham, sic Moyses, sic Israëlitæ. Habuit illa Ecclesia nullum aliud caput, quám Christum; quidni ergo Christiana dici possit? Deinde post Christum (ut ipse Bellarminus fatetur) Ecclesia nulla vera est, nisi quæ proprié dicitur Christiana; ac proinde Cani responsio ad nostra tempora accommodari non potest; quia si Catechumeni nunc de hac Ecclesia non sunt, de nulla omnino Ecclesia esse possunt. Itaq; Bellarminus statuit, istam Cani responsionem non esse satis firmã. Videtis ut Papistæ ipsi propria figmenta tollant. Videamus ergo tandem, quid ipse respondeat, & quam hujus argumenti solutionem adhibeat. Ille veró ait, Catechumenos vera fide præditos, esse in Ecclesia, licet non re & actu, tamen voto & potentiâ; & posse aliquem servari, si voto tantúm & desiderio sit in Ecclesia, licet re & actu non sit. Videte fraudem Jesuitæ; Mutavit, *esse de Ecclesia*, in, *esse in Ecclesia*. Non audet (credo) negare illos esse de Ecclesia. Sed nos dicimus & de Ecclesia Catholica esse, & esse in Ecclesia Catholica; idque non voto tantúm, sed re & actu; quod hoc modo confirmamus. Quicunque servantur, ii sunt re & actu in Ecclesia: at Catechumeni fideles servantur; ergo sunt re & actu in Ecclesia. Nam quicunque servantur, ab hoc mundo evocati sunt. Ecclesia enim est cœtus hominum é mundo evocatorum; quod ne Adversarii quidem ipsi negabunt. Jam veró quó quæso vocantur? quó migrant? quó transeunt? certé in Ecclesiam; ergo in Ecclesia actu sint necesse est, quicunq; servantur. Præterea, qui servantur, Christo dati sunt, & Christo sunt insiti, ut palmites viti; at tales re & actu, non voto tantúm & potentiâ, in Ecclesia esse necesse est. Re enim & actu sunt membra

membra Chriſti; ergo re & actu ſunt membra Eccleſiæ: quia Eccleſia eſt corpus Chriſti. Ineptus ergo eſt & abſurdus Jeſuita, qui ſervari quenquam putat, qui non ſit re & actu, ſed voto tantúm & potentiâ in Eccleſia. Perinde enim eſt, ac ſi diceret, ſervatos fuiſſe quosdam in diluvio, qui non re, ſed voto tantúm in Arca fuerunt. At certum eſt, omnes periiſſe, & in aquis ſubmerſos fuiſſe, qui non actu & re in Arca fuerunt. Votum illis nihil profuit. Nam multi procul dubio optârunt ſe in Arca fuiſſe cum Noacho, qui tamen in aquis ſubmerſi ſunt. Similiter & illos omnes perire neceſſe eſt, quicunq; non ré & actu ſunt in Eccleſia, hoc eſt, in eorum numero, qui Chriſti corpus ſunt. Sed Bellarminus ait, ſimilitudines non convenire in omnibus. At hæc ſimilitudo per omnia convenit in hac parte, in qua fit comparatio, ut cuivis facilé patêre poteſt. Quód ſi iſtam ſimilitudinem non probat, nos alias proponemus. Nullum membrum vivit, niſi re & actu cum capite conjungatur, & ab illo vitam ſenſumq; hauriat; nec palmes fructum ferre poteſt, niſi actu & re in vite maneat: exareſcit enim ſtatim, ſi actu & re á vite fuerit pręciſus. Eodem plané modo, non poteſt quisquam á Chriſto vitam haurire, niſi re & actu cum illo conjunctus fuerit; quicunque veró cum Chriſto capite re conjungitur, is in membris ejus cenſetur, & tum in Eccleſia, quæ Chriſti corpus eſt, eum eſſe neceſſe eſt, ejusdemque corporis membrum actu & re eſſe. Fieri certé non poteſt, quin has ſimilitudines probet, quæ ex ipſis Scripturis deſumtæ ſunt. Ita argumentum neceſſarió concluſum eſt, Catechumenos credêtes in Chriſtum, Eccleſiæ Catholicæ membra eſſe; idq; non modó voto, ſed re & actu, ob eamq; cauſam non perire.

Bellarminus concedit non perire, sed negat esse in Ecclesia; quod quidem absurdum est atque incredibile. Perinde enim est, ac si dicat, aliquem servatum esse, qui non fuit in Arca; aut membrum posse haurire ex capite vitam, quod re non est cum capite conjunctum. Præterea debuit explicare, quem Baptismũ intelligat, num fluminis, an flaminis, an sanguinis. Hoc ille non explicavit. Sed intelligat necesse est Baptismum fluminis. De hoc enim Baptismo hæc quæstio instituitur, non de alio. At latroni nondum hoc Baptismo baptizato dixit Christus, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Num potuit esse in Paradiso cum Christo, qui non fuit priús in Ecclesia cum Christo? Nequaquam certé. Deinde quid de Martyribus respondebit, quorum multi fluminis Baptismum non receperunt? num illos ab Ecclesia excludet? At Augustinus in 74. cap. ejusdem libri de dogmatibus Ecclesiasticis (si Augustini liber ille sit, & non potiús alterius cujuspiam, quod multi putant) ait, Martyres etiam non baptizatos servari; itaque eos procul dubio de Ecclesia fuisse putavit. Nam Augustinus in illo libro ob eam causam putat Catechumenos non servari, quia non sunt in Ecclesia; at Bellarminus ait, servari posse, etsi non sint in Ecclesia; quod Augustino nunquam in mentem venit. Atque hac de re hæc dixisse sufficiat. Jam pergamus ad reliquas partes disputationis Bellarminianæ excutiendas, eodem ordine, quo ab illo proponuntur.

CAPUT SEXTUM.

In quo alia pars hujus Quæstionis tractatur, nempe, an excommunicati aliqui sint de Ecclesia.

NUnc deinceps de excommunicatis dicendum est, de quibus Bellarminus capite sexto agit. Excom-

Excommunicatos omnes ex Eccleſia ejectos eſſe, multis teſtimoniis nõ neceſſariis probat. Quis enim dubitat, excommunicationem eſſe pœnam, qua homines Eccleſiæ communione privantur? Sed Bellarminus non inſiſtit in cauſa, verúm extra oleas vagatur, quod dici ſolet; unde nullius plané momenti ſunt, quæ dicit, omnia. Nam huc ejus & argumenta & teſtimonia ſpectant univerſa, excommunicatos ejici ex Eccleſiis particularibus; quod certé negari non poteſt, ſive juſta excommunicatio fuerit, ſive injuſta. Sed nos dicimus, hominem injuſté excommunicatum, eſſe tamen veræ Eccleſiæ membrum; & á corpore Chriſti, hoc eſt, á Catholica Eccleſia non præcîdi, licet á particularis alicujus Eccleſiæ communione excludatur. Nam excommunicatorum duo genera ſtatuimus; alios juſté, alios injuſté excommunicari dicimus. Qui juſté excommunicantur, eos Satanæ traditos eſſe concedimus, non tamen poſſe proprié dici ejectos ex Eccleſia Catholica, quia excommunicatio non Catholicæ, ſed particularis Eccleſiæ cenſura eſt. Qui veró injuſté excommunicantur, eos dicimus nihil prorſus amittere, Satanæ traditos non eſſe, ſed adhuc Chriſto adhæreſcere, nec eſſe in deteriori ſtatu, quám priús fuerunt, ſed illos potiús, á quibus excommunicantur. At Bellarminus probare conatur, omnes excommunicatos, quocũq; tandẽ modo excõmunicentur, ſive juſté, ſive injuſté, ex eccleſia Catholica ejici; ſed argumẽto plané nullo. Nã ejus argumẽta non huc ſpectãt, quæ intelligũtur omnia de iis tantũ, qui juſté excõmunicãtur, de qua excõmunicatione nos nõ loqmur, & de excõmunicatione ex particularib. Eccleſiis, cũ q̃ſtio de Catholica eccleſia inſtituatur. Nõ eſt op' ergo, ut ad ſingula

ejus argumenta seorsim respondeamus. Esset enim labor, & infinitus, & inutilis. Quare hac generali responsione contenti erimus.

Jam verò nos argumenta multa habemus contra illum. Nam iisdem hîc argumentis uti liceret, quibus nostra Ecclesiæ definitio confirmatur, de quib. postea est agendum. Sed quædam ille argumenta in posteriori parte hujus capitis proponit, suæ opinioni contraria, & ea conatur refellere. Tria verò sunt numero, quibus quemadmodum satisfaciat, videamus.

Primum argumentum in hunc modum se habet. Potest homo excommunicatus retinere Baptismũ, & externam fidei professionem, & subjectionem prælatis suis legitimis, & esse amicus Dei, si nimirum sit injustè excommunicatus; & justè etiam excommunicatus potest pœnitentiam agere, & illa tria habere ante absolutionẽ; ergo aliquis excommunicatus est in Ecclesia, etiam manens excommunicatus. *Respondet* ille, talem esse in Ecclesia, animo, sive desiderio, non corpore, sive externa communicatione, quæ proprié facit hominem esse de Ecclesia ista visibili, quæ est in terris; atque hoc ipsum, nempe animo esse in Ecclesia, illi sufficere ait ad salutem. Jam istam responsionem examinemus. *Primó*, fatetur, injustè excommunicatos posse servari; & justè etiam excommunicatos, si pœnitentiam egerint, & tria illa habuerint, quæ prædicta sunt. Unde ego concludo, re & actu in Ecclesia esse; quia nemo servari potest, nisi re & actu sit in Ecclesia; quemadmodum antea probatum est. Sententia enim illius axiomatis (*Extra Ecclesiam nulla salus*) non est, ut Adversarius existimat, eos omnes servari, qui vel voto tantũ sunt in Ecclesia; sed eos tantúm, qui actu in Ecclesia sunt. Hæc enim

sunt

sunt reciproca. Quicunque servantur, sunt actu in Ecclesia; & econtra, quicunq; sunt actu in Ecclesia, servantur. Nam de electis nondum vocatis non dicimus, *servantur*, sed *servabuntur*. *Secundó*, Adversarius ostendit, se loqui de hac aut illa particulari Ecclesia, quando ait, illum qui excommunicatur, non esse in Ecclesia corpore, seu externa communicatione. Sūt enim illi corpore in Ecclesia, qui externam quandā societatem cum sanctis ineunt. Non ergo nostram sententiam oppugnat, qui dicimus, injustè excommunicatum habere internam communionem cum Catholica Ecclesia, & Christo. *Tertió*, in hac responsione pugnat ipse secum. Nam hîc duplicem Ecclesiam constituit, invisibilem, & visibilem; cum ait, hominem externa communicatione proprié fieri de Ecclesia visibili illa, quæ est in terris. Suprá dixit hoc ipso in libro, unam esse Catholicam Ecclesiam; nunc facit Ecclesiam visibilem, & invisibilem. Nam si corpore, & externa communicatione homo fit de Ecclesia visibili, tum animo & interna communicatione fit de Ecclesia invisibili; cumque hæc in terris Ecclesia sit visibilis, aliam Ecclesiam esse invisibilem in cœlis necesse est. Reprehendunt nos hoc nomine Papistæ, cumq; Ecclesiam visibilem ab invisibili distinguimus, nos dicunt Ecclesiam duplicem statuere. Ait autem hîc Bellarminus, externam communionem efficere hominem proprié de Ecclesia visibili. Distinguit ergo ille Ecclesiam visibilem: á qua quęso Ecclesia, nisi ab invisibili? Tamen illi tenent, totā Ecclesiam Catholicam esse visibilem, ut postea patebit, cúm ad hanc quæstionem ventum fuerit, utrúm Ecclesia sit visibilis, nec ne; ubi de hac distinctione visibilis & invisibilis Ecclesiæ plura dicentur.

Interim videmus, vel ipsâ Bellarmini confessione. Ecclesiam non minús benè in visibilem & invisibilē dividi, quám in militantem & triumphantem; nec magis duplicem á nobis Ecclesiam statui, cúm dicimus, aliam visibilem, aliam invisibilem esse; quám ab illis, cúm Ecclesiam in militantem & triumphantem distribuunt.

Secundum argumentum, cui respondet Bellarminus, sumitur ex Augustino in libro contra Donatistas, post collationem, cap. 20. quo in loco sic scribit Augustinus: *Neq; enim á populo Dei separamus, quos vel degradando, vel excommunicando, ad humiliorem pœnitendo locum redigimus.* Augustinus hîc ait, eos qui excommunicantur, non separari á populo Dei, id est, Ecclesia. *Respondet* Bellarminus dupliciter. *Primó* ait, se suspicari locum esse corruptum, & sic legendum esse, *Neq; enim á populo Dei non separamus.* *Respondeo*: Libri non differunt, & ratio ipsa reclamat. Nam de degradatione etiam loquitur; at ne ipsi quidem dicent, omnes qui degradantur, á populo Dei, hoc est, ab Ecclesia continuó separari. Possunt enim degradari, & in Ecclesia tamen tolerari. Qui degradantur tantúm, in Ecclesia postea vivere permittuntur. *Secundó* ait, si locus non sit corruptus. per populum Dei hîc intelligi, non solam Ecclesiam militantem, sed numerum omnium salvandorum. *Respondeo*: Hic ergo Augustini sensus est, eos qui excommunicantur, non excludi á numero eorum, qui servantur; & numerum eorum, qui servantur, esse solam veram Catholicam Ecclesiam, nos postea probabimus. Ita Augustinus idem plané dicit quod nos.

Tertium argumentum sic se habet. Excommunicatio

nicatio est medicina quædam spiritualis, ad utilitatē eorum instituta, qui excommunicantur; itaque non ejicit homines ex Ecclesia; hoc enim nō esset sanare, sed perdere. *Respondet* Bellarminus: Etsi excommunicatio homines abscindit ab Ecclesia; tamen nō aufert potentiam, qua possunt inseri in Ecclesiam iterum. Iterum enim inseri possunt, si pœnitentiam agere voluerint. Sed quæro, num qui excommunicatur, tum fuerit membrum Christi, quando excommunicatur? Si non sit membrum, tum non potest per excommunicationem abscindi. Si esse dixerint, tum quęro, quo jure quisquam possit verum membrum Christi á corpore Christi abscindere? Hóccine est sanare membrum? Num sic solet medicus ægroto mederi? num ægrum & languidum mēbrum curaturus abscindit? Hoc quidem esset hominem interficere, & é medio tollere, vivum membrum á vivo corpore abscindere. Bonus agricola non solet frondem aut palmitem abscindere, ut uberiores fructus ferat; sic enim nulla arte vitam illi poterit restituere. Similiter si medicus digitum vel manum á corpore abscindat, nulla arte potest efficere, ut idem membrum postea eidem corpori coalescat, ut priús. Jam veró, ut palmes á vite sejunctus, & membrum á corpore abscissum interit; ita quisquis á Christo præcisus fuerit, eum interire necesse est. Ergo qui excommunicatur, non abscinditur á corpore Christi, sed á particulari aliqua Ecclesia, ex qua ejici potest, & tamen esse interim de corpore Christi. Præciditur quidē ab externa hac societate, ut hoc modo ad pœnitentiá pducatur; sed si Christi verū membrū sit, ab homine p̄cidi nō potest. Nā á Christo nemo tollit aliquem, aut tollere omnino potest.

Atque hæc sunt omnia illa argumenta, quæ apud Bellarminum habentur, quæque ille refellere conatur. Nos autem multó plura habemus; sed ego unum tantúm, aut alterum urgebo, ne sim in hac causa prolixior, quám res postulat. Quid? nónne Christus ipse fuit judicio sententiaque Ecclesiæ Judaicæ excommunicatus? Certé legimus Johan. 9. 22. excommunicatos fuisse omnes, qui Christum professi sunt; ergo Christum ipsum ab illis excommmunicatum fuisse, nemini dubium esse potest. Nónne cæcus ille vera fide præditus, cujus in eodem capite mẽtio fit, fuit excommunicatus? Nónne Apostolis suis prædixit Christus, fore ut essent ἀποσυνάγωγοι? Num aut Christus, aut cæcus ille, veré ex Ecclesia vera ejectus fuit? Sed forsan dicet aliquis, non fuisse hanc veram Ecclesiam, á qua Christus excommunicatus fuit. Nos quidem id veré dicimus; at illi hoc dicere nõ possunt, qui Synagogam veram fuisse Ecclesiam affirmant, antequam Christiana Ecclesia cœperit. Sed quæro ab illis, quando Christiana Ecclesia incepit? *Respondent* Posnanienses thes. 2. incepisse die Pentecostes, cúm Spiritus super Apostolos descendit. Stapletonus veró lib. 2. cap. 11. de princip. doctrin. ait, incepisse statim post Christi passionem, antea veró Synagogam fuisse veram Ecclesiam. Itaque cap. 12. ejusdem libri ait, illam Synagogæ sententiam, qua Christus est damnatus, verissimam fuisse. Ergo vera etiam & legitima fuit hæc sententia, qua Christus, & cæcus ille, ab eadem Synagoga fuerunt excommunicati. Quod si verum sit, Christus veré ex vera Ecclesia ejectus est. Nam Stapletonus ait, fuisse adhuc veram Ecclesiam, ac proinde errare non potuisse. Impius veró glossator Gratianus parte 1. dist. 13. capite

Item

Item adverſus, affirmat, Judæos graviter fuiſſe peccaturos, niſi Chriſtum condemnâſſent. Sed hac de re plura nobis poſtea ſunt dicenda. Et de hoc argumento iſta dixiſſe ſufficiat.

Huic veró aliud adjungam, quod in hunc modum inſtituo. Aliquis excommunicatus, ab Eccleſia triumphante non ſeparatur; ergo nec ab Eccleſia militante. Antecedens patet, quia aliquis excommunicatus poteſt eſſe amicus Dei, ut Bellarminus ipſe antea conceſſit. At amicus Dei, ſi amicus permanſerit, non poteſt á triumphante Eccleſia ſeparari. Nam Deus non damnat, aut ejicit amicos ſuos. Conſequentia etiam patet, quia Bellarminus ipſe ait in ſuperiori capite, neminem ſeparari ab una, qui non ſeparatur ab altera; quia (inquit) Eccleſia triumphans & militans non modó unita, ſed & una eſt. Unde mihi liceat obiter aliud argumentum elicere contra Adverſarios in hunc modum. Omnes impii ſeparantur ab Eccleſia triumphante: ergo á militante etiam Eccleſia ſeparantur; etſi in externa fidelium ſocietate verſentur. Si enim utraque Eccleſia una ſit; qui ab una ſeparantur, ab altera etiam ſeparentur neceſſe eſt. Ita captus eſt verbis oris ſui. Suam ipſe definitionem imprudens evertit. Sed eam poſtea fortiús fortaſſe corroborabit. Atque de hac quidem parte hujus quæſtionis non eſt quód plura dicamus.

CAPUT SEPTIMUM.

In quo argumenta Bellarmini diluuntur, ex ſcripturis deſumta, quibus probat, Eccleſiam Catholicam conſtare ex electis & reprobis ſimul.

PErvenimus jam ad præcipuam hujus quæſtionis controverſiæq; partem. Hactenus velitati tantú

sumus. Jam verò totis viribus est dimicandum. Bellarminus capite septimo probare conatur, Ecclesiã non ex solis prædestinatis, sed ex reprobis & electis simul constare. Nos contrà, non ex reprobis, sed ex solis prædestinatis constare Ecclesiam dicimus. Quam nostram opinionem Pontificii in Concilio Constantiensi damnârunt, & propter eandem virum illum bonum Johannem Hussium morte mulctârũt. Illi hanc esse hæresin clamant, nos esse ipsissimam veritatem contendimus. Quibus argumentis utatur hac in parte Adversarius, jam videamus; & primò illa, quæ ex Scripturis desumta sunt, quæ quidem aut parabolæ sunt, aut alia testimonia.

Prima parabola habetur Matth. 3.12. *Cujus ventilabrum in manu ipsius, & permundabit aream suam, & coget triticum suum in horreum, paleas verò exuret igni inextinguibili.* Areæ nomine Ecclesiam intelligi ait Adversarius, idque verè; in hac esse bonos & malos; quia triticum bonos, paleæ verò malos & reprobos significant. Sunt enim paleæ in ignem conjiciendæ; at nulli prædestinati sunt in ignem conjiciendi; ergo non possunt paleæ electos & prædestinatos significare. *Respondeo*; nihil contra nos facere hanc parabolam. Debuit enim Bellarminus probare, in Ecclesia Catholica, quæ est corpus Christi, esse tám malos, quám bonos; tam reprobos, quám electos. Hoc ut probaret, affert hanc parabolam de area, in qua & triticum, & palea est. At per aream hoc in loco, non Catholica, sed particularis quæque Ecclesia intelligitur, in qua nos fatemur tam malos, quám bonos esse; & plerumq; plures malos, quám bonos. Sed isti mali ad Catholicam Ecclesiam nequaquam pertinent. Nam possunt esse in visibili & particulari

Ecclesia

Ecclesia reprobi cum prædestinatis misti, sed non in Ecclesia Catholica. Esse in particulari Ecclesia, est sese ad illam societatem adjungere, quæ veram religionem profitetur. Esse veró de Catholica Ecclesia, est Christo ut membrum conjungi, ab eoque vitam haurire, sic ut non pereat, nec perire omnino possit. Hoc nulli reprobo convenire potest. Atque etsi verum illud forsan esse detur, quicunque in Ecclesia Catholica sunt, eosdem etiam in Ecclesia aliqua visibili esse, aut saltem fuisse; tamen aliud est, esse in particulari Ecclesia, aliud in Catholica. Ut enim in Heraclensi civitate possunt esse quidam, qui pertineãt ad Romanam; non tamen sequitur, eandem esse Romanam, & Heraclensem civitatem, & omnes qui sunt in una civitate (sicut exempli gratia, Archias poëta fuit in Heraclensi civitate) esse continuó in altera: sic licét in Ecclesiis visibilibus & particularibus multi sint, qui ad ipsam Catholicam Christi Ecclesiam pertineant, ejusque vera membra sint; non tamen idem est, esse membrũ particularis & Catholicæ Ecclesiæ. Hoc igitur argumentum non sequitur: Sunt reprobi in particularibus Ecclesiis; ergo in Ecclesia Catholica. Præterea non quicquid particularibus Ecclesiis congruit, idipsum Catholicę continuó convenit Ecclesiæ. Nam particulares Ecclesiæ possunt deficere, non autem Catholica. Diversa ergo ratio est particularis, & Catholicæ Ecclesiæ. De particularibus igitur Ecclesiis parabola ista intelligitur, quas Christus purgabit, & in quibus triticum á paleis separabit. Nos non negamus, in area, id est, in Ecclesia quaque visibili, esse paleam cum tritico mistam. Sed cum Augustino tamen dicimus in Epistola 48. Ecclesiam

 Ex quibus hominibus
in frumentis Dominicis conſervatam eſſe, non in paleis, etſi cum paleis; & eccleſiam creſcere inter zizania, ſed non eſſe agrum zizaniorum. Verba ejus hæc ſunt: *Eccleſia, quæ per omnes Gentes creſcit, in frumentis Dominicis conſervata eſt, & uſq; in finem, donec omnino Gentes omnes etiam barbaras teneat, conſervabitur, &c.* Hinc definitionem noſtram poſſumus aſtruere. In quibus enim conſervatur Eccleſia, ex iisdem ſolis conſtat; at in paleis non conſervatur, ſed in frumentis Dominicis, ut diſerté ſcribit Auguſtinus; ergo nõ ex paleis, ſed ex frumentis tantúm conſtat.

Secunda parabola habetur Matth. 13. 47. ubi Eccleſia reti ſeu ſagenæ comparatur, quæ jacta in mare colligit omnia piſcium genera, tam malos ſcilicet, quám bonos piſces. Per malos piſces mali homines, per bonos boni intelliguntur. Ait enim Chriſtus, horum aliquos in caminum ignis tandem mittendos eſſe, quod de prædeſtinatis (inquit Bellarminus) affirmari non poteſt. *Reſpondeo*: hanc parabolam eodem plané ſpectare, quó prior. Probat enim, in particularibus Eccleſiis malos multos cum bonis miſtos eſſe, atque hoc futurum eſſe ad finem uſq; mundi. Et nos quidem id ſemper concedimus, in Eccleſiæ externa ſocietate multos malos, & ſæpe plures, quám bonos, inveniri; ſed tamen illos ad veram Eccleſiam, quæ eſt Chriſti corpus, pertinere negamus. Quid enim ſi mali non poſſunt ab Eccleſia ſeparari, quoad externam communionem? ergóne ſunt Eccleſiæ? Nequaquam certé. Palea in acervo frumenti á tritico ſeparari non poteſt, nec feces in cado ab ipſo vino; num ergo paleæ ſunt triticum, aut feces vinum? nullo modo. Senſus parabolæ manifeſtus eſt; ſic in Eccleſia evenire ſolere, cúm Evangelium prædi-

prædicatur, ut cúm verriculum in mare projicitur ad piſces capiendos. *Primó*, non omnes piſces, qui ſunt in mari, capiuntur. *Secundó*, non omnes boni ſunt, qui capiuntur, ſed multi inutiles. *Tertió*, non ſeparantur mali piſces á bonis, donec verriculum ad terram extractum fuerit. Sic in Eccleſia, cúm Evangelium prædicatur, *primó*, non omnes homines accedunt; *ſecundó*, non omnes qui accedunt, boni ſunt; *tertió*, non ſeparantur boni á malis ante finem mundi. Auguſtinus ſcité admodum explicat hanc parabolam, Epiſt. 48. *Ipſa eſt Eccleſia* (inquit) *quæ intra ſagenam Dominicam cum malis piſcibus natat, á quibus corde ſemper & moribus ſeparatur, atq; discedit, ut exhibeatur viro ſuo glorioſa, non habens maculam neq; rugam.* Aliter ergo ille hanc parabolam interpretatur, quám Jeſuita. Ait enim, eccleſiam in eadem ſagena contineri cum malis. Ergo per ſagenam non intelligit eccleſiam, ut Bellarminus, quia tum eccleſia diceretur natare intra eccleſiam, quod eſt ineptum; ſed per ſagenam intelligit generalem vocationem, quæ fit per Evangelicam prædicationem. Sed tamen ait Auguſtinus, Eccleſiam eſſe á malis disjunctam ac ſeparatam; ergo mali non ſunt membra veræ Eccleſiæ; tum enim Eccleſia ab illis ſeparari non poſſet. Locus eſt egregius, in quo duo obſervari poſſunt contra Adverſarios. *Primó*, Eccleſiam ex nullis conſtare, niſi qui vera fide prædíti ſunt. Sic enim habetur apud Auguſtinum in verbis proximé præcedentibus. *Ipſos tamen, quorum inventurus eſt fidem in terra, per totum agrum cum zizaniis creſcere, dubitare fas non eſt.* Tum ſubjungit ſtatim hæc verba: *Ipſa eſt Eccleſia, quæ intra ſagenam Dominicam cum malis piſcibus natat.* Ergo tantúm veré fideles ſunt Catholica Eccleſia. Nam Ad-

versarii quidem ipsi locum illum (*Cum venerit filius hominis, num inveniet fidem in terris?*) de vera & formata fide intelligi volunt. *Secundó*, ait Augustinus, Ecclesiam, etsi in sagena natantem, tamen esse ab improbis vita & moribus separatam; ergo Ecclesia ex solis bonis, nõ ex bonis & malis simul constat. Cúm enim tanta inter illos sit disjunctio; ex utrisque Ecclesia constare non potest; quia tum esset corpus monstrosum. Nam membra ejusdem corporis, non debent á se invicem disjuncta aut separata esse, sed maximé inter se invicem conjuncta.

Tertia parabola habetur Matth. 22. in initio capitis, ubi Ecclesia comparatur convivio nuptiali, ad quod invitantur tam mali, quám boni; & postea mali non habentes vestem nuptialem, in tenebras exteriores projiciuntur; unde Christus concludit, multos vocatos, paucos veró electos esse. Hinc Bellarminus sic ratiocinari videtur. Quidam vocati non sunt electi; at omnes vocati sunt de Ecclesia, est enim Ecclesia cœtus vocatorum; ergo quidam sunt de Ecclesia, qui non sunt electi. *Respondeo:* eundem esse finem & scopum hujus parabolæ, qui fuit superiorum. Sedent quidem in convivio nuptiali, id est, in externa Ecclesiæ societate, mali uná cum bonis; sed in fine convivii penitus exterminantur, qui vestem nuptialem, id est, fidei sinceritatem non habent. Non ergo hinc sequitur, malos de Ecclesia Catholica esse. Imó voluit potiús Christus hac parabola significare, multos in Ecclesiis particularibus esse, qui ad Ecclesiam Catholicam non pertinent, sed tandem excludentur. Mali enim omnes tandem excludentur; at Christus nullam partem Ecclesiæ suæ Catholicæ excludit, sed eam totam conservat; mali ergo non sunt membra

membra Catholicæ Eccleſiæ. Quód veró ait Bellarminus, multos vocatos, paucos veró electos eſſe; & inde concludit, aliquos eſſe de Eccleſia, qui non ſunt electi; quia Eccleſia eſt numerus, ſive cœtus tantúm vocatorum: *Reſpondeo:* duplicem eſſe vocationem, generalem, & ſpecialem. Generalis vocatio eſt, quæ in externa tantúm verbi prædicatione conſiſtit, qua omnes, qui ſunt in Eccleſiæ externa ſocietate, vocantur. Specialis veró vocatio eſt, quæ conſiſtit in vi quadã interna Spiritus ſancti, in cordibus intus operantis, qui attrahit eos, qui vocantur, ad Chriſtum, eosque cum Chriſto conjungit. Quod ad priorem vocationem attinet, Eccleſiæ particulares ex hominibus hoc modo vocatis conſtant. Omnes enim iſto modo vocantur, tam mali, quám boni; & iſta quidem vocatio hoc in loco intelligitur. Quod veró ad ſecundam vocationis ſpeciem ſpectat, ſoli electi eo modo vocantur. Et Eccleſia quidem Catholica eſt cœtus tantúm ejusmodi hominum, qui iſto modo vocantur, quam hîc Chriſtus non niſi ex electis conſtare innuit, cúm ait, *multos vocari, paucos veró eligi.* Nam hoc perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Eccleſias particulares habere omnes vocatos, Eccleſiam veró Catholicam habere ſolos electos. Eccleſia ſiquidem Catholica in hoc mundo eſt paucorum, ideoque puſillus grex dicitur, & Chriſtus in Evangelio ait, *cúm venerit filius hominis, num putatis fidem inventurum eſſe in terris?* Hunc locum Auguſtinus in libro contra Donatiſtas poſt collationem cap. 20. eodem modo interpretatur, quo nos. Ait enim, in hoc uno, qui ſine veſte nuptiali inventus eſt, *figurari grande corpus omnium malorum, ante Domini judicium convivio Dominico permixtorum, á quibus ſe boni* (inquit) *corde interim*

 Ex quibus hominibus ac moribus separant, simul manducantes & bibentes corpus & sanguinem Domini, sed cum magna distinctione. Quia isti (inquit) *in honore sponsi induti sunt veste nuptiali, non sua quærentes, sed quæ Jesu Christi; illi autem non habent vestem nuptialem, hoc est, fidelissimam sponsi charitatem, sua quærentes, non quæ Jesu Christi.* Non ergo constat Ecclesia Catholica ex utrisque; quia non constat ex membris separatis, sed conjunctis. In ista tam magna distractione spirituali, necesse est aliam esse Ecclesiam malorum, aliam bonorum. Est enim Ecclesia Catholica corpus spirituale, & mysticum: ejus ergo membra isto modo á se invicem distrahi & separari non possunt. Quanquam ergo teneant locum mali cum piis in Ecclesiis particularibus, & uná cum iis sedeant in convivio Dominico; tamen non sunt ex eorum numero, qui ad ecclesiam Catholicam pertinent. Atq; hoc quidem vel ex eo colligi potest, quód tempus erit, quando malos foras ejiciet Christus; at nullam partem Catholicæ suæ Ecclesiæ foras ejicit, sed totam, & singulas ejus partes in regnum cœlorum admittit.

Quarta parabola habetur Matth. 25. in principio capitis, ubi ait Bellarminus, Ecclesiam comparari decem virginibus, quarum quinq; prudentes fuerunt, quinque fatuæ. Illæ (inquit) cum sponso intrabunt in die judicii ad nuptias, hæ veró excludentur. Per virgines fatuas, malos; per prudentes, bonos intelligit. *Respondeo:* non esse eum scopum hujus parabolæ, ut doceat Ecclesiam Catholicam ex bonis & malis simul constare, sed ut admoneat, vigilandum esse nobis in adventum Christi, alioqui metuendum esse, ne dormientibus nobis sponsus inexpectató veniat, & antea ingrediatur ad nuptias, quám nos tale aliquid

quid cogitemus. Nam qui non parati ſunt, cúm venerit Chriſtus, non intrabunt cum illo ad nuptias. Hujusmodi veró admonitiones valde neceſſariæ ſunt. Eſſe enim multos etiam inter pios in omnibus Eccleſiis, qui non ſatis vigilant, ſed dormiunt & ſopiti jacent, ſatis conſtat; qui hujusmodi admonitionibus ſunt excitandi. Qui veró ita ſomnolenti ſunt, ut expergefieri nullo modo poſſint, eos ad Eccleſiam Catholicam pertinere negamus. Nam qui ad Eccleſiam Catholicam pertinent, parati ſunt omnes in adventum ſponſi, ut uná cum illo ad nuptias ingrediantur. Nullam Catholicæ ſuæ Eccleſiæ partem Chriſtus ab his nuptiis excludet.

Quinta & *ultima* parabola habetur Matth. 25. 32. & 33. ubi Eccleſia (inquit Bellarminus) ovili comparatur, in quo ſunt oves & hœdi; & oves (inquit) Domino ipſo explicante, electos ſignificant, hœdi veró reprobos. *Reſpondeo*: Falſum. Eccleſiam Catholicam Chriſtus nuſquam comparat ejusmodi ovili, in quo & oves, & hœdi ſunt; ſed ovili, in quo ſunt tantúm oves. Nam ſuam Eccleſiam Chriſtus ex ovibus ſolis conſtare ait, ſuosq; paſſim oves vocat. Et ovile quidem eſt ovium tantúm, non hœdorum. Sed in hoc mundo, & in particularibus eccleſiis, hœdi ſunt cum ovibus miſti; quod nos concedimus; & ante finem mundi, illumq; judicii ultimi diem, de quo Chriſtus eo in loco, nunquam penitus ab ovibus ſeparantur. Tunc enim Chriſtus, ut paſtor, oves ab hœdis ſeparabit. Non tamen de Eccleſia Catholica ſunt hœdi, ſed illa ex ſolis ovibus conſtat. Hoc vel ex eo manifeſtum eſt, quód ſolæ oves ad dexteram Chriſti collocantur, hœdi veró nulli: at ii ſoli ſunt de Eccleſia Catholica, qui ad dexteram Chriſti collocãtur. Hæc

sunt omnia Adversarii argumenta ex parabolis desumta; sequuntur jam alia Scripturæ testimonia.

Et *primó* quidem producit illud, quod legimus 1.Cor.5.3.4.5. quo in loco jubet Apostolus incestuosum expelli de Ecclesia; tamen non poterat illum reprobum facere ex prædestinato (inquit Bellarminus) imó nec volebat; quia ejecit illum, ut humiliatus rediret, & ut salvus fieret in die Domini; quare in Ecclesiá aliqui mali sunt, & extra Ecclesiã aliqui boni. *Respondeo*: Aliud est ejici ex Ecclesia particulari, aliud ex Catholica. Illud per excommunicationem fit; & qui sic ejectus est, potest iterum in Ecclesiam recipi. Ex Ecclesia veró Catholica nemo ejici potest; quia Christus nullam ovem perdit, quam semel in ovile suum recepit. Noluit quidem Paulus, fateor, hominem illum incestuosum ex prædestinato fieri reprobum, nec id omnino efficere potuit; sed voluit tantúm ex Ecclesia illa particulari Corinthiorũ ejici, & expelli. Quid veró hoc ad nos? nihil certé. Nam incestuosus ille eo tempore nondum erat membrum Ecclesiæ Catholicæ, quia peccato conscientiam vastante contaminatus fuit, propter quod etiam ex illa visibili Ecclesia expulsus est, juxta institutam á Christo disciplinam, ut hoc modo ad peccati agnitionem adduceretur. Quód si postea veré resipuerit, tum factus est membrum Ecclesiæ Catholicæ, & rursus etiam in externam illam fidelium societatem est receptus. Paulus illum noluit reprobum facere, nec potuit; verum. Non enim id egit Paulus, ut illum avelleret á corpore Christi, id est, ab Ecclesia Catholica, sed ut illum ex illa visibili Corinthiorum societate amoveret, Satanæq; domandum traderet, ad carnis interitum, spiritus veró salutem. Nihil minus

nus cogitavit Paulus, quám ut aliquod membrum á corpore Chriſti avelleret. Ad excommunicationem veró quod attinet, illam dico, vel erga bonos, vel erga malos exerceri. Si erga bonos exerceatur, illos non excludit ab Eccleſia Catholica; quia poſtquam ſemel vocati fuerint, ſemper Chriſto capiti ſuo adhæreſcunt, nec ab illo alienari aut disjungi unquam poſſunt: ſed tamen illos ab Eccleſia viſibili disjungit & excludit. Si veró erga malos exerceatur, non illos avellit ab Eccleſia Catholica, id eſt, á corpore Chriſti; quia nunquam fuerunt Chriſto inſiti, ſed tantúm de viſibili aliqua Eccleſia fuerunt. Eſt ergo excommunicatio bonis quidem medicina, quia facit ut agnoſcant peccata ſua, & ut illorum eos pœniteat, atque ita vel fiant membra CHRISTI, ſi antea non fuerint; vel ſi fuerint, arctiús cum Chriſto conjungantur: at malis & reprobis eſt pignus ſui interitus & damnationis certiſſimum. Nullos enim excommunicatos ex Eccleſia Catholica ejici, nos antea docuimus.

Alter locus Scripturæ á Bellarmino citatus habetur 2. Tim. 2. 20. Verba hæc ſunt: *In domo magna, vaſa ſunt non tantúm aurea & argentea, ſed lignea etiam ac teſtacea; alia in gloriam, alia in contumeliam.* Hæc domus, ſecundúm Bellarminum, Eccleſiam ſignificat: ergo in Eccleſia & boni & mali ſunt. *Reſpondeo primó:* Per domum magnam hoc in loco aliqui mundum, non Eccleſiam, ſignificari volunt. Sic OEcumenius, ſic Chryſoſtomus, ſic Theophylactus. Hæc interpretatio ſi vera ſit, tum nihil ex hoc loco contra nos concludi poteſt. OEcumenii verba hæc ſunt: ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ μεγάλῃ διάφορα σκεύη, ἔστι καὶ ἐν τῷ κόσμῳ διάφοροι ἄνθρωποι. *Ut in magna domo vaſa diverſa ſunt,*

ita in mundo varii ac diversi sunt homines. Sed Chrysostomus multó adhuc planiús & apertiús loquitur. οὐ περὶ τῆς ἐκκλησίας λέγων, ἀλλὰ περὶ τοῦ κόσμου παντὸς, μὴ γὰρ μοι τοῦτο ἐκκλησίαν ἀπολάβῃς. *Non eam similitudinem* (inquit Chrysostomus) *ad Ecclesiam refert Paulus, sed ad mundum universum.* Nam in Ecclesia nullum vult esse vas ξύλινον, ἢ ὀστράκινον, i.e. *ligneũ*, aut *testaceum*, sed omnia χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ, i.e. *aurea & argẽtea*, ἔνθα σῶμα χριστοῦ, ἔνθα παρθένος ἁγνὴ, μὴ ἔχουσα αὐχμὸν ἢ ῥυτίδα. *Ibi enim* (inquit) *est corpus Christi; ibi virgo casta, non habens maculã neq; rugã.* Similiter scribit Theophylactus. *Secundó*, hæc verba rectiús multó & aptiús de Ecclesia hac per orbem sparsa (id est, de particularibus Ecclesiis) interpretari possumus; in quibus quidem multos malos inveniri mirum non est, cúm in majore domo vasa diversa sint. Et sic sensus erit hujusmodi. In magna domo, hoc est, in cunctis particularibus Ecclesiis, non solúm boni, sed etiam mali sunt. Nam hoc modo voluit Apostolus scandalum illud removere, quo nonnulli offenduntur, cúm malos tam multos, & impuros homines, in Ecclesia videant locum habere, id est, in singulis fidelium societatibus nná cum piis versari. Atque in hunc quidem finem hac comparatione usus est. Sed nihil minús voluit Paulus, quám ex his veram & Catholicam Christi Ecclesiam constare.

Deinde adducit Adversarius exempla Pauli & Judæ. Nos de utroque seorsim respondebimus. *Primó*, de Paulo ait, Johannem Hussium dixisse, eum semper fuisse membrum Ecclesiæ, etiam antequam vocatus fuit. At Paulus ipse (inquit) de se affirmat 1. Tim. 1. Galat. 1. & 1. Cor. 15. se persequutum esse Ecclesiam Dei. Et idem de eo affirmat Lucas Act. 9. Præterea

Augu-

Augustinus sermone 1. de conversione Pauli, ait, Paulum etsi prædestinatum, tamen *lupum antè fuisse, quàm ovem.* Et Chrysostomus homil. 6. in 2. Tim. ait, *primò fuisse vas fictile, sed postea versum esse in aureum.* Hinc Bellarminus vult efficere, falsum fuisse illud, quod Hussius dicebat, Paulum semper fuisse membrum Ecclesiæ. *Respondeo:* Potuit Hussius dicere, Paulum semper fuisse de Ecclesia, quemadmodum Augustinus ait, multas oves esse foris, multos lupos intus. Nam secundùm Dei electionem ac prædestinationem, semper fuit de Ecclesia, sed tamen actu non fuit in Ecclesia, aut de Ecclesia, antequam vocatus est. Hoc si dixit Hussius, defendi non potest. Sed rapiebant Adversarii, quæ dixit, omnia in deteriorem partem, ut bonum illum Christi servum probabiliùs condemnarent. Ecclesia quidem Catholica constat ex nullis non prædestinatis, sed nec ex omnibus prædestinatis, donec vocantur. Postquam verò vocati sunt, ex illis actu & re constat Ecclesia; antea verò prædestinatione tantùm, & Dei decreto, in Ecclesia, aut de Ecclesia esse dicendi sunt. Hoc modo si dixit Hussius, Paulum semper fuisse de Ecclesia, secundùm prędestinationem scilicet, & Dei decretum, verum dixit. Sin illum semper actu fuisse de Ecclesia dixit, falsum. Nam si de Ecclesia, aut in Ecclesia, semper fuit, tum de Ecclesia Christi fuit: at illam ante vocationem persequutus est, quod certè non feciſſet, si ejus verum membrum fuisset. Fieri enim non potest, ut quis eam ecclesiam persequatur, cujus ipse verum membrum est. Hoc igitur Pauli exemplum nihil contra nos facit. Nos enim non dicimus, omnes prædestinatos esse de ecclesia; sed omnes prędestinatos vocatos, ad Ecclesiam pertinere affirma-

mus;& omnes quidem prædestinatos vocandos esse, sed suo tempore. Paulum veró ante vocationem fuisse *lupum*, ut loquitur Augustinus, & *fictile vas*, ut Chrysostomus, nos concedimus. Nunc *secundó* de Juda, Bellarminus ait fuisse quidem reprobum,& tamen de vera Ecclesia aliquando fuisse, contra Johannem Hussium, qui illum nunquam de Ecclesia fuisse affirmabat. Probat autem Bellarminus, fuisse Judam aliquando de vera Ecclesia, *primó* quia fuit unus ex duodecim Apostolis, *deinde* quia á Davide Episcopus vocatur, Psal. 108. quæ non possunt esse vera (inquit Bellarminus) nisi aliquando de Ecclesia fuerit: tum *præterea*, quia Augustinus in Comment. in Psal. 3. ait, illum fuisse filium Christi,& idem in lib. de unitate Ecclesiæ cap. 13. ait, illum fuisse in eadem Ecclesia, in qua erant cæteri Apostoli. *Respondeo*: Judam reprobum nunquam fuisse de vera Catholica Ecclesia. Tenebat quidem ille locum primarium in externa Ecclesiæ societate ad tempus, quia Apostolus fuit. Sed hoc non fecit illum de vera Catholica Ecclesia. Non enim sequitur; Fuit Apostolus,aut Episcopus, ergo fuit membrum Catholicæ Ecclesiæ; quia multi Episcopi lupi sunt; at qui sunt lupi, non sunt de Ecclesia Catholica. Præterea Christus eum Diabolum vocat. Num Diabolum (quæso) Catholicæ Ecclesiæ membrum statuemus? Tum etiam á vera Ecclesia separatus fuit Judas; quemadmodum Augustinus ait, malos á bonis spiritualiter separari. Quomodo veró fuit unus ex Apostolis, docet Augustinus in tractat. 61. in Johannem: *Unus fuit numero*, (inquit) *non merito*; *unus specie*, *non virtute*. Specie veró quæ sunt, ea videntur tantúm esse, non sunt. Ita aliquis reprobus videri potest de

Ecclesia

Eccleſia eſſe, re vera de Eccleſia eſſe nõ poteſt. Pergit Auguſtinus, & ſubjungit, unum fuiſſe *commixtione corporali, non vinculo ſpirituali; carnis adjunctione, non cordis ſocium unitate.* Et pauló póſt: *Non erat igitur ex illis Judas. Manſiſſet enim cum illis, ſi fuiſſet ex illis.* Ubi alludit ad locum illum, qui habetur in prima Epiſtola Johannis: *Exierunt é nobis, ſed non fuerunt ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, utiq; permanſiſſent nobiscum.* Et tollit etiã objectionem, quæ ex Chriſti verbis poterat oriri. Poterat enim aliquis objicere: Quomodo ergo Chriſtus dicit, *Unus ex vobis traditurus eſt me? Reſpondet* Auguſtinus, *Hoc eſt,* (inquit) *Unus ex vobis exiturus eſt, qui me tradet.* Ita Auguſtinus quodam ſenſu Judam fuiſſe unum ex Apoſtolis negat. Quod veró ad teſtimonium illud attinet ex Pſal. 108. Hebraicum vocabulum non ſignificat Epiſcopum, aut Epiſcopatum, ſed præfecturam quamlibet. Fuit enim Judas Apoſtolus, ergo non Epiſcopus; quia Apoſtoli non fuerunt Epiſcopi. Sed ſi demus, Epiſcopum fuiſſe, non ſequitur tamẽ, fuiſſe de Eccleſia Catholica. Non enim omnes Epiſcopi ſunt de Eccleſia, etiamſi in Eccleſia primi eſſe videantur; quia multi Epiſcopi lupi fuerunt, ut antea dictum eſt. Auguſtinus, fateor, in comment. in Pſal. 3. Judam Chriſti filium vocat, ſed impium, & Abſalomi ſimilem. Nam totum illum Pſalmum, ut & alios ad Chriſtum accommodat, deque illo interpretatur. Id quó meliús faciat in hoc Pſalmo, Judam Abſalomi ſimilem fuiſſe dicit; eumq; filium Chriſti vocat, quia ut ille patrem perſecutus eſt, ita hic Chriſtum. Quin & filius Chriſti dici poteſt, quemadmodum filii Prophetarũ dicuntur in Scripturis, quoniã á Chriſto ſcilicet edoctus, & inſtitutus fuit, non autem quód ejus germanus fuit filius.

Quod verò ait Augustinus in lib. de unitate ecclesiæ, eum fuisse *in eadem Ecclesia, in qua erant cæteri Apostoli*: concedo, quoad externam societatem, fuisse in eadem visibili particulari Ecclesia, non aliter. Atque hæc sunt omnia Bellarmini argumenta ex Scripturis desumta.

CAPUT OCTAVUM.

In quo ad reliqua Bellarmini argumenta, aliunde quàm ex Scripturis desumta, respondetur, quibus probat, Ecclesiam ex reprobis simul & electis constare.

QUæ Adversarius argumenta ex Scripturis adduxit, ut ecclesiam suam reproborum defenderet, proposuimus omnia, & refutavimus; quæ reliqua sunt, facilé expediri possunt. Nunc enim secúdo loco pauca quædam Patrum testimonia profert. Patres verò duos tantúm nominat, Cyprianum scilicet & Augustinum. Cyprianum verò affert in lib. 3. Epist. 3. & in lib. 4. Epist. 2. ubi Cyprianus (inquit) apertissimé docet, in eadem ecclesia esse triticum & zizania, & vasa aurea & lignea. At certum est (inquit) zizania esse comburenda, & lignea vasa facta esse in contumeliam. *Respondeo:* Quin hoc ita sit, nulli dubium unquam fuit. Sed contra quos disputat Bellarminus? Nósne unquam negavimus, in ecclesiis particularibus, ut olim in Carthaginensi, ac Romana ecclesia (de iis enim ecclesiis loquitur Cyprianus) & reliquis hujusmodi, malos cum bonis permixtos esse? Imó verò de hoc nos nunquam dubitavimus; sed apertissimé semper docuimus, & ingenué professi sumus. Atque hoc totum est, quod Cyprianus ait. Itaque illum contra nos sine insigni injuria objicere non potest.

Aliud

Aliud deinceps teſtimonium profert Bellarminus ex Auguſtino in 45. tractat. in Johan. ubi Auguſtinus ſic ſcribit: *Secundùm præſcientiam & prædeſtinationem quàm multæ oves foris, quàm multi lupi intus?* ergo multi prædeſtinati (inquit Bellarminus) ſunt extra eccleſiam, multi verò reprobi intra. *Reſpondeo:* & *primò* quidem de prædeſtinatis, deinde de reprobis. Multos prædeſtinatos eſſe extra eccleſiam, fateor, eo modo, quo ſenſit Auguſtinus. Multi enim electi nondum vocantur, nondum credunt, & hi ſunt adhuc foris: poſtea verò ſuo tempore vocandi ſunt, & in Chriſtum credituri, & tunc intus erunt. Hi igitur nondum ſunt in Eccleſia, ſed futuri ſunt. Atque hos quidem oves vocat Auguſtinus, non quòd oves jam ſint, ſed quòd futuri ſint oves. Sic enim eodem loco ſeipſum explicat. *Quid eſt* (inquit) *quod dixi, quàm multæ oves foris? Reſpondet* ſibi ipſi, & ait: *Quàm multi modò luxuriantur, caſti futuri? quàm multi ſe inebriant, futuri ſobrii? quàm multi blaſphemant Chriſtum, credituri in Chriſtum? quàm multi rapiunt res alienas, donaturi ſuas? verumtamen modò vocem alienam audiunt, alienos ſequuntur.* De prædeſtinatis diximus, nunc de reprobis reſpondeamus. *Secundò* igitur reſpondeo, Auguſtinum dicere, multos reprobos eſſe intra Eccleſiam, quia in externa piorum & fidelium ſocietate verſantur, á quibus in hac vita ſeparari & diſtingui non poſſunt, quia ab hominibus non poſſunt agnoſci. Sed etſi hoc modo ſint intra Eccleſiam, nempe in particularibus Eccleſiis unà cum piis & fidelibus mixti; tamen Auguſtinus ait, illos non eſſe de ovili Chriſti, id eſt, de Eccleſia Catholica; quod certè neceſſariò verum eſt, quia non ſunt de numero eorum, qui ſunt oves Chriſti. Non eſſe oves Chriſti, ex eo patet, quia Au-

guſtinus vocat eos lupos, etiam tum cúm intra Eccleſiam ſunt. Ovile autem illud, quod eſt Catholica Chriſti Eccleſia, eſt ovium tantúm, non luporum. Sic enim Auguſtinus docet in eodem tractatu, veram Chriſti Eccleſiam ex ſolis ovibus conſtare, id eſt, ex iis, qui Chriſtum audiunt, & per oſtium intrant. *Hoc tenete,* (inquit) *ovile Chriſti eſſe Catholicam Eccleſiam.* Num in iſto (quæſo) ovili ſunt aliqui lupi? minimé quidem, ſed oves tantúm. Sed quænam ſunt hæ oves? num mali & boni ſimul, an tantúm boni, & prædeſtinati? *Reſpondeat* Auguſtinus. Ille veró ſic ait: *Oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim; habet enim nomina illorum ſcripta in libro vitæ.* Ergo oves non ſunt boni & mali ſimul, ſed ſolummodó boni, & ſolummodó prædeſtinati; reproborum enim nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ. Ex ſolis ergo prædeſtinatis ovile Chriſti, id eſt, Eccleſia Chriſti conſtat. Et affert deinceps Auguſtinus illud Apoſtoli, *Novit Dominus, qui ſunt ejus*; quem locum vel Adverſarii ipſi de ſolis electis & prædeſtinatis interpretantur. Et poſtea ait: *Novit Dominus, qui ſunt ejus, ipſæ ſunt oves*; & denique hos eſſe ait de quibus Apoſtolus; *Quis accuſabit adverſus electos Dei?* Ergo per oves intelligit Auguſtinus electos, bonos, & prædeſtinatos tantummodo. Hinc manifeſtum eſt, Auguſtinum nobiscum facere, & Eccleſiam ſecundúm illum non niſi ex ovibus, id eſt, non niſi ex electis conſtare: & quanquam multi ſe pro ovibus venditent, tamen eſſe lupos, ideoque ad ovile Chriſti non pertinere. Similiter idem Auguſtinus in lib. 2. contra Creſconium Grammaticum cap. 34. (cujus etiam loci Bellarminus ipſe mentionem facit) in hunc modum ſcribit. *Mali* (inquit) *cúm ſint á bonis vita moribus q. ſpiritualiter*

tualiter separati, corporaliter tamen cum iis in Ecclesia videntur esse permixti usq; in diem judicii, quo etiam die corporaliter debitas separabuntur ad pœnas. In quibus verbis duo nobis observanda sunt. *Primum* est, malos esse corporaliter cum bonis permixtos in Ecclesia usque ad finem mundi. Hoc certum est. Quid ergo? num propterea mali ad Ecclesiam Catholicam pertinent, & unum Ecclesiæ corpus cum bonis constituunt? nequaquam. Nam Augustinus ait, spiritualiter disjunctos esse. *Secundo* ergo loco observandum est, spiritualem esse etiam nunc inter malos ac bonos disjunctionem: unde illud invicta necessitate sequitur, malos non esse membra Ecclesiæ Catholicæ. Nam Ecclesia Catholica est corpus spirituale & mysticum; ac proinde ejus membra omnia spiritualiter inter se, atq; etiam cum capite suo conjungantur necesse est: at mali sunt á bonis spiritualiter separati & disjuncti: ergo ejusdem Ecclesię membra cum bonis esse non possunt. Argumentum necessarium est & manifestum; ex quo manifesté sequitur, Ecclesiam illam Christi Catholicam ex solis bonis & prædestinatis esse constitutam.

Plura ex Patribus testimonia non adduxit Adversarius. Sed aliud tamen adhuc ejus argumentum restat in hac causa, quod nullo modo omittendum est. Sumitur autē illud á ratione, cujus duplex membrū est. *Primum* membrum sic se habet. Si prædestinatio sola facit hominem esse de Ecclesia: tum sequetur, Turcas, Judæos, Hæreticos, & quoslibet impios, si prædestinati sint, nunc esse de Ecclesia, & viva membra Christi. *Respondeo:* hoc nullo modo sequi ex nostra sententia. Nos enim dicimus quidem, prædestinationem solam facere, ut homo vocetur, & vocatus

veniat ad Christum: sed non solam facere dicimus, ut quis sit actu membrum Ecclesiæ. Nam ad hoc etiam præterea vocatio, justificatio, & sanctificatio requiruntur. Ergo Turcæ, Judæi, hæretici, & impii homines, dum tales sunt, non sunt de Ecclesia, nec viva membra Christi; etiamsi prædestinati fuerint. Sed ad Christum priús convertantur, vocentur, justificentur, & sanctificentur, necesse est; & tum actu de Ecclesia sunt, & vera Christi membra fiunt. *Secundum* membrum rationis Bellarminianæ hujusmodi est. Si sola prædestinatio facit hominem esse de Ecclesia: tum inde sequitur, quoslibet sanctos, & pios baptizatos, si non prædestinati fuerint, non esse de Ecclesia, nec de corpore Christi. *Respondeo*: hoc quidem rectè ex illa sententia sequi. Et hoc certè est, quod nos dicimus, non prędestinatos, non esse de ecclesia. Quód verò Adversarius baptizatos aliquos sanctos & pios vocat, qui non sunt prædestinati: fateor quidē aliquo modo sic posse appellari, propter piam & sanctam professionem. Sic Paulus ad Romanos, Corinthios, & Galatas scribens, omnes sanctos vocat. Sed sancti revera nulli sunt, nisi qui sunt prædestinati. Nam sanctificatio est effectum prædestinationis, & soli prædestinati spiritu sanctificationis prædicti sunt. Quare qui non sunt prædestinati, ii nunquam sancti esse poterunt. Hoc loco Bellarminus, ut meliús primum rationis suæ membrum tueatur, ad mysterium illud iniquitatis accedit, contra quod nobis postea dimicandum est. Affert enim hîc distinctionē de vivis & mortuis membris Christi, & impios ait Christi quidem membra esse, sed mortua, non viva. Probat verò, non esse viva membra ex Rom. 8. 9. quasi hoc esset necessarium, *Quinon*

habet

habet Spiritum Chriſti, (inquit Paulus Rom. 8.) *hic non eſt ejus,* hoc eſt, ut Bellarminus interpretatur, non eſt vivum membrum Chriſti. At ego ex hoc loco ſic cõtra illum disputo. Qui Chriſti ſpiritum non habet, is non eſt ejus, inquit Paulus; at reprobi & impii (quos tamen ille ſanctos vocat) non habent Chriſti ſpiritum; ergo reprobi non ſunt ejus, hoc eſt, non de ejus Eccleſia, nec corporis illius membra omnino. Si enim omnino corporis illius membra eſſent, eſſent certé ejus, & viva membra eſſent; quia Chriſti ſpiritus per totum ejus corpus fuſus eſt; at reprobi, hujus ſpiritus ſunt expertes; ergo non ſunt de ejus corpore omnino. Nulla veró Chriſti membra mortua eſſe, ſed omnia eſſe viva, ex eo patet; quia ipſe vivum caput eſt, á quo omnia ejus membra vitam hauriunt. Hac unica diſtinctione vivorum & mortuorum membrorum, tota illorum cauſa nititur; quæ quám futilis ſit, poſtea fuſiús oſtendemus; nunc leviter tantúm attingere voluimus. Poſtea veró, ut ſecundum ſuæ rationis membrum fortiús urgeat, probare conatur, omnes baptizatos eſſe membra Chriſti, & de Eccleſia Catholica. Idq; probat duobus Scripturæ teſtimoniis, quorum primum habetur 1. Cor. 12. 13. in his verbis, *Omnes per unum Spiritum in unum corpus baptizati ſumus*; alterum veró Galat. 3. 27. *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*; & tamen non eſt credibile (inquit), omnes Corinthios & Galatas fuiſſe prædeſtinatos. *Reſpondeo*: abuſum eſſe Bellarminum his teſtimoniis. Apoſtolus enim in his locis non de omnibus Corinthiis & Galatis loquitur, ſed de iis tantúm, qui erant ſpiritu Chriſti veraque fide prædiți. Nam in priori loco non affirmat Apoſtolus, omnes qui baptizantur, in unũ

corpus baptizari, sed omnes, qui per unum spiritum baptizãtur. Quodsi qui baptizati fuerint, qui spiritu carent, ii non baptizantur in unum corpus, & per consequens Christi membra esse non possunt. Et Adversarius ipse antea concessit, impios non habere spiritum Christi, sed Diaboli. In secundo veró testimonio ait Apostolus, nos Dei filios esse per fidem, & per fidem Christũ in cordib. nostris habitare: itaque per fidem Christum induimus; at fides non est reproborum; itaque reprobi nunquam Christũ induerunt, & per consequens non possunt esse de Ecclèsia. Si enim Christum induissent, sancti & justi forent; & Deus Pater justus judex, in illis hac veste indutis, nullam maculam inveniret. Sed hoc longé aliter se habet. Nam reprobi semper nudi sunt, & illorũ peccata Deo semper aperta sunt & manifesta.

Ultimo in loco ex quibusdam incommodis probare vult Bellarminus, Ecclesiam non constare ex solis prædestinatis; quæ cujusmodi sint, videamus.

Primum incommodum est hujusmodi. Si soli prædestinati essent de Ecclesia, omnia essent incerta. Quid ita quæso? Quia nemo (inquit) tunc cognosceret fratres suos. *Respondeo*: fratres dupliciter dici. *Primó*, ii fratres nostri dicuntur, qui in externa societate fideique professione nobiscum conjuncti sunt. Quod ad hanc notitiam attinet, omnia non erunt incerta. Hoc enim modo, & hoc sensu, facile semper erit cognoscere, quos & appellare & judicare fratres debeamus. *Secundó*, ii fratres nostri dicuntur, qui idem jus adoptionis, & futuræ hæreditatis nobiscum habent. Fateor quidem, hos non posse unquam certó á nobis in hac vita sciri, sed ex quibusdam tamen signis, hoc est, ex fidei fructib', aliquo modo cogno-

sci

ſci poſſunt. Et hoc quidem ſufficit. *Secundó* ait Bellarminus, Paſtores non poſſe oves ſuas cognoſcere, nec ab illis cognoſci, ſi ex ſolis prædeſtinatis conſtet Eccleſia: quia nemo (inquit) novit, qui ſint prædeſtinati. *Reſpondeo*: ineptum hoc eſſe. Sic enim ille ratiocinatur, quaſi nos diceremus, Eccleſias particulares ex ſolis prædeſtinatis conſtare. At nos id non dicimus, ſed Eccleſiam Catholicam conſtare ex ſolis prædeſtinatis. *Tertió* objicit. Si ex ſolis prædeſtinatis Eccleſia conſtet; tum incerti ſemper erimus, quę ſint veræ Scripturæ, quæ vera Sacramenta, quæ vera fides &c. quia hæc omnia (inquit) pendent ex teſtimonio veræ Eccleſiæ. *Reſpondeo*: Hæc omnia ex Eccleſiæ teſtimonio pendêre, falſiſſimum eſt. Non enim pendent iſta ex teſtimonio Eccleſiæ, ſed Eccleſia ex iſtis; ut poſtea fuſiús declarabitur, cúm de Eccleſiæ notis diſeremus. Et hæc ſunt omnia Adverſarii in hac cauſa argumenta, quibus probare vult, Eccleſiam non conſtare ex ſolis prædeſtinatis; quæ certé omnia ſophiſtica fuerunt, ut accepimus.

CAPUT NONUM.

In quo argumenta noſtra proponuntur, ad quæ Bellarminus aliquid reſpondet, quibus probamus, Eccleſiam Catholicam ex ſolis prædeſtinatis conſtare.

NUnc ſequitur, ut noſtram ſententiam quibusdam argumentis confirmemus, hoc eſt, ut verâ & Catholicam Chriſti Eccleſiam, quæ eſt Chriſti corpus, ex ſolis conſtare prædeſtinatis probemus. Et primo quidem in loco argumenta illa proponemus, quibus Bellarminus aliquid reſpondere conatur: poſtea veró proferemus alia.

Primum argumentum eorum, quæ á Bellarmino refelluntur, est hujusmodi: Ecclesia Catholica Canticorum 4. vocatur *hortus conclusus, fons obsignatus, puteus aquæ viventis, &c.* ergo nulli reprobi sunt membra Ecclesiæ Catholicæ. Nam Augustinus hæc omnia (ut Adversarius ipse fatetur) de solis electis exponit lib. 5. de baptism. cap. 27. Argumentum validum est. Nam reprobi non pertinent ad hortum hunc conclusum, quia excluduntur ab eo. Bellarminus dupliciter respondet. *Primó* ait, Scripturam sæpé per figuram intellectionis solere toti aliquid attribuere, quod parti tantúm convenit: ita Ecclesiam Catholicam, quæ ex prædestinatis & reprobis simul constat, dici *hortum conclusum, fontem signatum, & puteum aquæ viventis*, propter prædestinatos, qui in ipsa sunt, non autem quód hoc toti Ecclesiæ conveniat. Et exemplis quibusdam docet, sic fieri solere in Scripturis. *Primó*, ex Matth. 27. 44. ubi dicuntur latrones, qui erant cum Domino crucifixi, blasphemâsse illũ, cúm tamen constet (inquit Bellarminus) ex Luc. 23. unum tantúm eorum blasphemâsse. *Deinde* affert aliud exemplum ex Philip. 2. 21. ubi Apostolus ait, *Omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi*; & tamen (inquit Bellarminus) tales non erant permulti sancti, qui tunc vivebant, & præcipué Philippenses. Sed *respondeo*: ista exempla non convenire, nec esse Adversarii instituto satis idonea & accommodata. Nam quod ad prius exemplum attinet, meminisse potuit Bellarminus, interpretes nonnullos magni nominis, fidei, & authoritatis, putare utrumque latronem primó blasphemâsse, postea veró alterum pœnituisse. Et hoc verisimile est, quia Matthæus diserté ait, οἱ λῃσαὶ ὠνείδιζον. Theophylactus in illum locum ait,

hos

hos duos latrones fuisse typos duorum populorum, Ethnici scilicet & Judaici; utrumque populum primó multis blasphemiis & contumeliis Christum affecisse, sed Ethnicum postea resipuisse, perstitisse veró in sua contumacia populum Judaicum. Quod ad posterius etiam exemplum spectat, nec illud quidem satis aptum atque idoneum est. Omnes enim, de quibus Apostolus Paulus loquitur eo in loco, sua quæsiverunt, & sua secuti sunt. Sed de hac re non multúm contendo. Fateor quidem, in Scripturis crebras inveniri συνεκδοχὰς; sed hunc locum non esse συνεκδοχικῶς accipiendum affirmo. Quod etsi possem ex libro ipso, atque adeó ex tota libri serie confirmare: tamen quia mihi negotium est cum tali Adversario, malo Patrum testimoniis uti. Quis hic hortus sit, & qui in eo versentur, Augustinus aperté docet lib. 2. contra Crescon. Grammat. cap. 21. ubi in hunc modú scribit: *Propter malam pollutamq; conscientiam, damnati á Christo, jam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia; quoniam non potest Christus habere membra damnata.* Quibus verbis evertit prorsus Papisticam illam distinctionem vivorum & mortuorum membrorum, quia ait, nullum membrum damnatum esse in corpore Christi. Tum subjungit pauló póst: *Absit ut intrare possint limites horti concluſi hujusmodi monstra*, hoc est, impuri & profani homines; hos enim intelligit. Ergo in horto hoc concluso, id est, in Ecclesia Catholica, nulli damnati sunt, nulli impuri & profani homines. Et rationem attexit Augustinus, quia hujus horti ille custos est, qui non potest falli. Ergo nulli reprobi in illum hortum intrare possunt; quia hortus ille ab eo custoditur, qui nec errare, nec falli potest; quique singulos satis probé novit, quos in hunc hortum re-

cipiat. Cúm enim hujus horti cuſtos, hoc eſt, Deus ipſe, omnes reprobos optimé nôrit, nec de illis falli poteſt; certé non admittet eos unquam in hunc hortum ſuum. At Adverſarii fingunt, plures eſſe reprobos in hoc horto concluſo, quám prædeſtinatos; plures malos, quám bonos. Malorum enim ubique major ſemper copia eſt, quám bonorum. Præterea idem Auguſtinus alibi, nempe in lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſt. cap. 27. hunc ipſum locum tractans, apertiús adhuc loquitur in hunc modum. *Quód in Cantico Canticorum Eccleſia ſic deſcribitur, ut dicatur hortus concluſus, ſoror mea, ſponſa, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, paradiſus cum fructu pomorum: hoc intelligere non audeo, niſi in ſanctis, & juſtis, non in avaris, & fraudatoribus, & raptoribus, & fœneratoribus, & ebrioſis, & invidis, quos tamen cum juſtis Baptiſmum habuiſſe communem, cum quibus communem habeant utique charitatem, ex ipſius Cypriani literis, ſicut ſæpé commemoravi, uberiús diſcimus, & docemus.* Quare Auguſtini ſententia eſt, Eccleſiam ex ſolis juſtis & ſanctis conſtare, nullos in ea impios & injuſtos homines eſſe. Tum ſubjungit pauló póſt: *Numerus ergo ille juſtorum, qui ſecundúm Dei propoſitum vocati ſunt* (hi autem ſunt prædeſtinati) *de quibus dictum eſt, Novit Dominus qui ſunt ejus* (& hi prædeſtinati ſunt) *ipſe eſt hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, paradiſus cum fructu pomorum.* Hæc ſatis clara ſunt. Hortum hunc Eccleſiam eſſe dicit, id eſt, numerum prædeſtinatorum; ergo ex ſolis prędeſtinatis Eccleſia conſtat. Pręterea ait poſtea in fine capitis: *Ex illis ergo omnibus, qui, ut ita dicam, intrinſecus & in occulto intus ſunt, conſtat ille hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, paradiſus cum fructu pomorum.* At hi ſoli ſunt electi; nam reprobi

probi aperté tantúm & extrinſecus intus ſunt, non in occulto. Idem etiam lib. 6. de Baptiſm. contra Donatiſt. cap. 3. ubi etiam hunc locum tractat, explicat, quemadmodum Eccleſia ſit hortus concluſus, & qui ſint in hoc horto, docet. Verba ejus hæc ſunt: *Habere autem Baptiſmum, & tradere, & accipere malos, nequaquam in melius commutatos, & de Scripturis Canonicis, & de ipſius Cypriani literis, ſatis, ut arbitror, demonſtravimus: quos non pertinere ad ſanctam Eccleſiam Dei, quamvis intus eſſe videantur, ex hoc apertiſſimé apparet, quia iſti ſunt avari, raptores, fœneratores, invidi, malevoli, & cetera hujuſmodi: illa autem columba unica, pudica & caſta ſponſa, ſine macula & ruga, hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, paradiſus cum fructu pomorum, & cetera, quæ de illa ſimiliter dicta ſunt, quod non intelligitur niſi in bonis, & ſanctis, & juſtis.* Præterea Gregorius Magnus in comment. in Cantic. ſimiliter hunc locum interpretatur. *Hortus* (inquit) *ſancta Eccleſia exiſtit, quia dum populos multos in fide gignit, quaſi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus concluſus bene eſſe dicitur, quia charitatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur.* Sic docet ille, tum quare hortus dicatur, nempe, quia flores pulchros producit: tum, quare concluſus dicatur, quia vallo ſcilicet charitatis munitur: tum quare ſit munitus, ne ſcilicet intra electorum numerum reprobus aliquis ingrediatur. Ergo in Eccleſia nulli ſunt, niſi qui charitate prædíti ſunt, quiſque ſunt de numero electorũ. Unde etiã, cũ charitas ſit vallũ Eccleſiæ, nullos habere verã charitatẽ conſtat, niſi electos; q̃ ſimiliter cõtra Papiſtas facit. Aptiſſimé veró ait, nullũ reprobũ ingredi poſſe. Nõ video, q̃d apertius aut diſertius dici poterat contra Adverſarios. Similiter

Cyprianus in Epist. 76. ad Magnum. *Si hortus* (inquit) *conclusus est sponsa Christi, quæ est Ecclesia, patére res clausa alienis & profanis non potest.* At reprobi, impuri, infideles, magni peccatores, alieni sunt, & profani; itaq; illis Ecclesia, quæ est res clausa, nequaquam patet. Hæc fuit prima Adversarii responsio. Sed quia vidit, se non posse tutó in ea consistere, aliam excogitavit. Quare *secundó* respondet; quæ de sponsa dicuntur in Canticis, non necessarió de ecclesia intelligenda esse. Nam quidam (inquit) ea intelligunt de Ecclesia. Atque hi quidem sunt Patres, ut ex parte accepimus. Sic ille á Patribus recedit, & illorum interpretationem rejicit. Quidam (inquit) de Beata virgine intelligunt. Et hi sunt absurdi quidam Pontificii. Quidam de qualibet anima perfecta. Et hoc ait esse probabilius. Vidit scilicet, primam interpretationem planissimé evertere suam sententiam, atque ideó rejiciendam esse censuit. Sed pergit Bellarminus, & ultimam istam interpretationem confirmat. Objicit veró duos locos ex hoc libro Canticorum, qui huic interpretationi favere, nostræ veró adversari videntur. *Prior* locus habetur Cantic. 6. 6. *Sexaginta sunt Regina, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ.* Quo loco si per unicam illam sponsam (inquit) intelligas Ecclesiam; quid intelliges per Reginas, concubinas, & adolescentulas, quas omnes fovet sponsus, & diligit? *Respondeo:* Si allegoricé hunc locum interpretemur, per has Reginas, concubinas, & adolescentulas, particulares ecclesias commodé possumus intelligere; quarum magnum ubique sub Evangelio futurum esse numerú, his verbis Spiritus sanctus innuere videtur: vel, ut

alii

alii volunt, varios hominum in Ecclesia gradus, & ordines; ut qui exiguos in fide & pietate progressus fecerunt, puellæ, sive adolescentulæ hîc dicantur; qui maximos, Reginæ; qui mediocres, concubinæ. Sin absque allegoria, & secundúm literam, verba sumantur, quod multis placet; manifestus est sensus, tantá esse Ecclesiæ gloriam & pulchritudinem, ut Reges, & Reginas, & reliquos hujus mundi Principes, simulque eorundem, quo stipari solent, comitatum, in sui amorem alliciat, & in admirationem trahat. Dicitur veró hæc matri suæ adhæresceré, id est, cœlesti Hierusalem, quæ mater nostrûm omnium dicitur Galat. 4. 26. *Alter* locus habetur Cantic. 2. 2. Quomodo enim (inquit Bellarminus) locum illum de Ecclesia interpretabimur, *Sicut lilium inter spinas, ita amica mea inter filias?* Quæ hæ filiæ, (inquit), si amica sit Ecclesia? num congregatio infidelium? absit. Loquitur igitur (inquit) de anima perfecta, quæ inter multas peccatrices animas in eodem horto Ecclesiæ commoratur. *Respondeo*: nihil esse in hoc loco difficultatis. Spiritus sanctus lilio comparat Ecclesiam inter spinas crescenti. Per spinas mali ac reprobi intelliguntur, qui non sunt de Ecclesia, etsi sint cum Ecclesia. Atque hanc quidem ob causam, quia cum Ecclesia in hoc mundo miscentur, filiæ dicuntur; juxta illud Augustini Epist. 48. qui etiam locus ab Adversario citatur, *Dicuntur spinæ propter malignitatem morum, dicuntur filiæ propter communionem Sacramentorum.* Tales enim mali ac reprobi sunt erga Ecclesiam, qualis est spina erga lilium. Augustinus in lib. de unitate Ecclesiæ cap. 13. hunc locum citans, sic scribit: *De sancta Ecclesia dictum esse, omnis Christianus agnoscit.* Similiter idem Augustinus in lib. 5. de Ba-

ptism. contra Donatist. cap. 27. *Spinæ sunt illi* (inquit) *qui solis verbis & non factis seculo renunciârunt. Istæ sunt spinæ* (inquit) *in quarum medio est illa* (id est Ecclesia) *sicut lilium.* Ubi Augustinus diserté docet, spinas non esse de Ecclesia, sed Ecclesiam inter spinas crescere, nisi quis vult ipsum lilium esse spinas. Et pauló póst sic scribit: *Illa multitudo spinarum, sive occultis, sive apertis separationibus, forinsecus adjacet super numerum.* Non sunt ergo ex illo numero. Ex his verbis hæc tria colligo. *Primum* est, spinas esse omnes impios, sive aperté, sive occulté impii fuerint. *Secundum*, impios non magis Ecclesiam esse, quám spinæ sunt lilium. Spinæ veró pungunt & lædunt lilium, & impediunt, ne crescat: ita reprobi Ecclesiam Christi vexant, eique multis modis molesti sunt. *Tertium* est, ut spinæ á lilio separantur, etsi cum lilio crescant: ita impios ab Ecclesia vel aperté vel occulté separari: etsi una cum bonis in Ecclesia vivant. Si veró ab Ecclesia separantur, tum illos ad Ecclesiam non pertinere manifestum est.

Venio nunc ad *secundum* argumentum eorum, quæ Adversarius nostra esse dicit, quæque sibi refutanda proposuit, quod in hunc modum se habet. Arca Nohæ figura fuit Ecclesiæ; at in Arca nulli fuerût, nisi qui salvandi erant ex aquis; ergo in Ecclesia nulli sunt, nisi prædestinati. Sed hoc argumento contra nos utuntur Adversarii; & hoc modo invertunt: Arca Nohæ fuit figura Ecclesiæ Catholicæ; at in Arca Nohæ non modó Sem & Japhet fuerunt, sed impurus etiam Cham; nec munda tantúm, verumetiá immunda animalia; sequitur ergo, in Ecclesia Catholica non solúm bonos, sed & malos etiam esse. Superiori argumento respondet Bellarminus, similitu-

dines

dines non in omnibus convenire. In eo veró Arcam convenire cum Ecclesia ait, quód sicut nemo extra Arcam salvari potuit, ita nec extra Ecclesiam quisquam salvus esse potest; non autem in eo, quód quemadmodum omnes salvabantur, qui fuerunt in Arca; sic omnes servantur, qui sunt in Ecclesia. *Respondeo*: Scripturas nusquam Ecclesiam cum Arca cõparare. Sed Patres hac comparatione sæpe utuntur. Quod veró attinet ad locum illum, qui habetur 1. Pet. 3. 20. 21. Petrus ibi non comparat Ecclesiam cum Arca, sed de Baptismi fructu loquitur, & comparat salutem, quam nos in Baptismo (non exteriore illo, sed quem Spiritus sanctus efficacem reddit, qui verus est Baptismus) consequimur, cum ea salute, quam adepti sunt illi, qui in Arca fuerunt. Sed si volunt Adversarii, Arcam Ecclesiæ typum facere, sic nobis licet argumentari. Omnes in Arca servati sunt; ergo omnes in Ecclesia servantur. Nec impedit hoc, quó minús sequatur argumẽtum, quód impius Cham in Arca fuit. Nam qualiscunque ille fuit, salus illa temporalis, quam ipse in Arca consecutus est, potuit æternam illorum salutem significare, qui in Ecclesia veré servantur. Et verba ipsa Petri Bellarminum videntur refellere. Sic enim Petrus: *Pauca, id est, octo animæ servatæ sunt per aquam.* Si ulla igitur Ecclesiæ cum Arca similitudo sit, ea in salute cõsistit. Evertitur hîc ergo illud, quod Bellarminus ait, comparationem in eo consistere, quód sicut extra Arcam nulli servabantur, sic extra ecclesiam nulli servantur: cúm Petrus sic comparationem instituat; ut octo animæ in Arca servatæ sunt, sic qui veré baptizantur (loquitur enim de spirituali Baptismo) ii omnes servantur, id est, qui in corpus

Ecclesiamque Christi veré insiti sunt, ii perire nullo modo possunt. Augustinus lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 28. hanc comparationem egregié tractat & persequitur, aitque, eos, *qui seculo verbis tantúm, non factis, renunciarunt, in quibus non est conscientiæ bonæ interrogatio, non pertinere ad Arcæ hujus mysterium.* quod perinde est, ac si diceret, nullos reprobos ad Ecclesiam Catholicam pertinere. Nam per mysterium illud Arcæ intelligit Augustinus Ecclesiam Catholicam. Et postea ait, *Malé utentes Baptismo, per aquam moriuntur;* quod nulli tunc accidit, nisi qui extra Arcam fuit. Ubi aperté docet, non omnes, qui baptizantur, esse continuó de Ecclesia; sed eos qui non bene utuntur suo Baptismo, esse extra Ecclesiam; quemadmodum ii fuerunt extra Arcam, qui in aquis perierunt. Et postea præclaram sententiam subjungit, quæ nobis diligenter observanda est. *Certé manifestum est,* (inquit) *id quod dicitur in Ecclesia intus & foris, in corde non in corpore cogitandum esse. Quandoquidem omnes qui corde sunt intus in Arcæ unitate, per eandem aquam salvi fiunt; per aquã omnes qui corde sunt foris, sive etiam corpore sint foris, sive non sint, tanquam unitatis Adversarii moriuntur.* Ex quibus verbis ista colligo. *Primó,* non corpore, sed corde statuendum esse, qui extra, qui intra Ecclesiam sint. Et quo sequitur, definitionem Adversariorum non esse veram. Nam qui corpore tantúm sunt in Ecclesia, hoc est, qui in externa tantúm societate fideliũ versantur, ii secundúm illos de Ecclesia sunt. At Augustinus docet, qui in Ecclesia sint, qui extra, non ex externa conjunctione aut professione, sed ex corde æstimandum esse. *Secundó* verò ex Augustini verbis colligo, qui corde intus sunt, etsi extra sint

corpore,

corpore, eos in Arca esse, id est, in Ecclesia, & per aquam servari. Ergo quicunque corde intus sunt, hoc est, fide, cujusmodi sunt quidam non baptizati, & excommunicati; ii ad Ecclesiam Catholicam pertinent. *Tertiò* colligo, qui extra Ecclesiam sunt corde, etiamsi corpore sint intus, id est, qui non habent interrogationem bonæ conscientiæ, & verbis, non factis seculo renunciant, eos sic extra Ecclesiam mori, quemadmodum qui olim tempore diluvii extra Arcam fuerunt, in aquis pericerunt.

Tertium nostrum argumentum á Bellarmino citatum, sumitur ex Ephes. 5. 23. 26. 27. estque hujusmodi. Christus non est caput nisi ejus Ecclesiæ, quam salvabit, & quam exhibebit sibiipsi in die judicii glorioſam, nō habentem maculam, aut rugam; at soli prædestinati erunt salvi & glorioſi; ergo soli prædestinati ad Ecclesiam Christi pertinent. Argumentum est firmum. Syllogismus sic institui potest. Illius tantúm Ecclesiæ, quæ servatur, Christus caput est: at nullorum qui pereunt Christus caput est: ergo nulli qui pereunt, pertinent ad veram Ecclesiam. Bellarminus *respondet*, Christum esse caput etiam ejus Ecclesiæ, quam non servat, id est, ejus partis Ecclesiæ, quæ non servatur. Sed hoc falsissimum esse, ex ipsis Apostoli verbis luculentissimé apparet. Ait enim Apostolus eodem in loco, Christum esse caput tantúm illius Ecclesiæ, quam redemit suo sanguine, & pro qua se tradidit, *ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ, καὶ καθαρίσῃ, ut eam sanctificaret, & purgaret*, vers. 26. &, *ἵνα παραστήσῃ αὐτὴν ἑαυτῷ ἔνδοξον, μὴ ἔχουσαν σπίλον ἢ ῥυτίδα*, hoc est, *ut sisteret eam glorioſam, non habentem maculam aut rugam*, vers. 27. Ad hanc ergo nulli nisi boni

& prædestinati pertinent. Quod etiam ex iis verbis quæ sequuntur, magis adhuc erit manifestum, ubi Ecclesia corpori comparatur. Dicitur enim Christus τὴν ἐκκλησίαν ἐκτρέφειν καὶ θάλπειν, hoc est, *Ecclesiam alere ac fovere*, tanquam corpus suum, vers. 29. Quemadmodum ergo nemo odit corpus suum, aut partem aliquam corporis sui, imó nemo non amat ac fovet corpus suum, & quamlibet ejus partem; ita Christus non odit aliquam Ecclesiæ suæ partem, sed fovet, amat, & conservat totam. Non sinit igitur aliquam Ecclesiæ suæ partem perire. Si enim Christus haberet aliqua membra, quæ sineret perire; tum ille minús amaret & foveret corpus suum, quám nos nostra: at hoc absurdum; ergo & illud. Præterea, quod sequitur, hoc idem confirmat. Ait enim Apostolus vers. 32. hoc illud magnum mysterium esse, de Christi & Ecclesiæ conjunctione. Ex quibus verbis, si unà cum iis quæ proximé præcedunt, conferantur, manifestissimé apparet, inter Christum & membra corporis ejus universa, arctissimam conjúctionem esse: at impii á Christo disjunctissimi sunt; ergo non sunt membra corporis Christi. Hic igitur Pauli locus satis ostēdit, impios omnes ac reprobos, ex illa Ecclesia, quæ Christi corpus est, excludi. Sic enim ex hoc loco possum argumentari. Impii cum Christo non conjunguntur; impios non fovet & amat Christus, ut corporis sui membra; impios non sanctificat & purgat; non se pro impiis & reprobis tradidit: ergo impii & reprobi ad illam Ecclesiam non pertinent, cujus Christus caput est.

Quartum nostrum argumentum, quemadmodum á Bellarmino proponitur, est hujusmodi. Mysticum corpus Christi simile est vero ejus corpori,

hoc

hoc est, corpori ejus naturali, (sic enim ille corpus verum intelligit:) at totum Christi verum corpus cũ omnibus suis partibus salvum & glorioſum est; ergo corpus etiam mysticum in omnibus suis membris & partibus salvari debet. Nescio certé, quis nostrûm hoc argumento usus fuerit, præsertim eo modo, quo ille intelligit. Non memini me hujusmodi argumentum in aliquo authore nostro legisse. Bellarminus veró & absurdé intellexit, & absurdiús refutavit. Sic enim ille hoc argumentum proponit, quasi nos á corpore Christi naturali veroque ad corpus illius mysticum ratiocinemur. Responsionem veró ineptissimam excogitavit. Ait enim, verum Christi corpus non fuisse totum salvum, quia partes materiales fluebant, & mutabantur, quemadmodũ in nostris corporibus fieri videmus, (fuit enim ejus corpus nostris per omnia simile) sed quoad partes formales, totum salvum fuisse. Ita mysticum Christi corpus ait habere formales & materiales partes. Formales partes esse Apostolos, Prophetas, Pastores, Doctores, &c. quoad illos, corpus mysticum salvum futurum esse, quia ex omni genere hominum aliqui salvantur. Materiales veró esse homines singulares, & quoad illos omnes, non salvum futurum esse mysticum Christi corpus. *Respondeo* 1. Nos sic potiús hoc argumentum instituere: Si verum Christi corpus totum servatur, tum & mysticum Christi corpus totum servatur; nam mysticum corpus est verũ corpus, & hoc est Ecclesia: at verum Christi corpus totum servatur; ergo & mysticum totum servatur. Vel breviús sic. Verum Christi corpus totum servatur; at mysticum Christi corpus est verum Christi corpus; ergo mysticum Christi corpus totũ servatur.

Sed Jesuita, cúm nos de vero Christi corpore loquimur, putat nos de naturali Christi corpore loqui. 2. Absurdé de partibus veri corporis Christi statuit Adversarius, eas nempe fluere & mutari. Quid enim si partes quædam corporis Christi fluxerunt? num ideo aliqua pars materialis veri corporis Christi periit? Non id (opinor) audet dicere, cúm ipsi Papistæ scribant, sanguinem á corpore Christi fluentem Angelos excepisse, ne in terram diffluëret, atque ita periret. 3. Ecclesiæ partes formales & materiales inepté assignat, formales esse Apostolos, Prophetas, Pastores, Doctores; materiales veró, esse singulares homines. Quid enim? an omnes formales partes servantur? Sic ille quidem affirmare videtur. Sed unde quæso hoc illi constat? Num enim omnes Pastores, & omnes Doctores, salvos futuros esse existimabimus? Hoc veró præter Bellarminum nemo (opinor) unquam dixerit. An forté formales illæ partes sunt illa universalia nomina, quibus Ecclesiæ mémbra varia designantur, & materiales sunt personæ singulares? sed quid hac opus est distinctione, cúm nos de singulis Ecclesiæ membris loquamur, & singula membra servari statuamus? Sic enim dicimus, in mystico Christi corpore nullum esse singularem hominem, qui nõ servetur, propterea quód Christo capiti quisque per fidem copulatur, atque conjungitur, á quo vitam & salutem haurit. Ergo ridiculum hoc est Bellarmini figmentum. Sed Christum eorum duntaxat caput esse, qui servantur, postea pluribus docebimus. Nunc ista sufficiant.

Quintum nostrum argumentum á Bellarmino citatum, sic se habet. Ecclesia est unum ovile, Johan. 10. ad hoc autem ovile nulli nisi oves pertinent; & hæ

oves

oves non ſunt niſi prædeſtinati, ut ſcribit Auguſtinus in 45. tractat. in Johan. ergo ſoli prædeſtinati ſunt de Eccleſia, nulli verò reprobi. Argumentum eſt neceſſarium. Si enim Eccleſia ſit ovile illud unum Chriſti, & ovile ſit ovium tantùm, & hæ oves ſunt prædeſtinati: ſequitur, Eccleſiam ex ſolis prædeſtinatis conſtare. *Reſpondet* Bellarminus dupliciter. *Primò* ait, oves interdum in Scripturis ſolos prædeſtinatos ſignificare, ut Matth. 25. ubi oves ſeparantur ab hœdis, & Johan. 10. ubi Chriſtus ait, *Oves meæ vocem meam audiunt.* Si hoc modo intelligatur nomen ovis, reſpondemus (inquit) in ovili non eſſe ſolas oves, ſed etiam hœdos, ut patet ex Matth. 25. ubi Chriſtus dicitur oves ab hœdis ſeparaturus; ergo antea ſimul fuerunt in eodem ovili. *Reſpondeo:* 1. In hoc uno ovili, cujus Chriſtus eſt Paſtor, de quo legimus Joh. 10. 16. *Unum erit ovile, & unus Paſtor* (quod ovile Eccleſiam Catholicam ſignificat) nulli hœdi ſunt, omnes oves. Quod Chriſti verba indicant, verſ. 9. ejuſdem capitis, ubi ait, ἐγώ εἰμὶ ἡ θύρα. *Ego ſum oſtium illud; per me quiſquis introierit, ſervabitur; & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet.* Ex quibus verbis hoc ego argumentum colligo. Quicunque in hoc ovile intrant, per Chriſtum ut januam intrant, & ſalutem conſequuntur: at hœdi, id eſt, reprobi per Chriſtum non intrant, nec ſalutem conſequuntur; ergo hœdi, id eſt, reprobi in hoc ovile non intrant. Cumque illud ovile ſit Eccleſia Catholica; ſequitur, reprobos nullos in Eccleſia Catholica eſſe. Idipſum Auguſtinus teſtatur, ut ſuprà audivimus. 2. *Reſpondeo:* particulares quidem Eccleſias dici poſſe particularia Chriſti ovilia, at ſic multa ſunt ovilia Chriſti, non unum tantùm: nec hæc quidem multa ovilia conſt-

ciunt illud unum ovile, cujus Christus hoc in loco meminit. Nam in omnibus quidem particularibus ovilibus misti sunt cum ovibus hœdi; sed non ita in hoc ovili, de quo hîc Christus loquitur. Dicuntur veró particulares Ecclesiæ ovilia Christi, propter oves quæ in illis sunt, non propter hœdos. Nam ut hœdi non sunt oves, nisi æquivocé: ita non propriè, sed æquivocé de ovili sunt, quanquam sunt in ovili; quia ovile est ovium, non hœdorum; Inter Ecclesias veró particulares, & Ecclesiam Catholicam, hoc interest, ut diximus, quód particulares Ecclesiæ ex hœdis & ovibus mistæ sunt, Catholica veró non est mista, sed simplex & perfecta. Non enim cõstat ex variis hominum generibus, sed ex solis bonis; ac propterea quisquis est in Ecclesia Catholica, idem etiam est de Ecclesia Catholica; at non quisquis est in particulari Ecclesia, idem continuó de Ecclesia Catholica est: si non de Ecclesia Catholica, neq; etiam de ovili Christi. 3. *Respondeo:* Quod ad Matth. 25. attinet; non dicitur, hœdos & oves fuisse simul in uno illo ovili: sed in mundo & externis hominum societatibus hœdos simul cum ovibus permistos esse, nec anté separari posse, quám in ultimo judicio. De lupis Augustinus lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. qui etiam hœdi dici possunt (nihil enim interest, lupíne an hœdi dicantur, modó non sint oves) in hunc modum scribit: *Videntur quidem intus esse, veruntamen ad illam ovem, quæ ex multis una est, non pertinere, morum suorum fructibus convincuntur, in quibus in finem usq; perdurant.* Ubi observandum est, Ecclesiam ab Augustino modó unum ovile, modó unam ovem dici; quia ad hoc ovile oves tantúm pertinent. Ergo hœdi non pertinent ad ovile Christi, multó minús lupi; quia

sunt

ſunt inimicæ & feræ belluæ, & ovibus infeſtæ. *Secundó* reſpondet Bellarminus, oves interdum ſignificare omnes in genere, tam bonos quám malos, qui ſunt in Eccleſia: ut Joh. ult. *Paſce oves meas.* & Pſal. 73. *Iratus eſt furor tuus ovibus paſcui tui.* & Ezech. 34. ubi deſcribuntur oves Dei, aliæ pingues, aliæ macilentæ, aliæ ſanæ, aliæ ægrotæ, &c. & ſecundúm hanc ſignificationem, ait, argumentum non ſequi, nec ullam in ſe vim habere. *Reſpondeo:* 1. Cum intelligat ipſe, Auguſtinum oves de ſolis prædeſtinatis interpretari, cumque ita omnino locus ipſe poſtulet: quorſum (quæſo) ſpectat hæc ſignificatio? 2. Fateor, oves communiter dici poſſe, qui ovium ſpeciem tantúm, & externam pelliculam habent, etſi intus lupi ſint. Et tales quidem nimis multi ſunt nimisq; frequentes in particularibus Eccleſiis; ſed in Catholica Chriſti Eccleſia tales nulli ſunt. Chriſtus enim tales nullos in ſuum ovile admittit.

Sextum noſtrum & *ultimum* argumentum á Bellarmino citatum, ex certis quibusdam Scripturæ teſtimoniis ſumitur, in quibus prædeſtinati oves dicuntur, & filii Dei, etiá cúm in erroribus Gentilitatis verſarentur. Joh. 10. *Alias oves habeo* (inquit Chriſtus) *quæ non ſunt ex hoc ovili.* Et Joh. 11. Caiphas dixit, Jeſum *moriturum eſſe pro Gente illa, & non pro illa ſolúm Gente, ſed etiam ut filios Dei, qui erant diſperſi, in unum congregaret.* Et 2. Tim. 2. *Firmum ſtat Dei fundamentum, habens ſigillaculum hoc, Novit Dominus, qui ſunt ejus.* Ergo omnes prædeſtinati (inquit Bellarminus) ſemper ſunt de Eccleſia. Sic enim ille pro nobis ratiocinatur. *Reſpondeo:* hoc non eſſe noſtrum argumentum. Nos enim non dicim' prædeſtinatos eſſe ſemper actu de Eccleſia. Sic enim eſſent de Eccleſia, antequam nati ſunt,

& antequam mundus conditus est, & antequam omnino ecclesia fuit. Nam Ecclesia omnino non fuit, antequã homines in mundo fuerunt. Sed actu de Ecclesia prædestinatos non esse affirmamus, priusquam vocati, & justificati fuerint, ne si in Ecclesia aliqua particulari vivant. Nam prædestinatio sola non facit, ut quis actu de Ecclesia Catholica sit, sed ad hoc vocatio & justificatio præterea requiruntur. Nos ergo hoc argumentum non agnoscimus. Sed aliud præterea Scripturæ testimonium apud Bellarminum sequitur, quod firmum nobis argumentum suppeditat. Illud verò habetur 1. Joh. 2. 19. in his verbis: *E nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: nam si fuissent ex nobis, utiq; permansissent nobiscum.* Ex hoc enim loco sic concludimus. Quicunque exeunt ex Ecclesia, ii non sunt de Ecclesia. Id verba Apostoli manifestè præ se ferunt: *Si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum.* At reprobi omnes exeunt de Ecclesia; ergo nulli reprobi sunt de Ecclesia. Vel isto modo: Quicunque sunt de Ecclesia, illi perpetuò in Ecclesia permanent. Sic enim Apostolus: *Si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum.* Reprobi verò non permanent, sed exeunt. Ergo reprobi non sunt de Ecclesia. Firmissimum hoc argumentum est, & planè [illegible]. In illo verò diluendo Adversarius sese in varias partes vertit, & varié se torquet; & tamen nihil proficit. Affert enim distinctiones duas, quibus sperat se posse hujus argumenti impetum effugere. *Prima* est, hominem posse dici Christi ovem, filium, ac membrum, duobus modis: uno modo, secundùm prædestinationem; altero modo, secundùm præsentem justitiam. *Respondeo:* De hac distinctione nihil dicam, quia nihil ad causam hanc pertinet, quam in manibus

bus habemus; neque certé nos attingit. Nos enim non dicimus, prædestinatos omnes esse de Ecclesia secundúm præsentem statum, aut justitiam, nisi vocati & justificati fuerint. *Secunda* distinctio est, posse aliquem dici veré filium Dei, aut membrum corporis Christi duobus modis: uno modo, secundúm veritatem essentiæ, seu formæ: altero modo, secundúm veritatem finis, vel, ut alii loquuntur, secundúm veritatem permanentiæ. Quis non contremiscat, cúm tam mirabiles distinctiones audiat? Sed istam distinctionem excutiamus. Qui igitur primi generis filii sunt, hoc est, secundúm essentiæ seu formæ veritatem? Hoc ille primó definitione explicat, nempe qui charitate prædíti sunt, & qui de eodem spiritu Christi vivunt: deinde Scripturæ testimoniis, ut 1. Joh. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* & 1. Cor. 12. *In uno spiritu omnes vos in unum corpus baptizati estis.* Jam videamus, quinam sint filii Dei secundúm veritatem finis. Veritate finis filii Dei dicuntur secundúm Bellarminum, qui perseverant ad finem usque, & hæreditatem assequuntur; & hos veros esse filios alt, alios veró illos non esse, sed speciè tantúm. Nam qui exeunt, & non persistunt, non sunt filii veritate finis, etsi veritate essentiæ filii sunt. Unde vult concludere, multos esse filios Dei veritate essentiæ, qui non sunt filii veritate finis, ac proinde multos reprobos esse in Ecclesia. *Respondeo primó*: hanc distinctionem esse absurdam, quia ejus membra inter se non differunt. In iis enim, quæ distinguuntur, nulla est differentia; quia qui filii aut membra sunt veritate essentiæ aut formæ, ii quoque filii & membra sunt veritate finis. Qui enim (quæso) primo modo filii sunt? Qui charitatem scilicet habent. Sic enim Bellarmi-

nus ſtatuit ex 1. Johan. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt.* At, qui ex Deo natus eſt, is ex ſemine immortali natus eſt; talis ergo perire nullo modo poteſt. Qui verò perire non poſſunt, ii ſecundùm veritatem finis filii ſunt, non tantùm ſecundùm veritatem eſſentiæ: ergo iſta membra confunduntur. Præterea, qui per unum ſpiritum in unum corpus baptizantur, ii etiam veritate finis filii ſunt; quia habent ſpiritum filii Dei, ſuntq; Dei hæredes, & cohæredes Chriſti: ergo hæreditatem conſequentur. Ita eſt hæc diſtinctio ſine differentia. 2. Dico, hanc diſtinctionem, noſtram de Eccleſia Catholica ſententiam apertiſſimé confirmare. Adverſarii enim contendunt, reprobos, magnos peccatores, occultos infideles, de Eccleſia Catholica eſſe. Sed hoc falſiſſimum eſſe, ex eo patet: quòd ſi ad Eccleſiam Catholicam pertinerent, tum filii Dei eſſent; ſi filii Dei, tum vel veritate eſſentiæ, vel veritate finis. Sed neutro modo filii eſſe poſſunt. Non primo modo, quia charitatem non habent; nam ii veritate eſſentiæ filii ſunt, qui charitatem habent. Reprobi verò, ac magni peccatores, ex Eccleſia excluduntur, quia charitatem non habent. Neque enim tales ex Deo naſcuntur: quomodo ergo filii Dei eſſe poſſunt veritate eſſentiæ? Multò minùs ſecundo modo, hoc eſt, veritate finis filii Dei eſſe poſſunt, quia exeunt poſtea ex Eccleſia, & in ea ad finem uſque non permanent. 3. Dico, Adverſarium in hac diſtinctione ſecum pugnare. Nam primò ait, hominem dici poſſe veré filium Dei duobus modis, nempe veritate eſſentiæ, & veritate finis. Et tamen poſtea ait, eos, qui non ſunt filii veritate finis, non eſſe veré filios Dei. Hæc enim ipſius verba ſunt: *Veritate finis dicitur filius Dei, qui aſſequetur hære-*

hæreditatem; & qui non assequetur, videtur filius, sed non est. Si videtur tantúm filius Dei, & non est; tum veré filius Dei esse non potest. At ille antea dixit, esse veré filium Dei. Quid magis ἀπροαιρέτως dici potuit? Ita sustulit ille prorsus membrum primum divisionis suæ. Nam quæ æquivocé dicuntur, ea veré non dicuntur; ut pictus homo, non est veré homo: at ille fatetur, eos qui veritate essentiæ filii Dei sunt, & non veritate finis, æquivocé tantúm filios Dei dici; quia ait, videri tantúm filios Dei, & non esse: sequitur ergo, veré filios Dei dici non posse. *Præterea*, 4. dico: illud esse prorsus ἀθεόλογον, quenquam dici filium Dei veritate essentiæ, præter solum Christum. Si quisquam nostrûm tale aliquid dixisset, quantos illi clamores in nos excitassent! Atq; hæc sufficiat contra Bellarmini responsionem dixisse. Nunc nos ex prædicto loco sic argumentum nostrum denuó concludimus: Si fuissent ex nobis, hoc est, si membra veræ & Catholicæ Ecclesiæ fuissent, in Ecclesia Catholica permansissent (fieri enim non potest, ut membra Ecclesiæ ab Ecclesia separentur:) at illi visi tantúm sunt esse membra Ecclesiæ, non fuerunt: ergo in Ecclesia non permanserunt. Ex quo sequitur, reprobos de Ecclesia non esse; quia in Ecclesia ad finem usq; non permanent, sed exeunt tandem. Sed ne videamur nostris viribus freti, & nostro ingenio confisi, hunc locum ita interpretari, & hunc sensum ex his verbis elicere; testimonia quædam Patrum proferemus. Augustinus in libro de correptione & gratia cap. 9. hunc locum egregiè tractat. Is ergo unus instar omnium erit. *Sunt* (inquit) *filii Dei, qui nondum sunt nobis; & sunt jam Deo, de quibus ait Evangelista Johannes; Quia Jesus moriturus erat pro Gente, nec tantúm pro*

 Ex quibus hominibus

Gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum; quod utiq; credendo futuri erant per Evangelii prædicationem: & tamen antequam esset factum, jam filii Dei erant in memoriali Patris sui inconcussa stabilitate conscripti. Et sunt rursus quidam, qui filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur á nobis, nec sunt tamen Deo, de quibus ait idem Johannes, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; quód si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. Hæc Augustini distinctio melior multó est distinctionibus illis, quæ nobis á Jesuita proponuntur. Ait Augustinus, quosdam esse Dei filios, qui nondum á nobis, ab ipso tamen Deo pro filiis habentur; quosdam econtra á nobis filios dici, qui ipsi Deo filii non sunt; nullos verò Dei filios veros esse, nisi quos Deus pro suis agnoscit: at reprobos non agnoscit pro suis; ergo reprobi non sunt veri filii Dei. Præterea subjungit postea Augustinus eodem in loco. *Non ait,* (inquit) *Ex nobis exierunt; sed quia non manserunt nobiscum, jam non sunt ex nobis: verùm ait, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, hoc est, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis.* Et paulò pòst ait, illos qui non permanent, *ne tum quidem esse filios Dei, quando erant in nomine & professione filiorum Dei.* Et postea ait: *Sicut non verè discipuli Christi erant: ita nec verè filii Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur.* Hoc nostram sententiam confirmat vel maximè, nonnullos in externa Ecclesiæ facie cum piis versari, qui tamen non sunt veré filii Dei, nec membra Ecclesiæ Catholicæ, cujus pii membra sunt; ne tum quidem, cùm in Ecclesia versantur: nec ullos esse vera membra veræ Ecclesiæ, nisi qui permanent. Si non sint veré filii, ne veritate quidem essentiæ filii sunt: nam qui veritate essentiæ filii sunt, ii veré sunt filii. Atq; alibi etiam Augusti-

guſtinus, nempe in expoſitione hujus epiſtolæ, in tractat. 3. egregié de hoc loco ſcribit: *Omnes hæretici,* (inquit) *omnes ſchiſmati ex nobis exierunt, id eſt, ex Eccleſia exeunt; ſed non exirent, ſi ex nobis eſſent. Antequam exirent ergo, non erant ex nobis. Si antequam exirent, non erant ex nobis; multi intus ſunt, non exierunt, & tamen Antichriſti ſunt.* Quare manifeſtum eſt, Auguſtinum nunquam ſenſiſſe, homines impios, qui exeunt ex Eccleſia, fuiſſe aliquando membra Eccleſiæ, ne tum quidem, cúm in Eccleſia fuerunt. Nam vocat Antichriſtos: at nulli Antichriſti poſſunt membra Chriſti eſſe. Idem etiam poſtea omnia Chriſti membra, & Chriſto capiti ſuo, & inter ſe conjuncta eſſe docet. *Nunquam ſibi* (inquit) *ſunt membra contraria. Corporis integritas univerſis membris conſtat.* Quod quidem veriſſimé ab illo dicitur. Quemadmodum enim in corpore humano unum membrum non eſt alteri contrarium: ſic in Eccleſia. At reprobi & prædeſtinati, impii & pii, ſunt ſibi invicem contrarii; ergo non poſſunt eſſe ejusdem corporis membra. Præterea ſubjungit, eos qui exeunt, eſſe quaſi malos humores in corpore humano; quos quando aliquis á ſe projecit, non putat ſe aliquid ſui amiſiſſe; ſed potiús meliús ſecum actum eſſe, & ſe jam eſſe relevatum: ſic quando mali exeunt, tunc Eccleſia relevatur. Et ait, Eccleſiam poſt malorum egreſſum ſic loqui poſſe, quemadmodum ægrotus aliquis, qui malos humores é corpore ſuo ejecerit: *Ex me exierunt humores iſti, ſed non erant ex me.* Pergit etiam adhuc, & ait: *Quid hoc eſt, Non erant ex me?* Reſpondet: *Non erant ex me, id eſt, non erant præciſi de carne mea.* Sic etiam Eccleſia poteſt dicere. At ſi membra fuiſſent, é corpore & carne ejus præciſi fuiſſent. Præterea, pauló póſt eodem in loco

ſubjungit: *Aut ſumus in membris, aut ſumus in malis humoribus.* Hæc verba diligenter obſervanda ſunt. Refellunt enim planiſſimè Adverſarii diſtinctionem de vivis & mortuis membris. Non conſtituit corporis Chriſti mortua aliqua membra Auguſtinus, ſed quos Adverſarius mortua membra vocat, hos ille malos humores appellat; At nemo putat humores eſſe membra corporis, ne mortua quidem. Qui non ſunt prædeſtinati, hoc eſt, perpetuó cum Chriſto futuri, ii ſunt tantúm mali humores in corpore Chriſti, non ſunt membra, ſecundúm Auguſtinum; quia tum, cúm illi ejiciuntur, membra quædam á corpore Chriſti præciderentur. Idem Auguſtinus alibi iſtum locum de prędeſtinatis interpretatur, quod noſtram ſententiam confirmat, nempe in lib. de bono perſeverantiæ cap. 8. ubi ſic ſcribit: *Non erant ex iis; quia non erant ſecundúm propoſitum vocati, non erant in Chriſto electi ante conſtitutionẽ mundi, non erant in eo ſortem conſecuti, non erant prædeſtinati ſecundúm propoſitum ejus, qui univerſa operatur.* Unde ſequitur, eos qui non permanent, eſſe non electos, non prædeſtinatos, hoc eſt, reprobos. Hîc ergo illa verba *(ex nobis)* interpretatur de prædeſtinatis: in loco veró ſuperius citato, de Eccleſia Catholica interpretatur. Ex quo ſequitur, Eccleſiam Catholicam ſecundúm Auguſtini ſententiam ex ſolis prædeſtinatis conſtare. Similiter idem etiam Auguſtinus in lib. 3. de Doct. Chriſt. cap. 32. opinionem ſententiamq́; noſtram hac de re confirmat. Quo quidem in loco Tyconium Donatiſtam reprehendit, & regulas quasdam ab illo propoſitas refellit. Fuit veró ejus regula quædam de bipartito corpore Chriſti, quam illo capite tractat Auguſtinus. Probat autem, Tyconium non debuiſſe dicere,

bipartí-

bipartitum esse Christi corpus, *quia non est revera* (inquit) *Domini corpus, quod cum illo non erit in æternum.* Ergo nullum est membrum corporis Christi, quod nõ perpetuó cum eo manet. Hæc verba tollunt prorsus distinctionem illam Bellarminianã de filiis Dei veritate essentię, & veritate finis. Ait enim Augustinus, illos non esse revera corpus Christi, hoc est, membra corporis Christi, qui non in ęternũ cum Christo manent. Hoc Bellarminus sic interpretatur, nõ esse illos filios Dei, aut de corpore Christi, veritate finis. Sed quid quęso aliud est esse filiũ Dei veritate finis, quám in æternum cum Christo manere? Sic absurdé atque inepté loquetur Augustinus, si Adversarii interpretationẽ sequamur. Perinde enim erit, ac si diceret: Illi non erunt in æternum de corpore Christi, qui non erunt in æternũ de corpore Christi. Sed Augustinus diserté ait, illos nõ esse corpus Christi, qui non erunt in ęternũ cum Christo; hoc est, qui non veritate finis membrum Christi est, is nec veritate essentiæ membrum est. Et in eodem capite palám ait: *non esse unum utrorumq; corpus*, id est, bonorum & malorum, prædestinatorum & reproborum. Nam de his loquitur. Manifestum ergo est, Augustinum duo corpora statuere, unum Christi, alterum Satanæ; Christi corpus ex solis prædestinatis & bonis constare, Satanæ verò corpus ex solis reprobis. Quanquam enim Ecclesia est in hoc mundo ex bonis & malis permista; tamen unum est corpus bonorum, aliud malorum. Sed Papistæ unum statuunt utrorumq; corpus, cúm ajunt, Ecclesiam constare ex prædestinatis & reprobis simul. Hæc nostra sunt argumenta omnia, quæ á Bellarmino proponuntur. Sed non aliis argumentis nostram definitionem postea confirmabimus.

CAPUT DECIMUM.

In quo Bellarmini argumenta diluuntur, quibus probat, magnos peccatores esse in Catholica Christi Ecclesia.

JAM verò in capite nono (caput enim octavum nos minimé attingit, sed Pelagianos tantúm & Anabaptistas) aliam disputationem aggreditur Bellarminus, in qua probat esse in vera Ecclesia magnos & graves peccatores, & illos quidem non occultos tantúm, verumetiam manifestos: quod contra nostram definitionem facere, illorum verò definitionem maximé confirmare & stabilire videtur. Verúm possunt omnia ejus argumenta facilé refelli. Hoc enim unum omnia confirmant, esse scilicet in Ecclesiis particularibus unà cum fidelibus & sanctis etiam grandes peccatores, atque ita contra Novatianos & Donatistas valent plurimúm; contra nos verò, quos ille Confessionistas vocat, nullam vim habent. Nos enim hoc nunquam negavimus. Novatiani quidem dixerunt, visibilem quamque particularem Ecclesiam ex solis perfectis constare; Donatistæ verò, ex solis sanctis; utrique voluerunt carere peccatoribus manifestis, & eam quidem ob causam ab aliis Ecclesiis sese segregârunt. Hoc autem nostrûm nemo aut dixit, aut tenuit unquam. Sed hoc est, quod nos dicimus, in sancta Catholica Ecclesia, quæ est Christi corpus, nullos esse magnos & grandes peccatores; cujusmodi sunt ii, qui in peccatis suis computrescunt, & quandam quasi artem peccandi exercent. Nec tamen negamus interim, posse magnos peccatores, etiam manifestos, Ecclesiæ Catholicæ membra in posterum esse, si veré & ex animo resipuerint. Hac una responsione omnia Adversarii argumen-

gumenta dilui poſſunt. Volo tamen ſingula paucis proponere, iisdemq; breviter reſpondere, & primó quidem iis, quæ profert ex Scripturis.

Primo loco repetit omnes priores parabolas de area, de reti, de convivio nuptiali, de decem virginibus, de ovili. Has parabolas ait probare, magnos peccatores eſſe in Eccleſia. Et ait, Catholicos his olim uſos fuiſſe contra Donatiſtas; quibus illi ita labefactati ſunt, ut ne verbum quidem reſpondere potuerint. *Reſpondeo:* Hæ quidem parabolæ Donatiſtas fortiſſimé refellunt, nos veró ne attingunt quidem. Sunt enim omnes intelligendæ de particularibus & viſibilibus Eccleſiis; & evincunt, in illis eſſe manifeſtos peccatores. Sed non probant id, quod nos negamus, hoc eſt, ullum grandem peccatorem eſſe in Eccleſia Catholica. Donatiſtæ quidem negabant, eas eſſe Chriſti Eccleſias, in quibus ulli improbi eſſent, & ſeſe ab illis disjungebant; & particulares Eccleſias ex ſolis bonis conſtare ajebant. Hoc nos nunquam diximus; ſed in Eccleſia Catholica nullos niſi bonos eſſe affirmamus. Eſſe enim in Eccleſiis particularibus multos fatemur, qui non pertinent ad Catholicam Eccleſiam; etſi aliqui ſint, qui pertinent, quorum causâ Eccleſia eſt, & dicitur. Ergo hæ parabolæ nihil ad rem faciunt.

Alius locus profertur ex Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum &c. Si eos non audierit, dic Eccleſiæ; ſi Eccleſiam non audierit: ſit tibi velut Ethnicus & publicanus.* Ex quo teſtimonio colligit Adverſarius, eſſe in Eccleſia nonnullos, qui non admittunt fraternas admonitiones, etiam teſtibus adhibitis, nec per eas quicquam emendantur; & tamen in Eccleſia manere, nec deſinere eſſe Eccleſiæ membra,

donec ab ipsa Ecclesia per sententiam prælati ejiciantur & excommunicentur. *Respondeo:* Negari non potest, in singulis particularibus Ecclesiis multos inveniri, qui scandala præbent, quiq; fraternas admonitiones respuunt, & illos tandem excommunicandos, & ex Ecclesia ejiciendos esse. Sed quid hoc ad rem? Num hoc probat, in Ecclesia Catholica esse grandes peccatores, cujusmodi ille intelligit? Nequaquam veró. Quod autem ad excommunicationem attinet, nos antea ostendimus, non posse sic homine ex Ecclesia Catholica excommunicari, quemadmodum ex particulari. Qui enim in Ecclesiam Catholicam semel recipitur, is nunquam ejicitur. At veró quemadmodum in Ecclesiam particularem recipiuntur homines, cúm in externam illius societatem per Baptismum admittuntur: ita ex eadem ejiciuntur, cúm excommunicantur; qui tamen, ut antea probavimus, si vera fuerint membra Ecclesiæ Catholicæ, non minus sunt membra, cum excommunicantur, quám priús fuerunt. Fateor quidem, multos etiam bonos peccare sæpe, & quidem graviter, & tamen in Ecclesia esse. Sed hi non sunt magni illi peccatores, de quibus Bellarminus. Nam hi etsi peccant, tamen in peccatis suis non persistunt: sed de illis loquitur Adversarius, qui non peccant modó, verumetiam in peccato persistunt.

Aliud testimonium profert ex Matth. 23. ubi Christus præcipit de præpositis malis, ut *faciamus quæ dicunt, non autem quæ faciunt*, quos etiam describit cap. 24. *qui percutiunt conservos, & edunt, ac bibunt cum ebriosis:* at hi sunt de Ecclesia, sunt enim Ecclesiæ Pastores. *Respondeo:* Non omnes præpositi particularium Ecclesiarum, sunt continuó membra Ecclesiæ Catholicæ.

olicæ. Miror, Jeſuitam tam hebetem eſſe, ut nos oppugnet hujusmodi argumentis, quæ cauſam ipſam non attingunt. Sunt aliqui præpoſiti (fateor) qui dicunt & non faciunt: at hi non ſunt de Catholica Eccleſia, ſed tantúm de Eccleſiis particularibus, quæ ex malis & bonis miſtæ ſunt, & ex vario hominum genere conſtant. Sed aliqui etiam ſunt præpoſiti, qui dicunt, & faciunt: & hi ſoli ſunt de Eccleſia Catholica, quæ nõ ex membris conſtat heterogeneis, quemadmodum putat Adverſarius, ſed ex partibus homogeneis tantúm.

Aliud teſtimonium profert ex 1. Cor. 1. ubi Paulus vocat cœtum Chriſtianorum inter Corinthios, Eccleſiam Dei; & tamen poſtea affirmat, multa & magna peccata fuiſſe in illa Eccleſia; ut contentiones, ſtuprum &c. ergo magni peccatores ſunt in Eccleſia Dei. *Reſpondeo:* Hoc etiam argumentum frigidum eſt, & ineptum, & á cauſa alienum. Similiter enim omnes hominum cœtus, qui Chriſtum profitentur, id eſt, omnes Eccleſiæ particulares, dici poſſunt Eccleſiæ Dei, (etſi in iis multi ſint, qui ad Deũ & Chriſtum non pertinent) idque duabus potiſſimúm de cauſis. *Prima* cauſa eſt, quód res feré ſoleant appellari ex parte meliore. Sic vini dolium appellamus, in quo tamen multum fecis ineſſe novimus; & acervum tritici, etſi cum tritico palea multa miſta ſit. Simili plané ratione Eccleſia Dei dicitur, in qua tamen multi ſunt, qui ad Deum non pertinent. Quia enim Eccleſia Dei dicitur propter electos, qui Eccleſiam veré conſtituunt: non æquum eſt, ut propter reprobos Eccleſiæ nomen amittat; quia non propter reprobos, ſed propter electos Eccleſia appellatur. Ut enim corpus humanum nõ amittit corporis nomen

propter malos humores, aut propter vitium aliquod, quod in ipso est, sed corpus nihilo minus dicitur: ita particulares & singulares Ecclesiæ, quæ veram fidem profitentur, Ecclesię dici possunt propter electos, qui in illis versantur, etsi mali multi cum his simul misti fuerint. *Altera* ratio est, quia lex charitatis nos jubet de omnibus bene judicare, & bene sperare, qui Christi religionem profitentur, etsi peccent aliquando; quia peccare omnibus est commune. Ergo quia nos non possumus electos á reprobis distinguere, pro electis piisq; habendi sunt, quos non constiterit nobis esse reprobos; modó Christum colant, & fidem teneant. Hoc igitur argumentum non sequitur; Particulares hominum cœtus Evangelium profitentes, vocantur Ecclesiæ Dei á Paulo & á nobis etiam: ergo omnes qui in iisdem vivunt, ad Ecclesiam Catholicam pertinent. Idem etiam responderi potest ad proximum illud Scripturæ testimonium ab Adversario citatum, quod habetur Apoc. 2. & 3. Ubi Johannes vocat cœtus Asiaticorum Ecclesias Dei, quos tamen singulos de rebus non levibus grauiter reprehendit. *Respondeo:* hoc esse verissimum. Nam & pii habere possunt, quæ sunt reprehendenda. Fatemur nos quidem, in particularibus Ecclesiis multos esse, in quibus multa reprehendenda sunt: alioqui non opus esset admonitionibus Pastorum. Sed hoc nihil facit contra nos.

Postremum Adversarii testimonium ex Scripturis, est hujusmodi. Tempore veteris Testamenti nunquam defuerunt graviſſima peccata in populo Dei: tamen nusquam legimus, aut Mosen, aut Samuelem, qui diversis temporibus fuerunt; aut Mariam, Annā, Elizabetham, Simeonem, Zachariam, Johannem Bapti-

Baptiſtam, aut alios pios ac fideles, quos Chriſtus invenit in populo Judæorum, deſeruiſſe illam Eccleſiam, & ab ea ſe disjunxiſſe: ergo in eadē congregatione manebant boni & mali. *Reſpondeo*: Quorſum hoc argumentum affert? Nos enim idem plané dicimus cum illo, bonos & malos in eadem congregatione eſſe, nec tamen pium quenquam ideo ſe ſeparare oportere; qui ſecus fecerint, eſſe ſchiſmaticos. Nos nunquam diximus, vel Eccleſiam eſſe ſine nævis & peccatis; vel propter nævos & peccata eſſe deſerendam. Utatur ergo hoc argumento contra eos, quos attingit, hoc eſt, contra Novatianos ac Donatiſtas, non contra nos. Si verò in hunc modum argumentetur: In ſingulis congregationibus boni cũ malis miſti ſunt; ergo Eccleſia Catholica ex bonis & malis conſtat; negamus argumentum. Nam Eccleſia Catholica non conſtat ex iis omnibus, qui ſunt in particularibus congregationibus, ſed ex ſolis bonis. Ita hæ Scripturæ nihil concludunt.

Secundum Bellarmini argumentum ſumitur ex teſtimonio Eccleſiæ Catholicæ, quæ fuit tempore Auguſtini. Erat illo tempore collatio quædam inter 306 Catholicos Epiſcopos, quorum Auguſtinus ipſe unus erat, & 296 Epiſcopos Donatiſtas. Breviculum hujus collationis apud Auguſtinum habetur in tomo 7. In collatione verò tertii diei ait Auguſtinus, prolatâ á Catholicis parabolâ de reti malos & bonos piſces congregante, Donatiſtas coactos fateri, eſſe in Eccleſia bonos & malos: ſed dixiſſe adhuc, tantúm occultos malos eſſe in Eccleſia; quemadmodum in reti, dum eſt in mari, non diſcernuntur piſces boni á malis. Hoc autem refellebant Catholici, quód Eccleſia non reti tantúm, verúm etiam areæ com-

paratur, in qua magis apparet palea, quám frumentum. Et cúm Donatiſtæ calumniarentur, ſic duplicem Eccleſiam á Catholicis conſtitui, unam in terris, quæ haberet bonos & malos, alteram in cœlis, quæ non haberet niſi bonos: reſponſum eſſe ait Auguſtinus, non eſſe duas Eccleſias, ſed unam & eandem Eccleſiam aliter nunc eſſe, aliter tunc futuram eſſe; nunc habere malos cum bonis mixtos, tũc non habituram. Quæ ſunt notanda (inquit Bellarminus) contra Confeſſioniſtas, & Calviniſtas, qui duas Eccleſias fingunt. *Reſpondeo*: 1. Donatiſtas quidem his rationibus Catholicorum fuiſſe ita convictos, ut nulla ratione tergiverſari poſſent, quin faterentur vel inviti, eſſe in Eccleſiis particularibus peccatores etiam manifeſtos; quemadmodum patet ex collationibus illis apud Auguſtinum. Sed Donatiſtarum cauſa non eſt noſtræ ſimilis. Nos enim ſemper confeſſi ſum⁹, in particularibus Eccleſiis malos cum bonis miſtos eſſe; nec occultos modó malos, verum etiam apertos: ut mali piſces ſunt in reti uná cum bonis, & palea in area uná cum frumento. Itaq; Catholicis Epiſcopis contra Donatiſtas ſubſcribimus. 2. Quod ait, nos duas Eccleſias ſtatuere; mera calumnia eſt. Nos enim duas Eccleſias non facimus, ſed unam tantúm Chriſti Eccleſiam Catholicam eſſe dicimus, cujus una pars in cœlis cum Chriſto triumphat, altera adhuc in terris militat. Hæc nó eſt diviſio generis, ſed diſtinctio individui. Ita quemadmodum Catholici Epiſcopi tempore Auguſtini duas Eccleſias eſſe negârunt, ſic & nos. Cúm veró Eccleſiam distribuimus in viſibilem & inviſibilé; diſtinguimus tantúm de qualitate, & vario ſtatu unius & ejusdem Eccleſiæ. Hæc enim diviſio non eó

ſpectat,

ſpectat, ut duas Eccleſias faciamus, ſed ut varios unius Eccleſiæ ſtatus oſtendamus. Neque nos quidem magis duas Eccleſias ſtatuimus, cúm Eccleſiam in viſibilem & inviſibilem diſtinguimus, quám ipſi Papiſtæ, cum Eccleſiam militantem & triumphantem conſtituunt. *Non ſunt duo Chriſti*; (ut ait Auguſtinus) *quia Chriſtus ſemel mortalis fuit, nunc verò eſt immortalis*: ſic non ſunt duæ Eccleſiæ, quia dum in terris verſatur Eccleſia, habet bonos cum malis mixtos, poſtea bonos tantúm eſt habitura. Nos dicim⁹, unã eandemq́; Eccleſiã, partim eſſe viſibilẽ, partim inviſibilẽ: viſibilem, propter externam formã & profeſſionem; inviſibilẽ, quia & qui mortui ſunt, ſub ſenſum non cadunt; & qui vivunt, non ex viſu agnoſcuntur, ſed ex inviſibili tantúm electione, atque fide agnoſci poſſunt. Ita Eccleſiam Catholicam inviſibilem eſſe dicimus, & particulares Eccleſias viſibiles. Non ergo dividimus Eccleſiam, nec duas Eccleſias facimus; ſed Eccleſiæ ſtatum diſtinguimus, cujus una pars nunc in cœlis eſt, & non videtur, alia in externa profeſſorum ſocietate verſatur; quæ quidem ſocietas eſt viſibilis, ſed ipſa tamen Eccleſia per ſe non eſt viſibilis. Qua de re poſtea plura dicemus in ſecunda quæſtione hujus Controverſiæ.

Tertium & poſtremum Adverſarii argumentum ex variis Patrum teſtimoniis ſumitur, quæ breviter percurram. *Primum* teſtimoniũ eſt Cypriani, in lib. 3. Epiſt. 3. ad Maximum quendam. Ubi ait, quia zizania cernimus in Eccleſia, non ideo recedendum eſſe ab Eccleſia. *Reſpondeo*: Fateor non eſſe ab Eccleſia recedendum, quia zizania in Eccleſia, hoc eſt, ſcandala, offendicula, & malos homines

videmus. Illa fuit opinio quorundam hæreticorum Cypriani tempore, qui postea Ecclesiam Dei magis infestabant. Augustinus hoc Cypriani testimonio sæpe usus est contra Donatistas. Hæc nostra causa non est, quippe qui hoc nec dicimus, nec tenemus. Non valet ergo hoc testimonium contra nos. *Secundum* testimonium est Nazianzeni in oratione 1. Apologetica ante medium, ubi comparat Nazianzenus Ecclesiam ingenti belluæ, quæ ex variis belluis est conflata & composita, hoc est, magnis, parvis, feris, mitibus, &c. Atque hoc facit (inquit Bellarminus) ut ostendat, maximum esse laborem Episcopi, qui tot hominum genera regere debet, perfectos & imperfectos, bonos & malos. *Respondeo*: Agnosco Nazianzeni verba. Sed non loquitur ille de Ecclesia Catholica, quæ est sponsa Christi (nam tum fuisset hæc non absurda tantúm, verumetiam blasphema comparatio) sed de particulari Ecclesia, hoc est, de Ecclesia Constãtinopolitana, in qua multi homines impii fuerunt, belluis similes. *Tertium* testimonium est Chrysostomi in libro tertio de sacerdotio. Ubi multa verba facit Chrysostomus de peccatis eorum, qui ab Episcopis reguntur. *Respondeo*: Fateor, Chrysostomum eo in loco docere, magnum esse munus Episcopi, qui nõ cum bonis tantúm rem habet, verumetiam cum impiis & magnis peccatoribus. Sed interim meminisse debuit Bellarminus, Episcopos Ecclesiarum particularium pastores esse, non Ecclesiæ Catholicæ. Qui enim Episcopi sunt, & Pastores, & Rectores Ecclesiarum particularium, ii oves sunt Catholicæ Ecclesiæ. Profert etiam deinceps eundem Chrysostomum in Psalm. 39. in hæc verba, *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, &c.*

ubi

ubi ſic ſcribit Chryſoſtomus: *Nec ex perfectis quidem univerſa conſtat Eccleſia, ſed habet eos etiam, qui otio & ſocordiæ ſe dedunt, mollemq; & diſſolutam vitam amplectuntur, & libenter ſerviunt voluptatibus, & quoniam eſt unum corpus, tanquam ex una perſona hæc & illa pronunciat.* *Reſpondeo*: Nos non dicimus, Eccleſiam ex ſolis perfectis conſtare. Fuit hæc opinio Novatianorum, Pelagianorum, & Anabaptiſtarum, quos nos execramur. Quod veró ait Chryſoſtomus, unum eſſe corpus bonorum & malorum: intelligit, non conjunctione membrorum, aut proprietate naturæ unum eſſe corpus, ſed rerum ſive perſonarum diſſimilium commixtione, quemadmodum acervus tritici & paleæ unus acervus dicitur. *Quarto* loco affert HIERONYMUM in dialogo contra Luciferianos ultra medium. Ubi ait Hieronymus, *Arcam Noæ, Eccleſiæ typum fuiſſe: ut in illa omnium animalium genera fuerunt; ita & in hac univerſarum & gentium, & morum homines eſſe: ut ibi pardus & hœdi, lupus & agni; ita & hîc juſtos & peccatores, id eſt, vaſa aurea & argentea cum ligneis & fictilibus commorari.* *Reſpondeo*: Patres dupliciter uſos eſſe hac comparatione Eccleſiæ cum Arca. Aliquando enim totam Eccleſiam Catholicam Arcæ comparant, aliquando ſingulares & particulares eccleſias. Hæ comparationes diſtinguendæ ſunt. Comparatur enim ab illis Catholica Eccleſia Arcæ, quia ut extra Arcam nulli ſervabantur: ita extra Catholicam Eccleſiam nulla eſt ſalus; & ut omnes in Arca ſervabantur; ita qui in Eccleſia Catholica ſunt, ſervantur univerſi. Particulares veró Eccleſiæ Arcæ comparantur, quia ut in Arca Cham & Sem fuerũt, & tam immunda, quám munda animalia: ita in particularibus eccleſiis boni & mali, prædeſtinati & re-

probi ſimul commorantur. Hæc omnia nos concedimus: atque ita Hieronymus contra nos nihil facit. Profert deinceps Bellarminus Auguſtinum in 6. tractat. in Johan. & alibi, ubi ait, *bonos & malos eſſe in Eccleſia Catholica, ſed tanquam grana & paleas. Reſpondeo:* Eccleſiam Catholicam dupliciter ſumi. *Primó*, pro tota Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti, quemadmodum á nobis in hac quæſtione ſumitur. *Secundó*, pro particularibus Eccleſiis omnibus, quæ fidem Catholicam profitentur. Et hoc quidem modo mali ſunt cum bonis, ſed ut paleæ ſunt cum granis, id eſt, externa ſocietate, non interna conjunctione. Poſtea affert Fulgentium in lib. de fide ad Petrum, cap. 43. ubi ait, *in finem ſeculi malos cum bonis Sacramentorum communione in Eccleſia miſceri*; & Gregorium homil. 11. & 38. in Evangelia: ubi docet & probat Gregorius multis argumentis, malos eſſe in Eccleſia. Et ultimo loco affert rationem. Sed reſpondeo, hæc á nobis non negari. Non neceſſe eſt igitur, ut his ſeorſim & ſigillatim reſpondeam. Idem enim reſponſum omnibus convenit.

CAPUT UNDECIMUM.

In quo noſtra argumenta proponuntur & corroborantur, quibus probamus, non eſſe aliquos magnos peccatores in Catholica Chriſti Eccleſia.

PROponemus jam nonnulla argumenta, contra illam Papiſtarum opinionem, qua Eccleſiam Chriſti Catholicam ex impuris, impiis, & magnis peccatoribus conſtituunt. Et primó quidem illa, quæ ex Scripturis ſumuntur; deinde veró alia.

Primum Scripturæ teſtimonium ſumitur ex Iſa. 52. 11. *Recedite, recedite, exite inde, nolite pollutum tangere; exi-*

ite

ite de medio ejus. Quem locum Apoſtolus 2. Cor. 6. 17. exponit, & addit, *Et ego recipiam vos* (inquit Dominus) *& ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & filias.* Ex quo loco colligi poteſt, Deum nullos in Eccleſiam recipere, niſi qui ſe ab immundis ſeparant. Bellarminus *reſpondet* 1. ex Auguſtino, & ait, Prophetam loqui de illa ſeparatione, quæ fit animo & moribus, non autem de corporali aliqua diſceſſione ab eodem templo & Sacramentis. *Reſpondeo* 1. Nos inter Catholicam Eccleſiam, & impiorum cœtum, non requirimus corporalem aliquam disjunctionem, (verſantur enim impii in Eccleſiis particularibus una cum piis, corpore, ſive commercio corporali) ſed ſpiritualem tantúm. Eſt quidem conjunctio corporalis inter pios & impios in Eccleſiis particularibus: ſed in Eccleſia Catholica nulla eſt niſi ſpiritualis conjunctio. Si ergo animo & moribus impii á piis ſeparantur, hoc eſt, ſpiritualiter; non poſſunt ad unam & eandem Catholicam Eccleſiam pertinere: quia inter omnia membra Eccleſiæ Catholicæ eſt ſpiritualis conjunctio, disjunctio verò nulla. Quare integrum adhuc manet argumentum noſtrũ, quod in hunc modum inſtituimus. Membra omnia Catholicæ Eccleſiæ ita inter ſe copulantur, quemadmodum copulantur cum capite; at cum capite non niſi ſpiritualiter copulantur: ergo & inter ſe in unum corpus Eccleſiæ Catholicæ non niſi ſpiritualiter copulari poſſunt. De propoſitione nemo dubitare poteſt. Neque etiam ſimiliter de aſſumtione. Nam membra omnia Chriſti & Catholicæ ejus eccleſiæ cum Chriſto tantúm ſpiritualiter copulantur, quia corpora noſtra cum illius corpore non conjunguntur. Ergo quandoquidem reprobi & impuri

homines neque cum Chriſto, neque cum membris Chriſti, ſpiritualiter copulantur (carent enim Spiritu illo, qui hæc membra conjungit:) ſequitur, eos membra Chriſti vel Catholicæ ejus Eccleſiæ eſſe nõ poſſe. Non eſt enim conjunctio aliqua ſpiritualis inter reprobos & pios, ſed ſumma disjunctio. 2. *Reſpondeo*, & quæro, cur Adverſarius Paulo nihil reſpondeat, qui 2. Cor. 6. 17. hunc Prophetæ locum exponens, addit, *Et ego recipiam vos* (inquit Dominus) *& ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias?* Quæ verba de vera Eccleſia, ſolisque ſanctis intelligenda eſſe, quis dubitat? Et pauló priús Apoſtolus ait: *Quæ ſocietas luci cum tenebris? quæ convenientia Chriſto cum Belial? quæ pars fideli cum infideli? quæ conſenſio templo Dei cũ ſimulachris?* Unde hujusmodi argumentum colligimus. Si pii cum impiis non magis in unum corpus copulantur, quám lux cum tenebris, Chriſtus cum Belial, templum Dei cum ſimulachris; tum non eſt unum ſpirituale corpus impiorum & piorum, & per conſequens non ſunt unius & ejusdem Eccleſiæ mẽbra: at verum primum; verum ergo & ſecundum. De majoris conſequentia, nulla poteſt eſſe dubitatio. Minor veró ex hoc Apoſtoli loco probatur. Hîc enim Apoſtolus inter ea, quæ nullo modo conjungi poſſunt, juſtitiam & injuſtitiam, hoc eſt, homines juſtos & injuſtos, & fidelem ac infidelem, & poſtea mũdum atque immundum numerat. Quare fieri non poteſt, ut unum corpus ex impuris & puris, ex piis & impiis ſimul conſiſtat. *Reſpondet* 2. Bellarminus, intelligi hunc Prophetæ locum, ſecundúm myſticum ſenſum de Chriſtianis, qui debent poſt Baptiſmum ſeſe ab infidelium cœtibus, templis, ſacrificiis, conjugiis, ſeparare, & ſic etiam ab Apoſtolo exponi. *Reſpondeo:*

ſpondeo: Hoc etiam præcipi á Propheta, fateor. Sed præterea probatur, quemadmodum ex ipſis Apoſtoli verbis oſtendimus, omnes quos Deus in Eccleſiam ſuam recipit, habere Deum patrem, & eſſe filios ac filias Dei: at nulli impuri & impii homines tales ſunt: ergo nulli impuri & impii in ſanctam Catholicam Eccleſiam recipiuntur.

Secundum Scripturæ teſtimonium ſumitur ex 1. Cor. 10. 17. Ubi Apoſtolus hæc verba habet: *Unus panis, unum corpus multi ſumus.* Ex quo loco ſic nos concludimus: Panis fit ex frumento, non ex paleis; neque ex frumento unà cum paleis, ſed ex ſolo frumento: ergo Eccleſia Catholica, quæ pani hoc in loco comparatur, ex ſolis bonis conſtat. *Reſpondet* Bellarminus 1. ſimilitudines non convenire in omnibus: in hoc verò conſiſtere ſimilitudinem panis & Eccleſię, quòd ſicut ex multis granis per aquam fit unus panis: ſic ex multis hominibus per aquam Baptiſmi, aut per Spiritum ſanctum (qui etiam dicitur aqua Ezech. 36. & alibi.) fit unus populus Dei. *Reſpondeo*: Nos non putamus ſimilitudines in omnibus convenire, nec eas torquemus longiùs, quàm par eſt. Ad hanc verò ſimilitudinem quod attinet, nos Adverſarii applicationem ſive interpretationem recipimus, eaq; contenti erimus. Vult ille per aquam & Spiritum ſanctum fieri unum populum Dei, hoc eſt, unam Eccleſiam: ergo hic populus ex iis conſtat, qui Spiritũ ſanctum habent: at impii & impuri homines Spiritum ſanctum non habent, ſed ſoli pii: ergo ſoli pii populus Dei ſunt, & ad Eccleſiam Catholicam pertinent. Similitudo ergo optimè convenit: Ut ex multis granis frumenti unus panis fit: ſic ex multis piis fit una ſancta Eccleſia Catholica.

Pii enim frumento, impii paleis comparantur. Hoc omnes Patres teſtantur, hoc ipſi etiam Papiſtæ fatentur. Et quemadmodum aqua, multa frumenti grana: ſic Spiritus ſanctus multos homines in unum corpus conjungit. Ita Irenæus, quem Bellarminus ipſe citat lib. 3. cap. 19. Hæc ejus verba ſunt: *Sicut de arido tritico maſſa una fieri non poteſt ſine humore, neq; unus panis: ita nec nos multi unum fieri in Chriſto Jeſu poteramus, ſine aqua quæ de cœlo eſt.* Ubi iſtam ſimilitudinem egregiè explicat. Qui igitur non ſunt hac aqua perfuſi, ii non coaleſcunt in corpus Chriſti. Sed quænam illa aqua eſt? *Reſpondet* Irenæus, *quæ de cœlo deſcendit.* At illa aqua, quæ de cœlo deſcendit, nihil aliud eſt, quàm Spiritus ſanctus, cujus ſoli pii participes ſunt. Et in eodem loco ſimilitudines alias proponit. *Sicut terra arida* (inquit) *ſi non percipiat humorem, non fructificat: ſic & nos aridum lignum exiſtentes primùm, nunquam fructificaremus ad vitam, ſine ſuperna voluntaria pluvia.* Atque tum ſubjungit, per Baptiſmum nos corporaliter unum eſſe, per Spiritum ſanctum verò ſpiritualiter uniri. Verba Irenæi hæc ſunt: *Corpora noſtra per lavacrum illud, quod eſt ad incorruptionem, unitatem acceperunt, anima autem per Spiritum.* Hæc noſtram cauſam vel maximè confirmant. Hinc enim intelligimus, corpus illud myſticum Eccleſiæ Catholicæ, ex ſolis bonis conſtare, quia ejus membra omnia per Spiritum ſanctum conjunguntur; at impii Spiritum ſanctum non habent. Præterea eos qui in Eccleſia Catholica ſunt, non corpore tantùm conjungi, ait Irenæus, ſed & anima: animas autem non niſi per Spiritum ſanctum conjungi. Quid clarius dici potuit? Eodem planè modo nos dicimus, opus eſſe Spiritu ſancto iis omnibus, qui in unum cum Chriſto

corpus

corpus coaleſcunt. Atq; hoc eſt, quod Chryſoſtom⁹ ait in homil. 24. in 1. Cor. 10. Καθάπερ ἄρτος ἐκ πολλῶν συνκείμενος κόκκων ἕνωται, ὥστε καὶ ἀλλήλοις καὶ χριστῷ συναπτόμεθα. Quo in loco docet Chryſoſtomus, Chriſti non multa eſſe corpora, ſed unum tantúm corpus, quemadmodum ex multis granis fit unus panis. Ergo omnes qui ad Chriſti corpus pertinent, ſic inter ſe conjunguntur, ut unum corpus faciant, quemadmodum multa grana unum faciunt panem. Ita nos dicimus, unum tantúm & unicum eſſe Chriſti corpus, cujus omnia membra arctiſſimé, & cum Chriſto, & inter ſe conjunguntur: ac proinde excludendos eſſe improbos, qui iſto modo conjungi non poſſunt. *Reſpondet* 2. Bellarminus, panẽ non ſemper ex ſolo frumento & granis triticeis fieri & conſtare: ſed interdum vel ex negligentia, vel ex malitia eorum, qui panem faciunt, admiſceri etiam grana lolii, ſicut in vino (inquit) ſæpe ex malitia vẽdentium admiſcetur aqua. *Reſpondeo*: Id quidem in pane noſtro fieri aliquando, ſed hoc nihil ad rem. Debet enim panis ex puro tritico fieri. Et quanquã interdum in pane illo materiali, quo nos utimur, quædam grana lolii admiſceantur, aut aliquid fortaſſe paleæ, per negligentiam, aut malitiam eorum, qui panem faciunt: tamen in hoc ſpirituali pane nihil tale contingit; quod faciam ut Adverſarius vel invitus concedat. Ille enim, qui ſpiritualem hunc panem conficit, hoc eſt, Deus, nulla vel negligentia, vel malitia laborat aliquando: ergo fieri non poteſt, ut aliquid paleæ aut lolii in hoc pane ſit. Sicut enim Auguſtinus ſuprá dixit, extraneos non poſſe in hortum concluſum intrare, quia is hortum cuſtodit, qui falli non poteſt; ita nos hîc affirmare poſſum⁹, Deũ

esse tam diligentem in hoc pane conficiendo, tamq; de ea re solicitum, ut lolii aut paleæ aliquid illi admisceri nullo modo patiatur. Sed Adversarii nostri dicunt, plus esse lolii in hoc pane, quám tritici, quia ecclesiam volunt ex malis & bonis simul constare: in particularibus autẽ Ecclesiis plures mali sunt, quám boni. Sed sumant illi sibi panem suum ex lolio confectum, mali isti pistores: nos enim novimus, panem hunc cæleſtem, qui est corpus Christi, longé puriorem esse, quám ut aliquid in se, aut lolii, aut paleæ, admistum habeat. *Respondet* 3. Bellarminus ex ipso loco, atque adeó ex ipsis Pauli verbis, quia Paulus scilicet ait, *unus panis, unum corpus sumus multi*; & statim subjungit, quos intelligat, nempe, *omnes qui de uno pane participamus*: at de uno pane (inquit) participant & boni & mali; alioqui non arguerẽtur á Paulo 1. Cor. 11. qui indigné communicant. *Respondeo*: Apostolum de solis piis & bonis loqui. Nam etiam si impii, quoad signa externa, Sacramentum percipiant; non tamen percipiunt rem Sacramenti. Per illum panem Chrysostomus Christum ipsum intelligit. Sic enim scribit: *τί ἐστὶν ἄρτος; σῶμα χριστοῦ. τί δὲ γίνονται οἱ μεταλαμβάνοντες; σῶμα χριστοῦ, οὐχὶ σώματα πολλὰ, ἀλλὰ σῶμα ἕν. Quid ille panis est?* (inquit) *corpus Christi: quid fiunt qui de illo participant? corpus Christi, non plura corpora, sed corpus unum.* At impii non fiunt corpus Christi, neque Christum ipsum participant, quantumvis millies externa Sacramentorum signa percipiant: ergo impii illum panem, de quo Paulus loquitur, non participant. Sic Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. ult. *Non ideo putandi sunt mali* (inquit) *esse in Christi corpore, quod est Ecclesia; quia Sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt.* Apertissima hæc senten-

tia eſt; malos, etiamſi participant Sacramenta Chriſti, non tamen eſſe corpus Chriſti. Ergo, nulla hæc eſt Adverſarii reſponſio, & noſtrum argumentum ſuas adhuc vires habet.

Tertium noſtrum Scripturæ teſtimonium ſumitur ex Rom. 8 9. *Qui non habet Spiritum Chriſti, hic non eſt ejus.* & ex 1. Cor. 12. 13. *Uno ſpiritu omnes nos in unum corbus baptizati ſumus.* Hæc teſtimonia clariſſimé docent, eos qui ſpiritu Chriſti carent, non pertinere ad Chriſtum, nec membra ejus eſſe: ergo peccatores qui non habent ſpiritum Chriſti, non ſunt membra Chriſti. *Reſpondet* Bellarminus, malos non eſſe quidem membra viva corporis Chriſti, ſed eſſe tamen mortua membra. Et hac quidem diſtinctione alii etiam Papiſtæ utuntur. Ejus quoque nos antea mentionem fecimus; & neceſſe eſt ejus ſæpe mentionem fieri; quia hæc eſt præcipua illorum diſtinctio, cui in hac cauſa maximé innituntur. Sed ea facilé refelli poteſt. Si enim mali ſint membra mortua, tum ſunt membra tantúm æquivocé. Nam mortuum membrum non eſt veré membrum, ſed tantúm membrum æquivocé. At illi dicunt, malos eſſe veré membra Chriſti, & tamen mortua membra eſſe; quæ ſunt plané ἀπφαπα. Eſt ſané hæc illorum deſperatiſſima diſtinctio, qua licét hîc utatur Bellarminus: tamen alii Papiſtæ, qui videntur eſſe judicii ſincerioris, eâ uti nolunt. Ratio enim illa, quam diximus, nonnullos impulit & adegit, ut dicerent, malos non eſſe vera membra Eccleſiæ. Ex quorum numero eſt Melchior Canus, qui lib. 4. loc. com. cap. ult. in reſponſione ad 9. argumen. affirmat, malos non eſſe membra Chriſti, ſed partes tantúm. Partem enim latiús patere ait, quám mem-

brum. Et addit præterea, veré membrum ſine vita intelligi non poſſe; malos autem non eſſe viva membra, ac proinde non eſſe membra omnino. In eâdem etiam opinione alii Papiſtæ ante Canum fuerunt, antequam hujus diſtinctionis neceſſitatem viderunt. At nunc Jeſuitæ ita deſperati ſunt, ut confidenter audeant affirmare, Chriſti corpus ex vivis & mortuis membris conſtare: pios eſſe viva mẽbra, malos veró mortua membra eſſe. Manifeſtum enim eſt, eos deſperatione quadam ad iſtam diſtinctionem adactos fuiſſe. Sed jam eam refellamus. Dico igitur, impudentiſſimum hoc commentum eſſe, & plané blaſphemũ, Chriſto mortua aliqua mẽbra affingere. Quid enim? num ille hujusmodi membris opus habet? nequaquam certé. Quare ergo illi tam multa tribuunt? Si quisquam noſtrûm haberet mortuum aliquod membrum, num illud veré membrum eſſe diceret? num corporis ſui membrum vocaret? minimé veró, ſed potiús amputaret. Ariſtoteles lib. 2. de anima, cap. 1. & meteor. 4. cap. 12. ait, mortuum membrum non aliter membrum eſſe, quám membrum pictum. At Adverſarius dicit, mortua membra, & vera membra eſſe, & veré eſſe membra. Ariſtoteles ergo ſolo naturæ lumine imbutus, plus vidit quám Adverſarius. Similiter Thomas Aquinas in tertia parte Summæ quæſt. 8. ar. 3. diſerté affirmat, impios homines, qui tantúm fidem informem habẽt, eſſe membra ſecundúm quid, non ſimpliciter. Verba Thomæ hæc ſunt: *Impii non ſunt membra Chriſti actualiter, ſed potentialiter, niſi forte imperfectè per fidem informem, quæ unit Chriſto ſecundúm quid, non ſimpliciter.* Sed Jeſuita noſter Bellarminus, & ejus collegæ volunt eſſe membra ſimpliciter.

pliciter. Ergo illi rejiciunt ſententiam Cani, Thomæ, & aliorum Papiſtarum, qui volunt impios eſſe membra tantúm æquivocé. Illi enim veré membra eſſe dicunt, & rationem etiam adjungunt; quia alioqui (inquit Bellarminus) ſequeretur, malum Pontificem non eſſe caput Eccleſiæ, & malum Paſtorem eſſe æquivocé tantúm Paſtorem; quod ait damnatum fuiſſe in ſeſſione 15. Concilii Conſtantienſis inter errores Joannis Huſſii. Ita videtis, ut veteres Papiſtarum reſponſiones nunc non valeãt, & novæ quærantur. Quid igitur ad iſta Bellarminus? In his ſcilicet diluendis novam ille diſtinctionẽ adhibet, antea certé inauditam; quæ cujusmodi ſit, videamus. Ait, Epiſcopum malum, Presbyterum malum, Doctorem malum, eſſe membra mortua corporis Chriſti, ac proinde non vera, quantum attinet ad rationem membri, ut eſt pars quædam vivi corporis: ſed tamen eſſe veriſſima membra ratione inſtrumenti. Sed hanc diſtinctionem excutiamus. *Reſpondeo* igitur 1. Bellarminum ſecum pugnare. Nam antea ajebat, malos eſſe vera membra, licet mortua: nũc veró ait, malos Paſtores eſſe mortua membra, ac proinde non vera. Iſta pugnantia ſunt. 2. *Reſpondeo* & quæro, cur tantúm loquatur de Epiſcopis & Prælatis malis? quaſi nulli in Eccleſia mali ſint, præter Epiſcopos & Prælatos malos. At illi volunt, non ex his malis tantúm, verumetiam ex populo malo Eccleſiam conſtare. Oportebat ergo eum talem diſtinctionem adhibere, quæ omnibus malis, qui ſunt in Eccleſia, conveniret. Sed intelligo cauſam. Ad Prælatos tantúm & Epiſcopos ſuam diſtinctionem accommodat, ut meliús doceat, quomodo mali ſint vera membra ratione inſtrumenti, quia

Deus ſcilicet Epiſcopis & Paſtoribus utitur, tanquam inſtrumentis, in Eccleſia ædificanda, reliquis non item. Nam ii qui ſunt de plebe & de populo, quî tandem inſtrumenta dici poſſunt? Ergo hæc diſtinctio non ſatis apta eſt huic inſtituto, quia malos plebeios ſive malos ſubditos in Eccleſia non attingit, ſed tantúm malos Prælatos. 3. Quis unquam audivit tam ridiculam diſtinctionem? Cauſam certé miſeram eſſe neceſſe eſt, quæ hujusmodi diſtinctione nititur. Mali prelati (inquit) non ſunt membra vera, quod attinet ad rationem membri, ut eſt pars vivi corporis. Itaque non vult eſſe vera membra. Nam verum membrum, ut ipſe fatetur, eſt pars vivi corporis: at mortua membra non ſunt partes vivi corporis, niſi æquivocé, non veré, nec proprié: ergo mortua membra non ſunt vera membra. Imó plus nunc dicit Bellarminus, quám Canus. Negat enim jam, impios eſſe partes. At interim veriſſima ſunt membra (inquit) ratione inſtrumenti. Quid hoc eſt, ratione inſtrumenti? Quia Deus ſcilicet per malos Paſtores operatur, & his tanquam ſuis inſtrumentis utitur. Quid tum? ergóne membra ſunt? non ſequitur. Quaſi quodque inſtrumentum, quo Chriſtus utitur, ſit membrum corporis ſui. At multis Chriſtus inſtrumentis utitur, quæ non ſunt ejus mẽbra. Non omnia inſtrumenta membra ſunt, etſi quædam membra ſunt inſtrumenta. Non magis ergo ſequitur hoc argumentum Jeſuitæ, quám ſi quis ita concluderet: Faber utitur ſecuri & ſerra, ut inſtrumentis, ad opus aliquod perficiendum: ergo ſecuris & ſerra ſunt fabri membra. Huic enim ſimile eſt Bellarmini argumentum, quod ab effectis ducitur in hunc modum: Deus Epiſcopis, Presbyteris,

& Doctoribus malis, tanquam inſtrumentis ſuis, in hominibus ad ſe convertendis utitur: ergo Epiſcopi, Presbyteri, & Doctores mali ſunt vera membra Chriſti. At hoc effectum non eſt his inſtrumentis tribuendum, ſed Deo ipſi, qui hoc opus per iſta inſtrumenta efficit. Hoc egregié docet Auguſtinus tracta. 5. in Johan. ubi malos Paſtores canali lapideo comparat, per quem aqua ad areolas omnes, quæ ſunt in horto, transit, cúm interim canalis ipſe ex illa aqua nullum fructum aut utilitatem percipiat. Et idem Auguſtinus lib. 2. contra Parmenian. cap. 10. & 11. fuſiús multó & copioſiús hãc rem perſequitur. Sic igitur ratiocinatur Adverſarius: Mali Paſtores ſunt inſtrumenta; ergo ſunt membra. *Reſpondeo:* Sunt inſtrumenta (fateor) ſed mortua tamen. Et ut faber per inſtrumenta inanimata operatur: ſic Chriſtus per illos. Sed in hoc egregié ſecum pugnat Adverſarius, quód vult eſſe membra mortua, & tamen inſtrumenta. Nam membra nunquam poſſunt eſſe inſtrumenta, niſi viva fuerint; mortua nullam in ſe vim habent ad opus aliquod efficiendum. Exempli gratiâ, manus mortua nihil poteſt operari, ſed ſi ad opus aliquod admoveatur, ſtatim deficit. Ergo ſi vult eſſe membra, & tamen mortua; ne quidem inſtrumenta hoc modo erunt. Nam etſi quæ non ſunt membra corporis, poſſunt eſſe inſtrumenta, etiam mortua: tamen membra corporis, ſi mortua fuerint, nunquam inſtrumenta eſſe poſſunt, nec ad opus aliquod poſſunt adhiberi. Negat ergo eſſe inſtrumenta, cúm appellat membra mortua. Ita diſtinctio ejus ſecum non conſtat. Deniq; mali ſunt membra Satanæ, ergo non ſunt membra Chriſti; niſi idem corpus Chriſto & Diabolo tribuere velimus. Hoc quidem

Adversarii faciunt, atque ita Deum & Belial conjungunt; quod est horrendum. Sed ut Christus aliud est caput, aliud verò Satanas; sic aliud est corpus Christi, aliud Satanæ; ac proinde alia esse utriusq; membra necesse est. Christi enim Satanæq; corpus non potest ex iisdem membris confusum & permixtum esse. Ergo vindicemus Christo suum corpus, & Satanæ suum relinquamus. Sed malos non esse membra Christi, & Christum nulla mortua membra habere, postea docebimus. Atque hæc sunt omnia nostra ex Scripturis testimonia á Bellarmino citata.

Nunc ad *secundum* nostrum argumentum venio, quod in hunc modum instituitur: Ecclesia in Symbolo sancta dicitur: ergo non nisi ex sanctis constat, ac proinde nulli impuri ad Ecclesiam pertinent. *Respondet* Bellarminus, ut alii Papistæ. Stapletonus enim in lib. 1. de princip. doctrin. cap. 11. eâdem responsione utitur. Est verò illorum responsio hujusmodi: Ecclesiam scil. appellari sanctam, non propter sanctitatem singulorum, qui ad eam pertinent, sed propter alias causas. *Primò*, propter tria illa, quæ ad Ecclesiam constituendam requiruntur, quæ omnia sancta sunt: nempe propter Baptismum, propter professionem Christianam, & propter membrorum unionem inter se, & cum capite, externam saltem. *Respondeo:* Nulla est impiorum cum Christo capite unio. Si enim cum Christo unirentur: non jam impii, sed pii essent. Fingere verò externam quandam & corporalem cum Christo unionem, quod facit Adversarius, absurdum est. Omnis enim unio membrorum corporis Christi cum ipso Christo capite suo, spiritualis est; quia mystica est. Si ergo

propter

propter unionem membrorum cum capite, Eccleſia ſancta appelletur: tum ſoli pii ad Eccleſiam pertinent, quia illi ſoli cum Chriſto capite ſpiritualiter & myſticé uniuntur. *Secundó* ait Bellarminus, Eccleſiam ſanctam dici, propter ſanctos, quos habet. At nos affirmamus, omnes, qui ſunt in Eccleſia Catholica, eſſe ſanctos. Nequaquam (inquit Jeſuita) non omnes ſancti ſunt, ſed aliqui in ea ſancti ſunt, & propter illos Eccleſia ſancta dicitur. Verúm *reſpondeo* 1. Si hoc ita ſit: tum habere ſanctos, eſt eſſentiale Eccleſiæ. Nam ſancta dicitur Eccleſia, propter illud, quod in ſe eſſentialiter habet. At Adverſarii hoc negant Eccleſiæ eſſentiale eſſe, alioqui hoc in Eccleſiæ definitione ponerent. Omnia enim eſſentialia ſunt in definitione ponenda. Dixit autem antea Bellarminus, non eſſe homini neceſſarium, internas virtutes habere, ut ſit de Eccleſia: at ſancta denominatur Eccleſia ab eo, quod illi neceſſarium eſt ineſſe. 2. Si propter ſanctos ſancta dicatur Eccleſia: tum propter ſceleratos, quos habet, ſcelerata etiam dicenda eſt. *Reſpondet* Bellarminus, ſanctam dici ex parte meliori. At Eccleſiæ definitio ab illo antea ꝓpoſita, nullos veré ſanctos requirit. Poſſunt enim ex illa definitione omnes eſſe impii. Magis ergo convenit Eccleſiæ definitioni ab illo poſitæ, ut Eccleſia ſcelerata, quám ut ſancta dicatur. Eccleſiæ quidem particulares ſanctæ dicuntur, & cœtus ſanctorum, συνεκδοχικῶς, propter pios nimirum, & ſanctos, quos in ſe habent. At Catholica Chriſti Eccleſia, ſancta dicitur, quia nullum in ſe niſi verâ ſanctitate prædítum habet. *Tertió* ait Bellarminus, Eccleſiam ſanctam vocari, quia hoc eſt proprium Eccleſiæ, habere ſanctos: at habere malos, non eſt Eccleſiæ

proprium; id enim etiam aliis cœtibus convenit. *Respondeo:* & quæro ab illo, quale hoc proprium sit? *Respondebit* (opinor) quarto modo proprium esse. Sic igitur disputo. Si quarto modo proprium sit Ecclesiæ, habere sanctos: tum sanctitas prædicatur de Ecclesia univocé. nam proprium quarto modo, de specie univocé, non æquivocé prædicatur. At non univocé prædicatur, nisi omnes, & soli, qui vera sanctitate prædíti sunt, ad Ecclesiam pertineant. Non est enim eadem sanctitas electorum & reproborum. Sin verò affirmet, non esse proprium quarto modo: tum illud absurdum sequetur, Ecclesiam neq; solam, neque semper sanctam esse. *Quartó* ait, Ecclesiam sanctam dici, quia tota est Deo consecrata, & quia caput ejus Christus, est sanctus sanctorum. *Respondeo* 1. Si tota Ecclesia sit Deo consecrata, tum ejus etiam singulæ partes & membra Deo consecrantur: at impuri & profani homines non sunt Deo consecrati, nisi æquivocé (non enim ita Deo consecrantur, ut veré sancti:) ergo nulli impuri & profani homines sunt membra Ecclesiæ. 2. *Respondeo:* Christum quidem esse caput Ecclesiæ, & sanctum sanctorum, atq; ideo revera Ecclesia sancta dicitur; quia ab hoc capite sanctitatem haurit, & quia ejus Spiritum habet. At num impii á Christo, ut suo capite, sanctitatem hauriunt? num impii Spiritum Christi habent? nequaquam. Christus non est caput impiorum eo modo, quo est Ecclesiæ caput. Dicitur quidem omnium hominum caput: num ergo dicent, omnes homines sanctos esse? non, opinor. Sed Scripturæ meliús docent, cur Ecclesia sancta dicatur, nempe, quia Christus eam lavit suo sanguine, & mundavit, & Spiritu suo donavit, ut postea docebimus. Sic Augustinus in

lib. de

lib. de agone Christiano cap. 20. *Si Ecclesiæ caput est homo ille, cujus susceptione Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: membra catera sunt omnes sancti, quibus perficitur & completur Ecclesia. Quomodo ergo anima totum corpus nostrum animat, & vivificat; (sed in capite & videndo sentit, & audiendo, & odorando, & gustando, & tangendo, in cæteris autem membris tangendo tantúm, & ideo capiti cuncta subjecta sunt ad operandum; illud autem supra collocatum est ad consulendum, quia ipsius animæ, quæ consulit corpori, quodammodo personam sustinet caput, ibi enim omnes sensus apparent:) sic universo populo sanctorum, tanquam uni corpori, caput est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Verissima hæc Augustini sententia est. Quemadmodum anima totum corpus vivificat; ita Christus totam Ecclesiam. Similiter idem Augustinus in Enchirid. ad Laurent. cap. 56. sic scribit: *Rectus confessionis ordo poscebat, ut Trinitati subjungeretur Ecclesia, tanquam habitatori domus sua, & Deo templum suum, & conditori civitas sua.* At impii non sunt domus, templum, civitas Dei, sed soli sancti. Et Aquinas in Opusc. in explicatione Symboli Apostolorum, multó meliús de Ecclesiæ sanctitate scribit, quám hic Jesuita. Ait enim, Ecclesiam sanctam dici, quia est alia cõgregatio malignantium. Vocari autem sanctam propter tria. *Primó*, quia fideles omnes Christi sanguine loti sunt, & citat Apoc. 1. 5. & Hebr. 13. 12. *Secundó*, quia inunguntur gratiâ Spiritus sancti. *Tertió*, quia Ecclesiam Trinitas inhabitat. Hæc de reprobis dici nullo modo possunt. Et de hoc argumento satis multa diximus.

Tertium nostrum argumentum á Bellarmino citatum, est hujusmodi. Non habet Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem, ut Cyprianus docet

in lib. de unitate Eccleſiæ: & ſimiliter é cõverſo, non habet Eccleſiam matrem, qui non habet Deum patrem: at nulli improbi habent Deum patrem; ergo nulli improbi habent Eccleſiam matrem. *Reſpondet* Bellarminus ex Auguſtino cõtra Adimant. cap. 5. filii nomen tripliciter ſumi. *Primó*, ratione productionis, hoc eſt, vel generationis (& ſic Chriſtus eſt filius Dei) vel creationis (& ſic omnes homines ſunt filii Dei:) vel regenerationis (& ſic juſti tantúm filii Dei ſunt.) *Secundó*, ratione imitationis. Sic filii Abrahæ dicuntur, qui fidem Abrahæ imitantur, Gal. 4. Rom. 4. *Tertió*, ratione doctrinæ. Et ait, Cyprianum de filiis doctrinæ intelligendum eſſe, non de filiis regenerationis; quia idem ſcribit, *nullos bonos eſſe extra, ſed multos malos eſſe intus. Reſpondeo* 1. Cujuscunq; hæc ratio ſit, non eſt certé inepta. Hujus verò reſponſio ineptiſſima eſt. Nam in primo membro filius regenerationis intelligitur, cúm dicimus, *Qui non habet Eccleſiam matrem, is non habet Deum Patrem.* At cúm convertitur propoſitio in hunc modum, *Qui non habet Deum Patrem, is non habet Eccleſiam matrem:* hîc filium intelligit non regenerationis, ſed doctrinæ. At qui non ſunt filii Dei regeneratione, ii non ſunt filii Eccleſiæ Catholicæ, quæ eſt CHRISTI ſponſa, cœleſtis Hieruſalem, mater noſtrûm omnium. Eccleſia enim Catholica, non eſt mater filiorum Diaboli: impii autem, ſunt filii Diaboli. Johan. 8. 44. *Vos ex patre Diabolo eſtis.* & 1. Johan. 3. 10. *Per hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii Diaboli, Quisquis non exercet juſtitiam, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.* Ubi Johannes filios Dei juſtos eſſe, & charitate præditos, affirmat; alios verò omnes eſſe filios Diaboli. 2. Quod ait, extra Eccleſiam nullos eſſe bonos, in-

tus

tus veró multos malos: quæro quomodo hoc cum eo conſentiat, quod antea dixit, non baptizatos & excommunicatos aliquos poſſe ſervari, etſi actu & reipſa ſint extra Eccleſiam? Nulli enim niſi boni poſſunt ſervari. Extra particulares Eccleſias multi quidem boni poſſunt eſſe, & intus multi mali: at extra Catholicam Eccleſiam nullus bonus eſſe poteſt, & intra nullus malus. De hoc argumento non eſt quód plura dicamus.

Quartum noſtrum argumentum á Bellarmino citatum, ex Cypriano ſumitur lib. 1. Epiſt. 6. ad Magnum. Ubi Cyprianus ait, *in Eccleſia Dei non niſi concordes atq; unanimes habitare. Reſpondeo:* Nos non magnopere utimur hoc teſtimonio. Non enim ita firmum eſt. Cyprianus cõtra ſchiſmaticos Novatianos ait, eos qui ſunt filii Eccleſiæ, unanimes & concordes eſſe. Hoc ad unitatem in Eccleſiis omnibus ſervandam & fovendam multum valet, ad noſtram veró cauſam parum vel nihil facit. Quæ ſequuntur apud Bellarminum argumenta noſtra, quæ feré omnia in Patrum teſtimoniis poſita ſunt, vel haud ita magni ſunt momenti, vel á nobis alibi tractantur. Hæc igitur attigiſſe ſufficiat, quibus nos poſtea plura adjungemus.

CAPUT DUODECIMUM.

In quo Bellarmini argumenta diluuntur, quibus probat, infideles occultos ad Eccleſiam pertinere.

REſtat jam poſtremum genus, eorũ hominum, quos Bellarminus ad Eccleſiã Catholicam pertinere contendit. Hi veró ſunt infideles occulti, de quib' decimo capite agit. Occultos veró infideles interpretatur, qui Catholicis opponuntur, quales ſunt hæretici & Antichriſti: quiq; neo fidem internã, nec

ullam Christianam virtutem habent, sed exteriús tantúm propter temporale aliquod commodum, fidem Catholicam profitentur, & communione Sacramentorum veris fidelibus permiscentur: quos tamen ad Ecclesiam Catholicam pertinere, ejusque membra esse affirmat; quod est omnium absurdissimum. Non sunt illi Catholici, quemadmodum ipse fatetur: & tamen esse membra Ecclesiæ Catholicæ contendit. Quomodo possunt ista constare? Sed subjungit, esse arida & mortua membra. At nulla esse hujusmodi membra Ecclesiæ Catholicæ, nos antea docuimus; & idem postea meliús patebit. Sed jam argumenta ejus seorsim proponamus.

Primum Bellarmini argumentum sumitur ex 1. Johan. 2. *E nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utiq; nobiscum.* De quo loco nos antea nonnulla diximus. Ex his verbis Adversarius sic disputat: Loquitur hoc loco Johannes (inquit) de hæretitis occultis, quos Antichristos vocat: & ait, eos, antequam exirent, non fuisse ex nobis, id est, non fuisse Catholicos animo ac voluntate, sed hæreticos, & Antichristos: & tamen ex nobis exivisse; quia etsi non erant ex nobis animo ac voluntate, erant tamen ex nobis externa professione: sed postea quam se prodiderunt, & in apertum schisma proruperunt, jam desierunt omnibus modis esse ex nobis. *Respondeo:* Locus iste á nobis antea tractatus est, ut diximus. Nihil facit pro causæ Pontificiæ defensione. Illud unum vel Adversarii confessione ex hoc loco elici potest, hæreticos occultos esse de cœtu & numero Catholicorum, quoad externam professionem; quod nos concedimus. Sed hoc non sufficit. Nam cúm Ecclesia Catholica ex Catholicis constet:

debent

debent ii animo & voluntate Catholici eſſe, non modó externa profeſſione, qui Eccleſiæ Catholicæ membra ſunt. Qui enim non eſt animo ac voluntate Catholicus, is nomine tantúm, non re; æquivocé, non univocé Catholicus eſt. Ex hujusmodi veró Catholicis Eccleſiam Catholicam conſtare abſurdum eſt. Præterea poſuit antea Adverſarius in ſua Eccleſiæ definitione, ejusdem fidei Chriſtianæ profeſſionem. Per fidem veró, non illam internam animi virtutem intelligit (nam internas virtutes non neceſſarió ad hoc requiri contẽdit, ut quis fiat membrum Eccleſiæ:) ſed externam duntaxat doctrinæ profeſſionem. Nunc hanc etiam tollit, & non eſſe neceſſariam probat. Vult enim, hæreticos & infideles, modó occulti fuerint, & non erumpant in apertam hereſium ſuarum defenſionem, vel ſi erumpant, modó nondum damnati ab Eccleſia & excommunicati fuerint, eſſe Eccleſiæ membra. At hæretici neque internam fidei virtutem habent, neq; externam fidei profeſſionem retinent. Nam quæ quæſo eſt hæc fidei profeſſio, de qua loquitur? Num ſimulata? at tum omnes in Eccleſia poſſunt eſſe hæretici occulti, modó fidem externé profiteantur. At ſi veram & non ſimulatam fidei Chriſtianæ profeſſionem intelligat, quæ veré & ex animo fit: tum nulli hæretici aut infideles occulti de Eccleſia eſſe poſſunt. Sed ut magis diſtinctè reſpõdeam; ad locum ipſum ab Adverſario citatum venio. Concedit Adverſarius, Auguſtinum hæc verba de prædeſtinatione interdum exponere, *Non erant ex nobis*, ſcilicet quoad prædeſtinationem. Hoc quidem facit Auguſtinus in lib. de bono perſeverantiæ cap. 8. Ubi clariſſimé oſtendit, eos tantúm ad Eccleſiam pertinere, qui ad Dei prædeſtinatio-

nem pertinent; at infideles & hæretici, qui tales permanent, non pertinent unquam ad Dei prædestinationem: ergo nulli saltem tales infideles, nulli hæretici, ne occulti quidem, ad ecclesiam Dei unquam pertinent. Nec pugnat quód de hæreticis hunc locum exponit idem Augustinus in tract. 3. in epist. Joh. Num enim, ait Augustinus, hæreticos etiam occultos esse de Ecclesia Catholica? Nequaquam. Imó potiús hoc negat. Sic enim scribit: *Antequam exirent, non erant ex nobis.* Quód veró multos Antichristos intus esse ait; hoc ita intelligi debet, non quód revera intus sint, sed quód intus esse videantur. Intus enim dicuntur esse, quód in externa fidelium societate versantur. At si Antichristi fuerunt, non erant de Ecclesia Catholica; nam Ecclesia Catholica non habet Antichristos. Sic ergo sunt in Ecclesia, ut non sint de Ecclesia. Quemadmodum veró intus sint, similitudine quadam postea illustrat Augustinus. *Sic sunt in corpore Christi* (inquit) *quo modo humores mali, qui quando evomuntur, tunc relevatur corpus: sic & mali, quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur; Et dicit, quando eos evomit atq; projicit, corpus, Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me.* Ut ergo mali humores, licet sint in corpore humano, non tamen sunt ex corpore, neque ejus partes dici possunt; & cúm ejecti fuerint, non putamus nos partem aliquam corporis nostri amisisse, sed corpori multó melius esse, nosque præclaré relevatos esse existimamus: sic hæretici & infideles occulti, licet in Ecclesia esse videantur, non tamen de Ecclesia sunt, neque inter ejus membra numerari debent.

Secundum Bellarmini argumentum est hujusmodi. Hæreticus occultus potest habere authoritatem & ju-

& jurisdictionem in Ecclesiam: ergo est de Ecclesia. Nam qui non est in Ecclesia, quomodo potest authoritatem aut jurisdictionem in Ecclesiam exercere? Antecedens probat, quia Episcopus, aut etiam Papa, si fuerit hæreticus occultus, non amittit jurisdictionem, nec dignitatem in Ecclesia. Et hîc multa testimonia inutilia cumulat. *Respondeo:* Fateor Episcopos hæreticos posse esse in Ecclesiis particularibus, & membra esse earundem, & in iisdem ministerio suo fungi: addo etiam præterea, illorum ministerium utile interdum & efficax esse posse, si veram doctrinam doceant, & hæreseos suæ virus non evomant. Sed quid tum? Sûntne ergo membra Ecclesiæ Catholicæ? non sequitur; quemadmodum nos antea ostendimus. Sunt quidem membra hujus aut illius particularis Ecclesiæ; sed Catholicæ Ecclesiæ mẽbra nullo modo dici possunt. Nam possunt jurisdictionem exercere in Ecclesia particulari, qui non sunt vera membra Ecclesiæ Catholicæ. Ita Arius, antequã ejectus erat, Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter fuit. Ita Nestorius fuit Episcopus Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Poterant illi suo ministerio fungi, antequam ab Ecclesia damnati, & ex Ecclesia ejecti sunt; interim membra Satanæ fuerunt, quia virus illud hæreticum intus latebat. Potest ergo aliquis esse Episcopus Ecclesiæ particularis, qui non est membrum Ecclesiæ Catholicæ. Alia enim est Ecclesia particularis, alia Catholica, alia utriusque definitio. Hæc ex uno hominum genere constat, nempe ex solis bonis & electis; illa verò ex bonis & reprobis mista est. Itaque hæreticus Ecclesiæ Catholicæ membrum esse non potest. Interim illud observandum est, quod hîc obiter concedit Bellarminus, Papam posse esse

hæreticum, idq; non occultum modó, verumetiam manifeſtum. Quid ergo tum demum de illa ſententia Chriſti futurum eſt, quam toties nobis objiciunt Pontificii, & unde evincere volunt, Papam errare non poſſe: nempe, *Rogavi pro te Petre, ne fides tua deficeret?*

Tertium Bellarmini argumentum ſumitur ex paucis teſtimoniis Patrum. *Primum* teſtimonium eſt Origenis, in homil. 21. in Joſu. Ubi ſcribit, *Jebuſæos ſemper futuros eſſe in Hieruſalem*, hoc eſt, hæreticos in Eccleſia. *Reſpondeo:* Fateor, in Eccleſia, dum in hoc mundo eſt, hujusmodi ſemper fore, qui & fide, & actibus, & omni converſatione ſua, perverſi ſunt, ut loquitur Origenes, hoc eſt, ut idem ſeipſum in eodem loco interpretatur, Eccleſiam nunquam poſſe ad liquidum purgari, dum in terris eſt, ita ut neque impius in ea quisquam, neque peccator reſidere videatur, ſed ſint in ea omnes ſancti & beati. Verúm etſi affirmet Origenes, Jebuſæos, id eſt, hæreticos eſſe in particularibus Eccleſiis, ut in Eccleſia Alexandrina, Conſtantinopolitana, & hujusmodi: non tamen ait eſſe de Eccleſia Catholica, aut Eccleſiæ Catholicæ membra eſſe. Id nuſquam ſcribit Origenes. Etſi enim Jebuſæi erant in Hieruſalem, & hærebant in turri, quæ illic fuit: tamen non erant cives Hieroſolymitani, nec illos Judæi pro civibus, ſed pro alienis & peregrinis habebant, eosque ab urbe expellere conati ſunt, licet nunquam prorſus debellare potuerunt. Sic hæretici licet unà cum piis in Eccleſiis particularibus verſentur: non tamen pertinent ad eandem civitatem, ad quam illi pertinent, qui veré pii ſunt. Comparatio optimé convenit. Origenes veró ipſe in eodem loco ait, expellendos eſſe tales ab Eccleſia.

Se-

Secundum Adverſarii teſtimonium ſumitur ex Auguſtino lib. 3. de Baptiſm. contra Donatiſt. cap. 18. ut citat ille, ſed habetur cap. 19. ubi ait Auguſtinus, *eos qui ſunt fraternæ charitatis inimici, ſive apertè foris ſint, ſive intus eſſe videantur, Pſeudochriſtianos eſſe, & Antichriſtos, & inventis occaſionibus foras exire, & ab illa inviſibili charitatis compage ſeparari, & non alienos fuiſſe quòd exirent, ſed exiiſſe, quòd eſſent alieni. Reſpondeo:* Hoc Auguſtini teſtimonium facit contra Adverſarios vel maximè. Ait enim *primò*, eos qui ſunt fraternæ charitatis inimici, Pſeudochriſtianos & Antichriſtos eſſe; at Pſeudochriſtiani & Antichriſti ad ſanctam Catholicam Eccleſiam pertinere non poſſunt, nec Chriſti membra eſſe. *Secundò* ait, eos videri tantùm intus eſſe: ergo re vera intus non ſunt. *Tertiò* ait, eos ſeparari ab inviſibili compage charitatis; at omnia mẽbra Chriſti & Eccleſiæ Catholicæ illa compage arctiſſimè copulantur & conjunguntur. Atq; hic obiter obſervandum eſt, illam compagem, qua Eccleſię Catholicæ membra inter ſe conjunguntur & copulantur, eſſe inviſibilem: ergo & Eccleſia etiam ipſa inviſibilis eſt. Si enim illud vinculum, quo Eccleſia nectitur, ſit inviſibile; & ipſam quoq; Eccleſiam inviſibilem eſſe neceſſe eſt. Impii verò hac compage non copulantur: non ſunt ergo membra corporis Chriſti, aut Eccleſiæ Catholicæ, quod volunt Adverſarii. Sed magis adhuc manifeſtum eſt, quod *quartò* adjungit Auguſtinus eodem in loco. Ait enim, illos non ideo eſſe alienos, quia exierunt; ſed quia alieni fuerunt, propterea exiiſſe. Hæc cauſa fuit exitus illorum. Ergo antea non fuerunt de Eccleſia, quod Adverſarii falſò dicunt, ſed ab Eccleſia alieni. Qui enim ſunt ab Eccleſia alieni, ii non

ſunt de Eccleſia. *Aliud* Auguſtini teſtimonium ſumitur ex lib. 4. contra Donatiſt. cap. 10. Ubi ait Auguſtinus, *multa eſſe frumenta foris, & multa zizania intus. Reſpondeo:* Fateor hoc verum eſſe. Senſus veró eſt, multos eſſe, qui nondum vocantur, qui tamen ex Dei prædeſtinatione ad Eccleſiam pertinent; & aliquos eſſe, qui in Eccleſia verſantur quoad externam vitam, qui tamen non ſunt de Eccleſia. Sed num Eccleſia Catholica conſtat ex zizaniis? Id Auguſtinus nunquam ſenſit, imó contrá ſemper ſcribit. Et hîc quidem aperté indicat, Eccleſiam in frumentis, non in zizaniis eſſe. Hanc veró eſſe Auguſtini mentem, ex eo patet, quod ſubjungit. Affirmat enim, hæreticos, *etiamſi intus eſſe videantur, & accipiant, & habeant, & tradant Baptiſmum: ſi tamen ſint ex parte Diaboli, non poſſe ad Eccleſiam Catholicam pertinere.* Ergo qui in Eccleſia Epiſcopi ſunt, modó ſint ex parte Diaboli, non pertinent ad Eccleſiam. *Aliud* Auguſtini teſtimonium ſumitur ex lib. 1. de civitate Dei, cap. 35. Ubi Auguſtinus ait, civitatem Dei, hoc eſt, Eccleſiam, *habere impios ſecum connexos communione Sacramentorum. Reſpondeo:* Nos hoc fatemur de Eccleſiis particularibus. Sed doceat ille, in Eccleſia Catholica, quæ eſt corpus CHRISTI, & ſponſa Chriſti, miſtos eſſe malos cum bonis. Hoc Jeſuita ex iſto Auguſtini teſtimonio non poteſt confirmare. Imó id ex hoc loco aperté refelli poteſt. Subjungit enim ſtatim Auguſtinus, iſtos impios non futuros eſſe cum Eccleſia *in æterna ſorte ſanctorum.* At nulli ad veram Eccleſiam pertinent, niſi ad quos æterna ſors ſanctorum ſpectat. Et poſtea planiús, ubi dicit eſſe duas civitates, bonorum ſcilicet & malorum. *Perplexæ quippe ſunt* (inquit) *iſtæ duæ civitates in*

hoc

hoc ſeculo, invicemq; permixtæ, donec ultimo judicio dirimantur. Ergo mali etſi cum bonis in hoc mundo miſti ſunt: tamen ad aliam civitatem pertinent, hoc eſt, ad civitatem Diaboli. Nam ad civitatem Diaboli pertinent omnes mali, ad civitatem Dei omnes boni. *Aliud* Auguſtini teſtimonium habetur in tract. 61. in Johan. Ubi Auguſtinus ait, zizania tolerari in Eccleſia inter frumenta, uſque ad tempus meſſis: quemadmodum Judam CHRISTUS diu toleravit in cœtu Apoſtolorum. *Reſpondeo:* Quis hoc negat, toleranda eſſe in Eccleſia zizania? Sed zizania interim non ſunt de vera Eccleſia. Nihil aliud vult Auguſtinus, quám eſſe in particularibus Eccleſiis malos cum bonis miſtos, contra Donatiſtas; quod nos concedimus. Similiter in lib. de geſtis cum Emerito Donatiſta cap. 1. ubi ait, eſſe quosdam *carne intus, ſpiritu foris.* *Ultimum* Auguſtini teſtimonium habetur in lib. de catechizand. rud. cap. 17. ubi Auguſtinus tria Chriſtianorum genera diſtinguit; quorum alii ſunt hæretici occulti, alii Catholici mali, alii Catholici boni. *Reſpondeo:* Hoc teſtimonium contra nos nihil facere. Loquitur Auguſtinus tantúm de variis hominibus, qui externo modo fidem Chriſtianam profitentur, alii veré, alii fictè. Nos fatemur, multos eſſe in Eccleſia, qui Chriſtiani videntur, quiq; unà cum piis in externa religionis profeſſione communicant; quos tamen eſſe Eccleſiæ membra negamus. Nam qui religionem & fidem Chriſtianam fictè profitentur, ii reprobi ſunt; reprobi verò num ſunt Eccleſia? num ita ſenſit Auguſtinus? Imò contrariũ potiús ex Auguſtino, hoc ipſo in loco confirmari poteſt. Sic enim ſcribit Auguſt. *Iſti reprobi ſunt, etſi ad tempus eos portat Eccleſia; ſicut area uſ-*

 Ex quibus hominibus que ad tempus ventilationis paleam ſuſtinet. Ergo reprobi non ſunt Eccleſia; ſed eos tolerat, ſive portat Eccleſia. Quod veró portat, aliud eſt ab eo quod portatur. *Poſtremum* teſtimonium eorum omnium, quæ á Bellarmino citantur, eſt Gregorii Magni in lib. 13. moral. cap. 5. Ubi Gregorius explicans illum locum Jobi, qui habetur Job. 16. v. 8. *(Rugæ meæ contra me teſtimonium dicunt)* rugas interpretatur infideles. *Quid* (inquit) *per rugas niſi duplicitas deſignatur? Rugæ itaq; ſunt ſanctæ Eccleſiæ omnes, qui in ea dupliciter vivunt, qui fidem vocibus clamant, operibus denegant.* *Reſpondeo:* alienum hoc eſſe teſtimonium, & ipſi Adverſario infeſtum, ſi locum rectè legamus, & verba ipſa bene perpendamus. Corrupit enim hunc locum Adverſarius de induſtria, ut videtur. Gregorius ait: *Rugæ ſunt ſanctæ Eccleſiæ, omnes qui dupliciter in ea vivunt.* Bellarminus veró in hunc modum legit: *Rugæ ſunt ſanctæ Eccleſiæ omnes, qui dupliciter in ea vivunt*, ut nobis ſcilicet perſuadeat, eos quos Gregorius per rugas intelligit, hoc eſt, infideles, Eccleſiæ partes ſive membra eſſe, ſecundúm Gregorii ſententiam. Fateor ego quidem, rugas eſſe in Eccleſia; ſed num ob id partes & membra ſunt Eccleſiæ? Nequaquam. Ruga enim faciei, non eſt pars vel membrum faciei, ſed privatio tantúm pulchritudinis. Nos cum Paulo & Patribus fatemur, Eccleſiam in terris militantem, ſuas rugas & maculas habere, ſed futuram eſſe dicimus aliquando ἄσπιλον καὶ ἀῤῥυτίδωτον, *omnis macula, & ruga expertem.* Etſi ergo Eccleſia in mundo rugas habet: tamen hæ rugæ non ſunt Eccleſia; quia Eccleſia olim erit ſine his rugis. Aliud igitur Eccleſia, aliud rugæ Eccleſiæ. Quod autem Gregorius ſenſit, hos non eſſe de Eccleſiæ

Catholicæ

Catholicæ corpore, ex eo apparet, quod poſtea in fine ejusdem capitis habetur, ubi ſic ſcribit Gregorius: *Quid aliud omnes iniqui, quám membra Diaboli?* Ergo non ſunt membra Chriſti. Quid enim Diabolo cum Chriſto, aut membris Diaboli cum membris Chriſti?

Quartum & *poſtremum* Bellarmini argumentum á ratione ſumitur. Atque hîc quasdam rationes proponit, quarum prima ſumitur á ſimilitudine corporis humani. Eccleſia (inquit) eſt ſimilis corpori humano; corpus autem humanum varias partes habet; quarum quædam vivunt, & ſentiunt; quædam vivunt, ſed non ſentiunt; quædam nec vivunt, nec ſentiunt: ſimiliter ſe habet in Eccleſia; quidam fidem & charitatem habent, quidam ſolam fidem, quidam ne ipſam quidem fidem, ſed externam duntaxat cõjunctionem: ergo Eccleſiæ quædam partes ſunt, quę omnino non vivunt. *Reſpondeo*: Similitudinem iſtam inter Eccleſiam & corpus humanum non improbo, quia Spiritum ſanctum eâdem uſum eſſe video, Rom. 12. 4. 5. & 1. Cor. 12. 12. 13. &c. Sed ſimilitudines prudenter & ſobriè tractandæ ſunt, nec longiús á nobis urgendæ, quám ad id, ad quod accommodantur. Ratio verò hujus ſimilitudinis apud Apoſtolum in hoc *primò* conſiſtit, quòd quemadmodum membra unius corporis varia habent officia, & varias functiones: ſic omnes in Eccleſia ejusdem functionis & dignitatis non ſunt: *Secundò* in hoc, quòd quẽadmodum in corpore humano unumquodq; membrum, non ſuæ tantúm, ſed reliquorum etiam ſaluti inſervit; ſic in Eccleſia alii aliis debent inſervire: *Tertiò* in hoc, quòd quemadmodum ex membris omnibus ſimul conjunctis ſit unum corpus integrum &

perfectum; ita Ecclesia, quæ Christi corpus est, ex variis hominum ordinibus constat. Bellarminus novam quandam hujus similitudinis rationem excogitavit, in hunc modum. Quemadmodum sunt in corpore humano partes quædam non sentientes, & non viventes: ita etiam in Ecclesia. Sed Apostolus nullam hujusmodi comparationem instituit; meritó ergo á nobis rejici potest. In hunc modum potiús comparationem istam instituere debemus. Quemadmodum nulla sunt membra corporis humani, nisi viva, quæ connexa sunt cum capite, quæque per venas & arterias vitam sensumque ex capite hauriunt: ita in corpore Christi nullum membrum est, quod non cum capite ipso, hoc est, cum Christo, arctissimé copulatur, & ad quod á capite vita spiritualis non derivatur. Sed hîc obiter observanda est occulta quædam fraus Jesuitæ. Non ait, membra quædam Ecclesiæ non vivere; quia intellexit, nullum membrum corporis aut vita aut sensu carere posse, sed partes; quia credidit, partes aliquas corporis sensu vitaque vacuas esse. Atqui hoc idem est, quod Canus dicit, quemadmodum antea accepim'. Sic cúm ille antea voluit Cani responsionem corrigere, imprudens jam in eam incidit. Non habet ergo, in quo consistat. Sed persequamur illum. Quid ergo illud (obsecro) est, quod ait? Cujusmodi (quæso) illæ partes sunt humani corporis, quæ nec vivunt, nec sentiunt? Sed *respondeo* dupliciter. *Primó*, si ratio similitudinis cõstet, omnes impii sunt membra Ecclesiæ. Debuit ergo ille dicere, occultos infideles, non esse partes tantúm, sed membra Ecclesiæ: nam fideles membra Ecclesiæ dicuntur, non partes tantúm. Si membra, tum viva. Nulla enim sunt mẽbra

bra corporis humani, quæ vivunt, & non ſentiunt, multó minús, quæ nec vivunt, nec ſentiunt; eodem etiam modo nec aliqua ejusmodi ſunt membra Eccleſiæ, quæ Chriſti ipſius corpus eſt. Sed ait Jeſuita, partes quasdam eſſe humani corporis ejusmodi. Quæro igitur, quæ illæ partes ſint? Bellarminus non nominat. Alii veró Papiſtæ nominant pilos & ungues. At ego nego pilos & ungues eſſe partes corporis humani. Excrementa enim ſunt, non partes. *Secundó*, obſervandum eſt, Bellarminum non dicere, quasdam partes corporis humani eſſe mortuas, ſed quasdam eſſe non viventes. Noluit dicere, quasdam eſſe mortuas, ne fraus ejus faciliús deprehenderetur. Sed ego dico, non vivum dupliciter ſumi, negativé ſcilicet, & privativé. Negativé non vivum de iis dicitur, quæ etſi non habent vitam, tamen mortua dici non poſſunt. Si hoc modo ſumatur, ſunt in corpore partes quædam, quæ non vivunt, cujusmodi ſunt ſecundúm quosdam, oſſa, dentes, pili, ungues. Privativé non vivum de iis dicitur, quæ mortua etiam dici poſſunt. At nulla eſt pars corporis humani mortua; nam os mortuum non eſt pars, niſi æquivocé. Hoc novit Bellarminus, ac propterea nō auſus eſt dicere, aliquam partem corporis humani eſſe mortuam. At illi dicunt, Eccleſiam habere non modó non viva membra, verumetiam mortua & arida. Hujusmodi veró nec membrum nec partem corpus humanum habet. Præterea oſſa, ungues, & pili, nutriūtur & creſcūt: ergo vitā in ſe habēt, etſi minimé ſentiāt. At ajūt Adverſarii, homines impios, peccatores magnos, & occultos infideles, eſſe ipſius mortua mēbra. Itaq; nullo modo cū pilis & unguib⁹ poſsūt comparari. Sed hac de re plura hîc nō dicem⁹.

Sequuntur aliæ quædam rationes apud Bellarminum, quæ quia nullius sunt momenti, illas prætermittemus.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

In quo alia argumenta afferuntur, præter ea quæ priùs sunt proposita, ad nostram in hac causa sententiam confirmandam.

ADversariorum argumenta omnia tractata jam sunt, & refutata: nunc sequitur, ut nostra depromamus. Et jam antea aliquot sunt á nobis proposita: sed nunc plura proponemus, quibus nostram definitionem ac defensionem confirmemus. Nostra Ecclesiæ definitio, ex solis bonis, & vera fide præditis, & prædestinatis, Ecclesiam constituit, non ex reprobis, non ex impuris hominibus, non ex magnis peccatoribus, aut occultis infidelibus: & nullũ Christo mortuum aut aridum membrum tribuit. Primo veró in loco Scripturas afferemus. Et singula quidẽ Scripturarum testimonia, singula erunt argumenta. Testimonia veró Scripturarum in certas quasdam classes distribuemus; quarum prima eos Scripturæ locos continebit, in quibus Ecclesia ædificio comparatur. Atque hujus quidem classis locus primus habetur Matth. 16. 18. & in his verbis continetur: Κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. *Sed & ego tibi dico, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non superabunt eam.* Ex quo loco sic concludo: Ecclesia in petra ædificatur: ergo nullus in Ecclesia non bonus, nullus reprobus, nullus manifestus peccator locum habet. Per petram alii intelligunt fidem & confessio-

feſſionem illam Petri de Chriſto. Sic Chryſoſtom. in homil. 55. in Matth. Sic Epiphan. in lib. 2. contra hæreſ. tom. 1. hæreſ. 59. contra Catharos loquens. Sic Hilarius in lib. 2. & 6. de Trinitate. Sic Orige. in Matth. 16. tractat. 1. Sic Hieronymus in lib. 1. contra Jovinia. Sic Ambroſ. in comment. in Epheſ. 2 & in lib. de Dominicæ incarnationis Sacramento, cap. 5. Sic Beda in Johan. 21. Alii veró per petram Chriſtum ipſum intelligunt, ut Auguſtinus ſæpe. Et certé eodem recidit utraque interpretatio, eadem utriusq; ſentẽtia eſt, licet in verbis aliqua differentia eſſe videatur. Nam confeſſio illa Petri Chriſtum ſpectavit, & fides ejus Chriſtum apprehendit, & illum ſibi tanquã materiam & objectum ſuum propoſuit. Itaque reſpectu objecti, Eccleſiam in fide illa ac confeſſione Petri ædificatam fuiſſe, rectè poſſumus affirmare. Petrum veró per petram non intelligi, nos alibi docebimus. Hinc ſequitur, Eccleſiam in firmo loco conſiſtere, quia in petra fundatur, quæ everti nõ poteſt; ac proinde omnes, qui ad hanc Eccleſiam pertinent, perire nullo modo poſſunt. Cúm enim petra firma ſit; illorum ſedem firmam eſſe neceſſe eſt, qui in ea ædificati & fundati ſunt. Et addo, totam Eccleſiam in petra ædificatam eſſe; nam Chriſtus de tota Eccleſia loquitur. Si tota Eccleſia ſit in petra ædificata: tum nulla pars Eccleſiæ excidere unquam poteſt. Et hoc Chriſtus ipſe indicat, cúm ſubjungit, *portas inferorum non eſſe illam ſuperaturas.* Per portas inferorum intelligunt Patres aliqui hæreticos, alii veró tyrannos, alii vitia. Senſus eſt, nullam vim Satanæ, quæcunq; illa tandem ſit, contra eccleſiam valere poſſe. Ergo quos Satanas vincit, ii ad eccleſiam non pertinent, quia non ſunt in petra fun-

dati. Origenes in hunc locum præclaré ſcribit, cujus verba Thomas etiam in Catena aurea recitat. *Petra eſt omnis, qui imitator eſt Chriſti: adverſus quem autem portæ prævalent inferorum, ille nec petra dicendus eſt, neq; Eccleſia, neq; pars Eccleſiæ, quam Chriſtus ſuper petram ædificat.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret; Contra quos Satanas vim habet, ac prævalet, illi ad Eccleſiam non pertinent: at veró contra omnes reprobos, impuros, & magnos peccatores, Satanas vim habet, & prævalet: ergo nulli reprobi, impuri, & magni peccatores ad Eccleſiam pertinent. Præterea veró affirmat Origenes, has portas contra omnes prævalere, qui extra Eccleſiam & petram illam ſunt: at non cõtra eos, qui in hac petra ædificantur. Ergo contra quos prævalent portæ inferorum, ii extra Eccleſiam ſunt. Et eodem in loco ait, incertũ eſſe, utrúm quod Chriſtus ait, (*portas inferorum non prævalituras eſſe adverſus eam*) de petra, an de Eccleſia intelligi debeat: & reſpondet, de utraque intelligi; quia nec contra petram, nec contra Eccleſiam prævalebunt. Atqui veró reproborum nulla eſt firmitas, nulla ſtabilitas; contra illos prævalent portæ inferorum: ergo ii in illa petra non fundãtur, & per conſequens non ſunt de Eccleſia. *Similis* locus habetur Epheſ. 2. 20. *Superædificati ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, imó angulari lapide exiſtente Jeſu Chriſto.* Senſus eſt, Eccleſiam, & eam quidem totam, per Prophetarum & Apoſtolorum doctrinam, in Chriſto ædificari: ergo ad Eccleſiam nulli alii pertinent, niſi qui doctrinam Propheticam & Apoſtolicam amplectuntur, quique per hanc doctrinam Chriſto ἐποικοδομοῦνται. Sed forſan dicent Adverſarii, Eccleſiam quidem in Chriſto totam ædificari; at reprobos etiam

etiam aliquo modo ædificari. Sed hoc Apostolus statim refellit, cúm ait, πᾶσαν οἰκοδομὴν συναρμολογεῖσθαι, *totum ædificium congruenter inter se coagmentari.* Ergo illi omnes & singuli, qui ad hoc ædificium pertinent, quique huic fundamento superstruuntur, συναρμολογοῦνται, hoc est, *congruente quadam proportione inter se cohærent*; at reprobi cum prædestinatis, boni cum malis, non συναρμολογοῦνται; nulla talis est inter illos συναρμολογία: ergo reprobi & prædestinati, mali & boni simul, huic fundamento superstrui, & ad hoc ædificium pertinere non possunt. Atque hoc ex eo adhuc meliús apparet, quod ait Apostolus postea, eos omnes, qui in hoc fundamento ædificantur, αὔξειν εἰς ναὸν ἅγιον ἐν κυρίῳ, *crescere in templum sanctum in Domino.* Ergo omnes remanent, & in templum Dei crescunt. At certum est, reprobos hoc modo non crescere. Et ultimo loco exhortationem subjungit in hunc modum: *In quo* (scilicet Christo) *& vos* (inquit) *uná ædificamini, ut sitis* εἰς κατοικητήριον τοῦ θεοῦ, *in domicilium* sive *habitaculum Dei.* At impii Dei habitaculum non sunt. Nam hoc efficimur, ἐν πνεύματι, *per Spiritum*, ut sequitur apud Apostolum. Ergo qui Spiritus sancti expertes sunt, ii non possunt in habitaculum Domini crescere; at certum est, reprobos hunc Spiritum non habere. Ex hoc igitur loco tale argumentum colligimus. Tota Ecclesia Dei, per Apostolorum ac Prophetarum ministerium, atque doctrinam, in Christo ædificatur, tota arctè coagmentatur, tota crescit in Dei templum & habitaculum per Spiritum sanctum: at hæc de reprobis dici non possunt: ergo nulli reprobi sunt de Ecclesia. Urgemus inprimis illa verba, πᾶσα οἰκοδομὴ, *totum ædificium.* Nam ea palám

declarant, Ecclesiam non ex aliis quám bonis constare. Si enim ex malis constaret: tum πᾶσα οἰκοδομὴ non eo modo in Christo ædificaretur, quo dictum est. *Similis* locus habetur etiam Matth. 7. 24. 25. &c. ubi Christus ait, eum *qui audit & facit sermones ejus, similem esse viro prudenti, qui ædificavit domum suam in petra; eum autem qui audit tantúm, & non facit, similem esse viro fatuo, qui ædificavit domum suam in arena.* Unde manifestum est, nullos impios homines, qui solummodo verba Christi audiunt, non autem suscipiunt, nec faciunt, ad Ecclesiam Catholicam pertinere; quia impii in arena ædificant, Ecclesia veró Catholica non in arena, sed super petram ædificata est. Atque ex hoc quidem loco colligi potest differentia inter particulares Ecclesias, & Ecclesiam Catholicam. Omnes enim in Ecclesiis particularibus audiunt; num ergo sunt omnes de Ecclesia Catholica? nequaquam. Nam si audiunt tantúm, & non faciunt, in arena ædificant. Illi ergo soli in petra ædificant, hoc est, sunt de Ecclesia Catholica, qui audiunt, & faciunt: iique soli boni sunt, non reprobi. Et hujus etiam discriminis ratio probari potest ex Luc. 11. 28. ubi cúm mulier quædam é turba dixisset Christo, *Beatus uterus, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti*: respondit Christus, & dixit, *Imó veró beati sunt, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Audire verbum Dei, omnium est, qui in externa Ecclesiæ societate versantur: facere veró & custodire, electorum tantúm est, atque ii soli sunt beati. Huc etiam referri potest locus ille Petri, qui habetur 1. Pet. 2. 5. ubi Apostolus sic scribit, καὶ αὐτοὶ ὡς λίθοι ζῶντες οἰκοδομεῖσθε οἶκος πνευματικός. *Ipsi quoq; veluti vivi lapides ædificati, fiatis domus spiritualis.* Ergo vivi tantúm lapides ad hoc ædificium pertinent, nulli mortui.

mortui. Quod facit contra Adversarios vel maximé, qui affirmant, Christum in suo corpore, hoc est in Ecclesia, habere aliqua mortua membra. Sic hæc prima similitudo nostram causam maximé confirmat.

Secundus noster Scripturæ locus, seu potiús secunda classis testimoniorum quæ ex Scripturis petimus, capitis & membrorum similitudinem complectitur. Ephes. 1. 22. sic scriptũ legimus: καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, ἥτις ἐστὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ, τὸ πλήρωμα τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου. *Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & complementum ejus, qui omnia implet in omnibus.* Ubi docet Apostolus, Christum esse caput Ecclesiæ Catholicæ, Ecclesiam verò esse corpus ejus; nec id tantúm, verumetiam corporis complementum. At reprobi non sunt corporis Christi complementum. Ergo reprobi non sunt de Ecclesia. Adversarii dicunt, reprobos esse membra Christi, licet arida illa quidem & mortua. Sed Apostolus hoc claré refellit, cúm ait, Ecclesiam non modó Christi σῶμα esse, verumetiam πλήρωμα, *complementum.* Nam membra mortua nullo modo complent, aut perficiunt corpus, sed potiús detruncant, & mancum plané reddunt. Chrysostomus & OEcumenius in hunc locum nostram causam confirmant. Docent enim præclaré, quam ob causam Ecclesia Christi πλήρωμα dicatur. ἀναπληροῖ γὰρ τέλειον ποιεῖ σῶμα τὴν κεφαλήν, ὥσπερ γὰρ ἡ κεφαλὴ πληρωτικὴ ἔστι τοῦ λοιποῦ σώματος. *Corpus complet & perfectum reddit caput, quemadmodum & caput totius reliqui corporis complementum est.* At mortua membra non faciunt caput perfectum, sed imperfectum. Ergo non magis Christo membrum mortuum, quám Ecclesiæ caput mor-

tuum est affingendum. Sic enim Ecclesia est πλήρωμα τοῦ χριστοῦ, quemadmodum Christus est πλήρωμα Ecclesiæ. Præterea sequitur apud eosdem, non modó Ecclesiam in genere esse σῶμα καὶ πλήρωμα τοῦ χριστοῦ, verumetiam particularem quemque fidelem esse membrum hujus corporis, & singula membra debere officio suo fungi, nec esse membra, nisi fungãtur: at mortua membra nullam omnino muneris functionem obire possunt: ergo hujus corporis membra esse non possunt. Chrysostomi verba hæc sunt: *εἰ γὰρ μὴ ὦμεν πολλοὶ, καὶ ὁ μὲν τις ἀυτοῦ χεὶρ, ὁ δὲ πούς, ὁ δὲ ἕτερόν τι μέλος, οὐκ ἀναπληρῶται ἀυτοῦ τὸ σῶμα. Nam si non simus quidem multi, & sit alius quidem manus, alius verò pes, alius autem aliqua alia pars: non impletur totum corpus.* Sed nulla esse in Christi corpore membra mortua, ex his rationibus constare potest. *Primó*, Christus est caput non modó vivum, verumetiam vivificans: ergo vitam præbet omnibus membris suis. Et quidem capitis est, vitam membris præbere: ergo si Christus omnia sua membra non vivificet, non facit id quod est officium capitis. Sed dicent fortasse Adversarii, non posse caput aliquando omnia membra vivificare, propter membri alicujus læsionem: sicut videmus, partes læsas in nostris corporibus nõ vivificari per vitalem spiritum capitis. *Respondeo*: Fateor, hoc quidem aliquando in corpore naturali fieri, ut caput non possit vitam tribuere alicui membro, propter insignem aliquam illius membri læsionem. Et ratio quidem est, quia caput finitam tantúm vim & potentiam habet. At hoc in Christi corpore fieri non potest; quia Christo vim infinitam tribuam us necesse est, ut superet, quicquid sit impedimenti. Nihil in membro aliquo potest vim ejus impedire,

dire, quo minús ille omnibus ſuis membris vitam præbeat. Ille membrum læſum poteſt ſanitati reſtituere, quia ſumma illius vis eſt. Ergo niſi vivificet ſua membra omnia, non facit officium ſuum. At Adverſarii Chriſtum miſerum & debile caput faciunt, qui illi plura membra mortua quám viva affingũt. Cum .n. plures mali ſint, quám boni, iiq; omnes ſint mortua Chriſti membra, ut volunt Adverſarii: injuriam certé Eccleſiæ faciunt, & inſignem contumeliam Chriſto, qui tot illi mortua membra tribuunt. De Chriſto enim non niſi blasphemé & contumeliosé dici poteſt, eum tam multis languidis & mortuis membris laborare. Nam quale erit hoc caput? & quale corpus? Quis dicet, illud caput vivum eſſe, aut corpus illud vivere, cujus plura ſunt mortua, quám viva membra? At talis eſt ſtatus corporis Chriſti, ſi Adverſariis credamus. *Præterea* quale caput eſt, tale eſt corpus: at caput totum ſpirituale eſt, & myſticum: ergo & totum corpus eſt ſpirituale. Si veró totum corpus ſit ſpirituale, tum totum habet Spiritum ſanctum: nulli ergo, qui ſunt Spiritus ſancti expertes, hujus corporis membra eſſe poſsũt: at reprobi omnes Spiritu ſancto carent; ergo reprobi nõ ſunt mẽbra huj' corporis. *Præterea* mẽbra mortua æquivocé tantúm mẽbra ſunt, nõ proprié & veré: nulli ergo impii ſunt Chriſti membra proprié. At ſi ſint de Eccleſia, nõ ſunt tãtúm membra æquivocé, ſed proprié; quia Eccleſia Chriſti, nõ eſt Chriſti corpus ſpirituale æquivocé, ſed proprié & veré. Si veró impii ſint mẽbra Chriſti æquivocé (nam hoc Papiſtæ dicũt, Canus, Turrianus & alii:) tũ nõ ſunt mẽbra, ſed dicũtur tãtũ; ut homo pictus nõ eſt homo, ſed dicitur tantũ homo; & pes ligne' dicitur tantũ & videtur pes,

non eſt pes. Et certé niſi viva membra ſint, æquivocé membra ſunt. Ergo Chriſtus nullum habet mortuum membrum. *Præterea* melius eſt capiti, quando membrum mortuum amputatur: at Chriſtus nullius membri amiſſione levatur: ergo Chriſtus nullum membrum mortuum habet. *Porró*, ſi Chriſtus habeat in corpore ſuo membra aliqua mortua: tum vel mortua ſunt cúm in Chriſti corpore primúm inſita fuerunt, vel poſtea vitam amiſerunt. Non cúm primúm inſita ſunt; quia quod mortuum eſt, non poteſt in vivo corpore inſeri; ut mortuus ſurculus non poteſt in vivo ſtipite inſeri. Præterea non abſurdum módó, verumetiam blasphemum eſt dicere, Chriſtum velle in ſuum corpus mortua membra inſerere. Sed forſan antea viva membra fuerunt, poſtea veró vitam amiſerunt. At tum culpa vel in Chriſto capite, vel in ipſis membris erit. Non in Chriſto capite, quia tum Chriſtus hujus mortis & interitus cauſa erit, & ejus vitio membra illius morientur; quod blasphemum dictu eſt. Nam ille nec charitate nec cura deficit erga membra ſua. Ergo in ipſis membris omnis culpa erit. At nec hoc quidem fieri poteſt. Nam membra omnia corporis Chriſti de ſalute ſua ſunt ſolicita, nec ſibi ſponte vim inferunt, aut vitam adimunt. Deinde Spiritus ille vitalis per omnia Chriſti membra fuſus eſt. *Præterea*, ſi intereat membrum aliquod ſuo vitio, vel læſionem aliquam ſibi inferendo, vel alio aliquo modo: in caput ipſum, hoc eſt, in Chriſtum, culpam aliquam redundare neceſſe eſt, quód non fuit tam ſolicitus de ſanitate membrorum, neque tam cautus, & tam vigilãs, quám par erat. Papiſtę dicunt, mortua membra, cúm adhuc mortua ſunt, inſeri in Chriſti corpus, & poſtea

etiam

etiam mortua remanere; quod tum contra Scripturas, tum contra rationem est. *Simile* locus habetur Ephes. 4. 16. Ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, &c. *Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, & compactum, &c.* Ubi Apostolus perspicué docet, totum Ecclesiæ corpus esse arctè compactum, & convenienter coagmentatum. Quid? num ex vivis & mortuis membris simul? Nequaquam. Hoc Apostolus ipse refellit, cùm subjungit, διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας, *per omnes suppeditatas commissuras*; ad verbum, *per omnem subministrationis junctura*m: ergo in omnibus membris est ἁφὴ, hoc est, tactus; at mortua membra non habent ἁφὴν. Præterea tribuit Apostolus unicuique membro ἐνέργειαν, *operationem*, aut *vim quandam intus agentem*: at mortua membra non habent hanc ἐνέργειαν. Nec quibusdam tantùm membris hanc ἐνέργειαν tribuit, sed omnibus. Ait enim, ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους, *pro mensura uniuscujusq; membri.* Ubi sunt ergo mortua membra Papistarum? Et subjungit, omnia membra αὔξησιν ποιεῖσθαι, *incrementum capere*: nullum ergo membrum est mortuum; & se ἐν ἀγάπῃ οἰκοδομεῖν, *in charitate mutuó ædificare*: at de reprobis hoc dici non potest. Si locus explicationem aliquam desideret, qui tamen per se satis manifestus esse videtur: Chrysostomum & OEcumenium adhibeamus interpretes, qui in hunc locum sic scribunt: τὸ πνεῦμα ἄνωθεν ἀπορρέον διὰ τοῦ χριστοῦ ἀφθόνως, πάντων ἐφάπτεται τῶν εἰς μέλη πελόντων τοῦ χριστοῦ. *Spiritus supernè à Christo diffluens, & quidem abundanter, ad omnes, qui in membris Christi sunt, derivatur.* Spiritus ergo Christi ad omnia Christi membra derivatur: at ad reprobos & infideles non derivatur: ergo reprobi & infideles non sunt membra Christi. Et quærit ibidem

Chryſoſtomus, Cur Apoſtolus adjecit, ἐν ἀγάπῃ, *in charitate? Reſpondet*, quia omnia Chriſti membra habent ἀγάπλω, & qui non habent, ſunt extra Chriſti corpus; ſpiritus autem Chriſti non extra ſuum corpus diffunditur, quemadmodum nec in corporibus noſtris vis aliqua á capite ad membra reſecta & aliena manare poteſt. Qui ergo charitatis expertes, ſunt, extra Chriſti corpus ſunt, nec ad illos poteſt ſpiritus Chriſti deſcendere & derivari: at omnes reprobi charitatis ſunt expertes: ergo omnes reprobi á Chriſti corpore alieni ſunt. Hoc ipſum quoque docet idem Apoſtolus Epheſ. 4. 4. ubi ait, eſſe ἓν σῶμα, *unum corpus*, totius Eccleſiæ. Sed cujusmodi? num ex variis & diverſis, & non ex ejusdem naturæ membris conſtans? Nequaquam. Sed unum corpus eſt (inquit) quia eſt ἓν πνεῦμα, hoc eſt, *unus ſpiritus*, cujus internâ vi & efficaciâ ſingula hujus unius corporis membra vivificantur, & inter ſe copulantur univerſa; at impii hunc ſpiritum non habent: ergo impii ad hoc corpus non pertinent, nec hujus corporis membra ullo modo eſſe poſſunt. Et in verſ. 12. ejusdem capitis idem Apoſtolus ait, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ, *ad ædificationem corporis Chriſti*; ergo non ad Chriſti corpus pertinet, niſi qui ædificatur. & verſ. 13. ait, eos omnes, qui ad hoc Chriſti corpus pertinent, evadere *in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum ſtaturæ adulti Chriſti*: quæ de mortuis membris affirmari non poſſunt. *Similis* locus habetur Coloſſ. 2. 19. *Neq; obtinens caput, ex quo totum corpus, per commiſſuras, & compages, ſuppeditatum & compactum, augeſcit augmento Dei.* Quo in loco loquitur Apoſtolus de capite & de corpore Eccleſiæ. De capite conſtat. Chriſtus enim eſt caput. De corpore

pore veró quæritur, cujusmodi ſit? Apoſtolus docet, & deſcribit. Primó, qui ſunt in corpore Chriſti, ii debent κρατεῖν τὴν κεφαλὴν, *obtinere caput*: at reprobi οὐ κρατοῦσι τὴν κεφαλὴν, *non obtinēt caput*: ergo reprobi non ſunt in corpore Chriſti. Poſtea ſequitur, ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα διὰ τῶν ἁφῶν καὶ συνδέσμων, *ex quo totum corpus per commiſſuras & compages*: ergo in hoc corpore nihil eſt mortuum. Sequitur deinceps, ἐπιχορηγούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, *ſuppeditatum & compactum*: omnia ergo membra hujus corporis ſunt inter ſe, & cum capite, coagmentata. Sed num hîc aliquid eſt emortuum? Nequaquam. Nam ſequitur, ἄυξει τὴν ἄυξησιν τοῦ θεοῦ, *augeſcit augmento Dei*: unde ſic concludo, Creſcunt omnia membra; ergo nullum eſt mortuum. Et hoc incrementum eſt ſanctum & divinum. Nulli veró reprobi ſic creſcunt; ergo nulli reprobi ſunt in Chriſti corpore, & per conſequens nulli reprobi ad Catholicam Eccleſiam pertinent. Tertullianus in libro de cibis Judaicis hunc locum ſic interpretatur. *Ex quo omne corpus per nexus concatenatum, & fibulâ charitatis mutuis membris innexũ atq; concretum, creſcit in Deum.* Ergo qui non cõcatenati ſunt, & fibulâ charitatis innexi, atq; concreti, ii nõ ſunt membra hujus corporis. Sic OEcumenius ait, πᾶν τὸ σῶμα τῆς ἐκκλησίας ἔχειν ἁπαφὰς, προσεγγίσεις, συζεύξεις, *totum corpus Eccleſiæ habere commiſſuras, propinquas juncturas, compages*: & συμβιβάζεσθαι, *coagmẽtari*, & ſecũ & cum Chriſto, & ἄυξειν, *augeſcere*, nõ σωματικῶς, ſed πολιτείᾳ ἀρίστῃ, *non corporaliter, ſed converſatione optima*. Hæc omnia reprobos excludunt. Niſi. n. hæc de illis dici poſsũt, nõ ſunt de corpore Chriſti; quia hęc πρὸς τὸ πᾶν σῶμα τῆς ἐκκλησίας, *ad totũ corp⁹ Eccleſiæ*, accõmodátur. Hãc capitis ac corporis ſimilitudinẽ pſequitur

Apostolus Ephes. 5. 23. ubi vocat Christum tum κεφαλὴν τῆς ἐκκλησίας, *caput Ecclesiæ*, tum σωτῆρα τοῦ σώματος αὐτοῦ, *servatorem corporis sui*. Hoc de toto corpore dicitur. Nulli autem reprobi servantur: ergo nulli reprobi ad hoc corpus pertinent, aut hujus corporis membra sunt. Præterea vers. 25. subjungit, Christum Ecclesiam suam, eamque totam diligere, & seipsum pro illa tradidisse: at reprobos non diligit Christus, neque pro iis sese tradidit: ergo constat, eos non esse de Ecclesia. Præterea vers. 26. ait, Christũ Ecclesiam suam totam ἁγιάσειν, καθαρίσειν, παραστῆσαι ἔνδοξον, μὴ ἔχουσαν σπίλον, ἢ ῥυτίδα, *sanctificaturum, purgaturum, exhibiturum gloriosam, sine macula aut ruga*. De reprobis hæc dici nullo modo possunt. Et vers. 29. ait, neminem unquam carnem suam odisse, sed ἐκτρέφειν καὶ θάλπειν αὐτὴν, καθὼς καὶ ὁ Κύριος τὴν ἐκκλησίαν, *nutrire ac fovere eam, sicut & Dominus Ecclesiam*: at Christus odit reprobos, nec eos nutrit, aut fovet: ergo alieni sunt reprobi á corpore Christi. Si enim Christi membra essent, Christus eos non odisset, sed foveret ac nutriret; alioqui esset quovis homine ἀσοργότερος. Et vers. 30. idem Apostolus ait, eos omnes, qui ad Ecclesiam Catholicam pertinent, esse μέλη corporis Christi. quid? num mortua, aut arida membra? nequaquam; sed ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ, *ex carne ejus, atq; ex ossibus ejus*; quod de mortuis membris dici nullo modo potest. Denique quoties dicũt Papistæ, esse quædam mortua membra Christi, toties urgendæ sunt particulæ illæ πᾶσα & πᾶν, quæ habentur Ephes. 2. 21. & Coloss. 2 19. πᾶσα οἰκοδομὴ αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον ἐν Κυρίῳ, *totum ædificium crescit in templum sanctum in Domino*: & πᾶν τὸ σῶμα αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ θεοῦ, *totum corpus augescit augmento Dei*. Et de secundo hoc

hoc genere teſtimoniorum, quæ ex Scripturis ſumuntur, ſatis multa diximus, quæ omnia ex illius ſimilitudinis ratione pendent, qua Chriſtus capiti, & Eccleſia corpori comparatur. Nunc ſequitur, ut alia alterius generis & claſſis teſtimonia attexam.

Tertio igitur loco Eccleſia in Scripturis ſponſæ comparatur, Chriſtus verò ſponſo. Sic autem paſſim hæc ſponſa deſcribitur, ut omnes impii ab Eccleſia apertiſſimè excludantur. In Canticorum libro, cap. 4. v. 7. ſponſus ipſe de ſponſa ſua tale teſtimonium perhibet, *Tota pulchra es, amica mea, & vitium nullum eſt in te.* Quæ verba non ſunt ita intelligenda, quaſi omni ex parte pulchra ſit, & omni omnino macula careat Eccleſia, quæ jam in terris militat: ſed quòd inchoata tantùm hîc ſit illius pulchritudo; futurum autem tandem tempus erit, in quo perfecta fiet. At hoc in reprobos quadrare non poteſt. Illi enim nunquam ſine labe, nunquam ſine maculis erunt. Et v. 12. ejusdem capitis, horto concluſo Eccleſia comparatur, cujus omnes plantæ fructum precioſum ferunt. At talem fructum impii non proferunt. Et poſtea cap. 6. v. 8. Chriſtus eum vocat *columbam ſuam*, & *amicam ſuam*, & *integram ſuam*. At non ita ſolet reprobos compellare. Nec in genere tantùm ita eam alloquitur, ſed ibidem etiam ſingula ſponſæ ſuæ membra particulatim recenſet & perſequitur, & ſingula valde laudat & probat; caput, genas, oculos, os, brachia, & reliqua membra; eorumque omnium pulchritudinem ſigillatim enarrat. Ita nullum locum impiis inter hujus ſponſæ ſuæ membra relinquit. Denique totus iſte liber quid aliud tractat, aut complectitur, quàm laudes Chriſti, & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, & neceſſitudinem illam ac conjunctio-

nem arctiſſimam, quæ inter Chriſtum & Eccleſiam ſuã intercedit, & amorem illum ſummũ, quo Chriſtus ſponſam ſuam proſequitur? Quæ omnia evincunt, impios ad Eccleſiam non pertinere. Vidit hoc Bellarminus, ut eſt homo cautus, & callidus, cúmque ſentiret ſe non poſſe ullo modo conſiſtere, nec defenſionem ſuam tueri, ſi de Catholica Eccleſia hæc intelligantur; conatus eſt novo quodam modo reſpondere. Ait, per ſponſam in hoc libro non Eccleſiam Catholicam, ſed fidelem quamque animam intelligi. At nos dicimus, fideles animas eſſe ipſam Eccleſiam Catholicam. Quod veró ait, non eſſe hæc de Eccleſia intelligenda; in eo non modó á re ipſa, atque adeó ab ipſa veritate, verumetiam á Patribus (ad quos adverſarii in omni difficultate ſolent confugere) atque etiam nonnullorum Papiſtarum authoritate refellitur. Auguſtinus enim in lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 6. & in libris contra Donatiſtas ſæpe contrarium plané ſtatuit. Diſertè enim affirmat, hunc librum de Chriſto & Eccleſia Catholica intelligi debere. Similiter Gregorius in Comment. in Cantic. ſponſam hanc Eccleſiam ſanctam interpretatur. Similiter Bernardus in ſermone 1. in Cantic. ait, Salomonem *Chriſti & Eccleſiæ laudes, & ſacri amoris gratiam canere.* Ipſe etiam Genebrardus, quem omnes nobilem Papiſtam eſſe ſciunt, in ſuis ſcholiis in hunc librum, affirmat hunc eſſe hujus libri ſcopum genuinum, & á Spiritu ſancto intentum. Nam & Scripturæ alibi Eccleſiam ſponſæ comparant, qúod hanc interpretationem vel maximé confirmat. Apoc. 21. 9. Unus ex ſeptem illis Angelis, qui ſeptem phialas habebant, plenas ſeptem plagis noviſſimis, ad Johannem venit, & illum allo-

eutus

cutus est in hunc modum: *Accede, & ego tibi ostendam τὴν νύμφην τὴν ἀγίαν, sponsam Agni*, hoc est, Ecclesiam Catholicam, quam eandem etiam eodem in loco Agni τὴν γυναῖκα, id est, uxorem appellat. Ecclesiam hîc intelligi, constat inter omnes. Tum v.10. Johannes ait, se vidisse civitatem illã magnã, *τὴν ἁγίαν Ἱερουσαλὴμ, sanctam illam Hierusalem, é cœlo descendentẽ á Deo.* At nulli impii de cœlo descendunt á Deo, nec ad sanctam illam Hierusalem pertinent: ergo nulli impii ad Ecclesiam Catholicam pertinent. Sic Paulus Apostolus Ephes. 5. 32. de hoc conjugio spirituali inter Christum & Ecclesiam loquitur, cúm ait, *τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστὶν, ἐγὼ δὲ λέγω εἰς χριστὸν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, Mysterium hoc magnum est, loquor autem de Christo, & de Ecclesia.* Dixerat veró priús, ecclesiam esse unam carnem cum Christo, quemadmodum vir & uxor una caro sunt: at impii homines non unam cum Christo carnem constituunt, non unũ corpus (blasphemum enim esset hoc affirmare:) ergo impii ad Christi spõsam non pertinent. Observandũ veró hîc est, quantam Christo injuriam faciant Adversarii nostri, qui illi talem sponsam tribuunt, tam invenustã, tam deformẽ, tã multis maculis & sordibus aspersam. Sponsa quidem Christi esse potest, & tamen interim suos nævos habere; sed illi nævi omnes tandẽ eluentur. At veró talem Christo sponsam tribuere, qualem ecclesiam Catholicam Papistæ definiunt, in qua nõ ex necessitate sint internæ ullæ virtutes: est Christum contumelia afficere; imó illũ mendacem facere; qui sibi suã sponsam sic ꝓbari dicit; qui eam totam pulchrã, totam gratam, hoc est, & intus & extra pulchram esse affirmat. Homines veró impios, & impiorum cœtus, non sic ꝓbat Christus, nõ sic illis delectari solet: ergo

ex illis ſponſa Chriſti conſtare non poteſt. Apoſtolus Paulus, 2. Corinth. 11. 2. Eccleſiam vocat *παρθένον ἁγνὴν, virginem puram.* at impii & reprobi, nec virgines, nec puri ſunt. Et hinc intelligimus, quare Eccleſia ſancta dicatur: non quia quosdam ſanctos habet, ut fingunt Adverſarii: ſed quia tota ſancta eſt. Chriſtus enim omnes ejus labes abſterſit, & puritatem quandam ei induxit. Et de hoc teſtimoniorum genere ſatis multa diximus: nunc alterius generis teſtimonia ſequuntur.

Apud Paulum Apoſtolum, 1. Tim. 3. 15. Eccleſia vocatur *οἶκος τοῦ θεοῦ, domus Dei,* & *στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, columna & ſtabilimentum veritatis.* Quod de Eccleſia Catholica intelligendum eſſe, Adverſarii contendunt. At impii non ſunt *στῦλος*, non *ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας*; quia conſtantia & perſeverantia carent, quæ duo in columna & ſtabilimento requiruntur. Qui enim ſunt ipſi inſtabiles, nec veritatem conſtantiſſimé retinent, ii ad hoc domicilium, & ad hanc columnam, ſive ſtabilimentum pertinere non poſſunt; cujus hoc munus eſſe debet, ut alios in veritate ſuſtineat: at impii ſunt inſtabiles, & apud eos veritas conſtantiſſimé non manet: ergo non impii, ſed ſoli pii & fideles, ad hanc columnam & ſtabilimentum pertinent. Ita Hieronymus in Job. 26. *Eccleſia* (inquit) *quæ eſt ſanctorum omnium congregatio, pro æterna ſibi in Domino ſtabilitate, columna & firmamentum dicitur veritatis.* In quibus verbis duo nobis obſervanda ſunt. *Primum* eſt, definitionem quandam Eccleſiæ hoc loco proponi, licet illam brevem quidem, & compendioſam: nempe, Eccleſia eſt congregatio omnium ſanctorum. Ubi ergo ſunt impii & profani homines? certé non in Eccleſia, ſed extra Eccleſiam.

ſiam. *Secundum eſt*, Eccleſiam dici columnam & firmamentum veritatis, propter æternam illam ſoliditatem, & ſtabilitatẽ, quam in Domino habet. At impii hujusmodi ſtabilitatem non habent. Ergo impii non ſunt de Eccleſia. Huic loco non diſſimilis ille eſt, qui habetur Heb. 3. 6. ubi Chriſtus dicitur præeſſe domui ſuæ ut filius. Sed quę hæc domus eſt? ἡμεῖς, inquit Apoſtolus. quid? num omnes? non, ſed ii tantúm, qui perſeverant; quod reprobi non faciunt. Sic enim ſequitur apud Apoſtolum, ἐὰν πρὸς τέλος τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν, *ſi modó fiduciam, & ſpem illam, de qua gloriamur, ad finem uſq; firmam retinuerimus.* Liceret mihi in hac cauſa, infinita alia Scripturarum teſtimonia adjicere, ſed modus aliquis ſtatuendus eſt. Neq; ex novo tantúm Teſtamento, ſed ex vetere etiam confirmari hoc poteſt. Nam Iſaiæ 35. 8. Propheta ait: *Erit via, quæ via ſanctitatis vocabitur, qua non transibit pollutus.* De Eccleſia Catholica loquitur: ergo ad Eccleſiam Catholicam nulli polluti pertinent. Ita Joël. 3. 17. *Erit vobis Hieruſalem ſancta, & extranei non ampliús per eam transibunt.* Et Zachar. 14. v. ult. *Non erit Chananæus ampliús in domo Jehovæ exercituum.* Ex hac ergo domo omnes impii & impuri homines excluduntur. Nam per Chananæum, hujusmodi homines Propheta intelligit. Sed longum eſſet omnia Scripturarum teſtimonia, quæ in hanc ſententiam afferri poſſent, recenſere. Ex his videmus, quid Scripturæ hac de re ſtatuant. Itaq; hæc in Scripturis teſtimonia adduxiſſe ſufficiat. Jam á Scripturarum teſtimoniis ad alia argumenta transibo, etſi id non ſit neceſſarium.

Primum veró argumentum noſtrum eſt hujusmodi. Eccleſia Catholica habet omnino partes duas,

triumphantem ſcilicet, & militantem: nam tertiam illam partē in Purgatorio patientem non moramur. In triumphante veró Eccleſia ſoli boni ſunt, nulli reprobi. Sic etiam in militante. De triumphante Eccleſia nulla controverſia eſt. Ipſi enim Adverſarii nullos eſſe in illa impios fatentur. Sed num ſint aliqui in Eccleſia militante, videamus. Hoc ut meliús eluceſcat, afferamus Eccleſiæ militantis definitionem, & definitionem quidem non noſtram (nam ea nullius momenti erit apud illos:) ſed ipſorum Adverſariorum, quam repudiare nullo modo poſſunt. In Catechiſmo igitur Tridentino, in expoſitione Symboli, & in hunc articulum, *Credo Eccleſiam Catholicam*, Eccleſia militans in hunc modum ab illis definitur: *Eccleſia militans eſt, quæ cum immaniſſimis hoſtibus, Satana, carne, & mundo, perpetuum bellum gerit.* Hanc definitionem nos probamus, & libenter quidem recipimus. At nulli niſi boni hoc bellum gerunt; reprobi veró hujusmodi bellum non gerunt; imó potiús Satanæ, carni, & mundo ſerviunt; & contra Chriſtum, contra fidem, contra religionem, ac virtutes omnes, bellum gerunt: ergo non ſunt vel ipſórum judicio de Eccleſia militante. Si hæc Catechiſmi Tridentini definitio vera ſit, evicta jam cauſa eſt, & concluſa; nec opus eſt plura argumenta adjicere. Jam ergo argumentandi finem facere poſſem, niſi neceſſarium mihi videretur, paucis Stapletono reſpondere, qui lib. 1. cap. 8. de doctrin. princip. argumenta quædam noſtra refutanda ſuſcepit.

Secundum ergo noſtrum argumentum, quod eſt unum ex iis quæ á Stapletono citantur, eſt hujusmodi. Eccleſia dicitur ſancta; ergo omnes qui ad Eccleſiam pertinent, ſancti ſunt; qui veró ſanctitate carent,

rent, ii ad Ecclesiam non pertinent: at reprobi & improbi non sunt sancti; ergo reprobi & improbi ad Ecclesiam non pertinent. *Respondet* Stapletonus, ut Bellarminus antea, Ecclesiam sanctã dici, quia multos sanctos habet. At ego eodem modo non sanctam dici posse contẽdo, quia habet multos non sanctos. Imó veró (inquit Stapletonus) ex meliori parte denominatur sancta. At ego refero, ex majori parte dici posse non sanctam. Nam Ecclesię particulares sanctæ dicuntur, quia omnes, qui sunt in illis, sanctitatem profitentur, etsi non omnes sancti sint: at Catholica Ecclesia sancta dicitur, quia omnes in illa sancti sunt. Ratio est, quód Ecclesia Catholica solos continet eos, qui in particularibus Ecclesiis sancti sunt. Sed quæramus arbitrum inter nos, & Adversarios. Sit ille veró Augustinus. Ergo Augustinus lib. 20. de civitate Dei, cap. 6. ait, illam Ecclesiã, quam nos militantem vocamus, *dici regnum Dei, & regnum cœlorum, quia nunc etiam cum Christo regnat, & triumphat, etsi non sic ut olim regnabit.* Qui ergo ad Ecclesiam militantem pertinent, ii veré etiam jam ad triumphantem pertinent; quia jam cum Christo regnant, & triumphant. Quid ergo de impiis dicemus? Num illi cum Christo regnant? Nequaquam. Hoc enim Augustinus pauló disertiús affirmat, cum statim subjungit. *Nec tamen cum illo regnant zizania, etsi in Ecclesia cum tritico crescant.* Non ergo ad hoc regnum pertinent. Et postea sic scribit. *Hi regnant cum Christo, qui eo modo sunt in regno ejus, ut sint etiam ipsi regnum ejus.* Ubi affirmat, nullos esse veré in regno CHRISTI, qui non sunt ipsi CHRISTI regnum. At reprobi non sunt regnum CHRISTI. Sic enim subjungit Augustinus: *Quomodo autem sunt regnum Christi, qui sua*

 Ex quibus hominibus quærunt, non quæ sunt Jesu Christi? Ergo soli sancti sunt regnum & Ecclesia CHRISTI. Atque hoc etiam illa testimonia evincunt, quæ Stapletonus ipse ex Augustino citat. Quorum *primum* habetur in lib. de unitate Ecclesiæ cap. 13. ubi Augustinus hæc verba interpretatur: *Sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias. Unde appellat spinas* (inquit) *nisi propter malignitatem morum? & easdem unde filias, nisi propter communionem Sacramentorum? Respondeo:* Nos hunc locum & hanc similitudinem antea tractavimus, & contra Adversarios vel maximè facere probavimus. Hinc enim constat, Augustinum sensisse, eos qui non sunt sancti, sed tantúm habent Sacramentorum communionem, non esse Ecclesiam Catholicam. Nam hi non ad amicam sponsi, sed ad filias, inter quas amica, ut lilium inter spinas crescit, pertinent. Ergo hi non magis amica sponsi sunt, quám spina est lilium. *Aliud* testimonium citat Stapletonus ex Augustino in Psal. 47. ubi hæc verba habet Augustin': *Illi qui Sacramenta habent, & mores bonos non habent, & Dei dicuntur, & non Dei; & ejus dicuntur, & alieni. Ejus, propter ipsius Sacramentum; alieni, propter propriũ vitium. Ita & filiæ, & alienæ: filiæ propter formam pietatis, alienæ propter amissionem virtutis. Respondeo:* Hoc contra nos non facit, quia Augustinus ait, Dei tantúm dici; non ait, esse Dei. Aliud est, dici Dei; aliud, esse Dei. Si Adversarii nihil ampliús dicerent, quám impios dici Dei: finita jam pridem controversia hæc esset, & ad exitum perducta. Sed illi dicunt impios & dici Dei, & esse Dei. Ajunt enim, & veré & vera membra Christi esse. Præterea cúm Augustinus ait, Dei dici, propter formam pietatis: perinde est, ac si diceret, videntur tantúm esse Dei; nam quia non sunt pii, ejus revera non sunt.

Tertium

Tertium noſtrum argumentum, cui Stapletonus in loco ſuperiús deſignato aliquid reſpondere conatur, ſic ſe habet. Eccleſia eſt Chriſti corpus: at impii non ſunt Chriſti corpus: ergo impii non ſunt de Eccleſia. Stapletonus ait, impios eſſe corpus Chriſti, & membra corporis ejus, ſed mortua membra. *Reſpondeo:* Hoc ſatis antea á nobis refutatum eſt. Docuimus enim, Chriſtum nullum hujusmodi membrum habere in corpore ſuo, ac proinde abſurdiſſimam hanc diſtinctionẽ eſſe. Agit quidem Chriſtus per impios, ſed non agit in impiis; at in omnibus ſuis membris Chriſtus agit. Illos veró eſſe mortua membra Chriſti, & tamen eſſe inſtrumenta ejus, conſtare non poteſt; quia mortua membra non poſſunt eſſe inſtrumenta, ut nos antea probavimus. Qui ergo Chriſti membra ſunt, ii vivunt omnes, & vitã etiam ſanctam vivunt. Præclaré Auguſtinus in Pſal. 85. *Si membra ſunt facti corporis ejus, & dicunt ſe ſanctos non eſſe, capiti ipſi faciunt injuriam, cujus membra ſancta ſunt.* Ergo mentiuntur, qui ſe Chriſti membra vocant, nec tamen ſancti ſunt; & apertiſſimam illi faciunt injuriam Chriſto, qui homines nõ ſanctos membra ejus eſſe affirmant. Et pauló póſt ſic ſcribit Auguſtinus. *Dicat totum corpus Chriſti, Cuſtodi animam meã, quoniam ſanctus ſum.* Sed Stapletonus locum quendam Scripturæ profert, ut probet, Chriſtum membra aliqua mortua habere; quem locum miror á Bellarmino prętermiſſum fuiſſe. Habetur veró ille locus Joh. 15. 2. ubi Chriſtus ait: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit Pater.* Unde concludit Stapletonus, eſſe in Chriſto aliquos palmites non ferentes fructũ, & per conſequens, aliqua mortua membra. *Reſpondeo* 1. Verba ita collocari poſſe, ut nullum hujusmodi ſenſum ferant, qualem

vult Stapletonus; nempe, ſi ita legamus, *Omnem palmitem, qui non fert fructũ in me, tollit Pater*; ut illa particula, *in me*, non ad palmitẽ, ſed ad fructum referatur. 2. Si verba ita disponamus, quemadmodũ volunt Adverſarii: tũ dicimus, malos dici palmites in Chriſto, quia videtur in Chriſto inſiti, nõ quód revera inſiti ſunt; atq; ita hic locus pro Adverſariis nihil facit. Si illi nõ aliter dicerent, nulla eſſet inter nos cõtroverſia. Nos enim dicimus, illos videri mẽbra Chriſti, ſed nõ eſſe; at illi eſſe dicunt, ſed mortua membra. At nos nullum eſſe Chriſti mortuum membrum affirmamus.

Quartum noſtrum argumentum, cui á Stapletono ſimiliter aliquid reſponſum eſt, in hunc modũ inſtituitur. Qui ad regnum & corpus Diaboli pertinẽt, ii ad Eccleſiam Catholicam, & corpus Chriſti nõ pertinent: at impii ad regnum & corpus Diaboli pertinent: ergo ad Eccleſiam Catholicam, quæ eſt Chriſti corpus, pertinere non poſſunt. *Reſpondet* Stapletonus confidenter, nõ eſſe abſurdum, eosdem & ad Deum pertinere, & á Deo alienos eſſe, h. e. & ad Chriſti, & ad Diaboli corpus pertinere, vario & diverſo modo. Sed *reſpondeo:* hanc nõ minús abſurdam, quám confidentem reſponſionẽ eſſe. Abſit á nobís hæc blasphemia. Vocari fortaſſe & videri Dei poſſunt, qui ſunt Diaboli: at eſſe Dei non poſſunt. Non. n. magis fieri poteſt, ut iidem homines ad Chriſti, & Diaboli corpus ſimul pertineant, quám ut una eademq; domus, unus idemq; fundus, una eademq; ſponſa, una eademq; caro, ſit actu hujus, & illius ſimul: vel ut unum idemq; templum ſit Dei & Diaboli ſimul: vel deniq; ut triticum & lolium idem ſint. Nam ut manifeſta inter hæc contradictio eſt: ſic etiam inter iſta, eſſe Dei, & non eſſe Dei. Si ergo impii ſint ſponſa Diaboli, non ſunt

ſponſa

sponsa Dei: si templum Diaboli, non sunt templum Dei: si corpus & caro Diaboli, nō sunt corpus & caro Christi: si de ecclesia Diaboli, de Dei Christiq; ecclesia esse nō possunt. Ita sanctissimé & verissimé Augustinus in lib. 4. de Baptis. contra Donatist. cap. 10. ait, *homines qui sunt ex parte Diaboli, nequaquā pertinere ad columbam unicam*, hoc est, ut ille in eodem capite interpretatur, *ad Ecclesiam non habentem rugam aut maculam, aut aliquid hujusmodi.* Hæc potiús opinionum monstra & portenta, quám dogmata habenda sunt.

Quintum & *ultimum* nostrum argumentum, tale est. Nulli sunt filii Ecclesiæ matris, nisi qui sunt filii Dei Patris: at reprobi non sunt filii Dei Patris: ergo nec sunt filii Ecclesię matris. Nulli enim filii Dei sunt, nisi qui vera fide sunt prædíti, & qui Spiritum sanctum habent: at reprobi nō sunt hujusmodi: ergo filii Dei esse nullo modo possunt. Adversarii dicunt, aliquos esse filios Dei, qui Spiritu Dei carent. Sed *respondeo:* hanc non minorem esse blasphemiam, quám fuit superior illa Stapletoni. Dici fortasse possunt aliqui, & videri filii Dei, qui Spiritu ejus carēt; sed re certé filii Dei esse nō possunt. Deus enim per Spiritum S. filios suos sibi generat. Est enim Spiritus S. Spiritus adoptionis, quo in numerum filiorum Dei ascíscimur. Hunc ergo Spiritum habeant illi omnes necesse est, qui re vera filii Dei sunt. Atq; hæc quidem hactenus de nostris, quibus in hac causa utimur, argumentis.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

In quo nostra de hac Quæstione sententia, & Patrum & nonnullorum etiam Papistarum testimoniis confirmatur.

NUnc restat, ut quemadmodum soliti sumus in aliis causis, ita hanc quoq; causam nostram Pa-

trum teſtimoniis ultimo loco confirmemus. Atque hîc quodammodo obruor teſtimoniorum multitudine: ſed ex multis pauca ſeligam, quæ mihi maximé ad cauſam accommodata videbuntur. *Primo* veró loco Cyprianum affero, qui in epiſt. 49. ait, *Chriſti & Eccleſiæ unitatem individuis nexibus cohærere.* Ergo impii non ſunt de hoc corpore, quia illi individuis nexibus cum Chriſto non copulantur. Nam vel Adverſarii ipſi fatentur, fore aliquando, ut ab ejus corpore ſeparentur. Idem etiam in epiſt. 55. ait, *Eccleſiam, quæ in Chriſtum credit, & quæ ſemel id quod cognoverit, tenet, nunquam ab eo omnino discedere: & eos eſſe Eccleſiam, qui in domo Dei permanent: plantationem veró plantatam á Deo Patre non eſſe, quos videmus non frumenti ſtabilitate ſolidari, ſed tanquam paleas diſſipantis inimici ſpiritu ventilari.*

Jam venio ad Hieronymum. Ille in commentariis ſuis in Eph. 5. ſic ſcribit. *Qui peccator eſt, & aliqua ſorde maculatus, de Eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubjectus dici.* Bellarminus aliquid excogitavit, quo hoc teſtimonium eluderet, quo tamen nullum diſertius aut acrius eſſe poteſt. *Reſpondet:* Hieronymum loqui de ea parte Eccleſiæ, quæ ſolos perfectos continet. Miſerum effugium. Sed refelletur ex ipſius Hieronymi verbis eodem in loco. Subjungit enim Hieronymus: *Si curentur ejus vulnera, tum poteſt fieri pars Eccleſia, quæ corpus Chriſti eſt.* Loquitur ergo de Eccleſia Catholica, non de perfectis. Non enim quisquis curatur, mox perfectus eſt. Et hoc etiam refellit Sixti Senenſis reſponſionem in lib. 6. Bibliothec. annot. 305. qui ait, hunc locum Hieronymi de Eccleſia cœleſti triumphante intelligendum eſſe. At verba aperta ſunt, non pertinere eum jam ad Eccle-

ſiam

siam Christi, qui sorde peccati maculatus est; sed posse pertinere postea, si vulnera ejus curentur. Num statim fit peccator membrum Ecclesiæ triumphantis, quando ejus vulnera curantur? Nequaquam. Idem etiam Hieronymus in epist. 140. ait: *Ecclesiam stare á dextris, & nihil in se sinistrum habere, & cunctis plenam esse virtutibus.* Et ne quis illum de cœlesti Ecclesia loqui existimet: pauló antea docet, sé loqui de illa, quæ jam super petram Christum stabili radice fundatur, Ecclesia Catholica.

Sequitur proximo loco Epiphanius. Is in hæres. 35. contra Colorbasios sic scribit. μία ἔστι ἡ περιστερά μου, τελεία μου. *Una est columba mea, una perfecta mea.* Deinde docet, quænam illa sit, τοῦτ' ἔστιν, ἡ τοῦ ἁγία νύμφη, καθολικὴ ἐκκλησία, *hoc est* (inquit) *ipsa sancta sponsa, & Catholica Ecclesia.* Et subjungit rationem, quare columba dicatur, διὰ τὸ ἥμερον, καὶ ἄκακον, καὶ καθαρὸν, *propter mansuetudinem, innocentiamq;, ac vitæ puritatem,* sive *sanctitatem.* Unde manifestum est, eos qui his virtutibus carent, non esse de Ecclesia Catholica. Subjungit etiam rationem, cur τελεία appelletur, hoc est *perfecta,* διὰ τὸ τὴν τελείαν ἐκ θεοῦ λαβεῖν χάριν, καὶ γνῶσιν παρ' αὐτοῦ τοῦ σωτῆρος διὰ πνεύματος ἁγίου, *quia perfectam á Deo gratiam accepit, ac scientiam, ab ipso salvatore, per Spiritum sanctum.* Et postea ait, νύμφιον hanc non habere ἰὸν, non μυλοσομίδας, non κέντρα, hoc est, *non venenum, non loquacitatem* (sic Janus Cornarius, Epiphanii interpres) *non aculeos.* At haberet & venenum, & loquacitatem, & aculeos, si tales homines haberet, quales volunt Adversarii.

Ambrosius in Psal. 35. sic scribit. *Sicut sancti sunt membra Christi: ita impii sunt membra Diaboli.* Ubi videmus, omnes homines in duo genera distributos esse,

nempe in pios, quorum caput eſt Chriſtus, & impios, quorum caput eſt Diabolus: priores veró tantúm ad Catholicam Eccleſiam, quæ Chriſti corpus eſt, pertinere, ejusq; membra eſſe.

Venio nunc ad Auguſtinum. Atq; hîc quidem fateor me teſtimoniorum multitudine obrui, quæ paſſim in libris illius ſparſa reperiuntur: ſed paucis contentus ero. In Epiſt. 57. ait, congregari fideles *in unum ſpiritum, & in unum corpus, cujus unum caput eſt Chriſtus.* Ergo infideles occulti nō ſunt de hoc corpore. Tum ſubjungit: *Talis congregatio ædificatio eſt templi Dei; talem congregationem non generatio carnalis, ſed regeneratio ſpiritualis facit.* Manifeſta ſunt hæc; eos qui tantúm ex carne generati ſunt, & ſpirituali regeneratione carent, ad Chriſti corpus & Eccleſiam catholicam non pertinere. Idem in epiſt. 80. ſic ſcribit: *Quod vobis dico, omnibus dico.* Verba ſunt Chriſti ad diſcipulos in Evangelio. *Quibus omnibus dicit* (inquit Auguſtinus) *niſi electis & dilectis ſuis, ad corpus ejus pertinentibus, quod eſt Eccleſia?* Ubi indicat, ad Eccleſiam, quæ eſt corpus Chriſti, nullos niſi electos & dilectos Dei pertinere. Idem in Pſalmos paſſim multa ſcribit in hanc ſententiam. In Pſalm. 37. ait, *Chriſtum loqui interdum in perſona capitis ſolius, quod eſt ipſe ſalvator natus ex Maria virgine: interdum in perſona corporis, quod eſt ſancta Eccleſia diffuſa toto orbe terrarum.* Sed quinam illi ſunt, qui ad hanc Eccleſiam pertinent? Id docet poſtea, ubi ait: *Et nos in corpore ipſius ſumus, ſi tamen fides noſtra ſincera ſit in illo, & ſpes noſtra certa, & charitas noſtra accenſa.* Docet apertiſſimé hoc loco Auguſtinus, nullos ad Eccleſiam pertinere, qui has virtutes non habent, fidem, ſpem, & charitatem. Falſiſſima ergo eſt Adverſariorum ſententia, qui ajunt,

nullam

nullam internam virtutem neceſſarió ad hoc requiri, ut quis membrum Eccleſiæ Catholicæ fiat. Idem in Pſalm. 88. concione 1. ſic ſcribit: *Illius capitis membra ſumus, qui in Chriſtum credimus omnes, nec poteſt hoc corpus decollari. Si in æternum ſit caput: in æternum gloriantur & membra, ut ſit ille Chriſtus integer in æternum.* Ex quibus verbis colligimus, errare toto cœlo Adverſarios, qui dicunt, impios eſſe membra Chriſti, licet mortua: cúm Auguſtinus affirmet, non poſſe membra hujus corporis decollari, ſed in æternum cum capite gloriatura eſſe. At impii decollabuntur, & in æternum cum Chriſto non gloriabuntur. Idem in Pſalm. 90. concion. 2. de parte 2. ejusdem Pſalmi ſic ſcribit: *Corpus hujus capitis Eccleſia eſt, non quæ hoc loco eſt, ſed quæ hoc loco & per totum orbem terrarum: nec illa quæ hoc tempore* (exiſtit) *ſed ab ipſo Abel uſq; ad eos qui naſcituri ſunt uſq; in finem, & credituri in Chriſtum, totus populus ſanctorum ad unam civitatem pertinentium, quæ civitas corpus eſt Chriſti, cui caput eſt Chriſtus.* Videtur his verbis Auguſtinus Eccleſiam catholicam definire in hunc modum: Eccleſia eſt totus populus ſanctorum ab ipſo Abel uſque ad eos qui naſcituri ſunt uſque in finem mundi, & in Chriſtum credituri. Vult ergo ille ſolos credentes ad Eccleſiam pertinere. Et haud ita multó póſt in eundem Pſal. ſic ſcribit: *Sunt quidam ita prædeſtinati, ut noverit Dominus, qui pertineant ad corpus ipſius.* Vult ergo ſolos prædeſtinatos ad corpus ſuum pertinere. Sed nuſquam ſunt tam manifeſta teſtimonia, quám in libris contra Donatiſtas. Ex his igitur pauca proponamus. In lib. de unitate Eccleſiæ, cap. 2. hæc verba habet: *Qui non eſt in membris Chriſti, is ſalutem Chriſtianam habere non poteſt.* Sed quænam

ſunt membra Chriſti? Id ſtatim docet, cúm ſubjungit: *Membra verò Chriſti per unitatis charitatem ſibi copulantur, & per eandem capiti ſuo cohærent, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Itaque qui carent charitate, qua & ipſi inter ſe copulentur, & cum Chriſto capite cohæreant, ii in Chriſti membris non ſunt. Et in 4. cap. ejusdem libri ait: *Totus Chriſtus caput & corpus eſt; caput unigenitus Dei filius, & corpus ejus Eccleſia; ſponſus & ſponſa, duo in carne una.* Ubi docet, eſſe intimam & arctiſſimam conjunctionem inter Chriſtum caput, & corpus ejus, hoc eſt, Eccleſiam. At impii ſunt á Chriſto disjunctiſſimi: ergo de Eccleſia, quæ ejus corpus eſt, eſſe non poſſunt. In eodem libro cap. 12. ait: *Impias turbas Eccleſiæ, in Eccleſia non deputari.* Obſervandum hoc eſt. Impios vocat turbas Eccleſiæ propter Sacramenta, quæ illis cum piis ſunt communia, quia in iis eſt quædam forma pietatis, ut ille ait, cujus virtutem illi negant. Sed quid de illis ſtatuendum eſt? num ſunt membra Eccleſiæ? Negat Auguſtinus. Ait enim, illos *non deputari in Eccleſia.* Idem cap. 18. ejusdem libri ſic ſcribit: *Profectó in bonis eſt Eccleſia illa, de qua dicitur, Sicut lilium in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum. In his eſt enim, qui ædificant ſupra petram, id eſt, qui audiunt verba Chriſti, & faciunt: quia & Petro confitenti ſe* CHRISTUM *filium Dei, ſic ait, Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Non eſt ergo in eis, qui ædificant ſuper arenam, id eſt, qui audiunt verba* CHRISTI, *& non faciunt.* Verba ſunt apertiſſima. Eccleſiam Catholicam Auguſtinus in bonis tantúm conſtituit. Valeant ergo mali. Impii non ſunt lilium, ſed ſpinæ: ergo niſi lilium ſit ſpina, Eccleſia non eſt impiorum. Ex his etiam verbis poſſumus intelligere, quæ illa Eccleſia ſit,

ſit, quæ in petra ædificatur, nempe Eccleſia tantúm ſanctorum, qui non ſolúm audiunt verba Chriſti, ſed eadem etiam faciunt & cuſtodiunt. *Idem* in lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 47. ait, hanc eſſe vocem Eccleſiæ Catholicæ, in cujus unitate Donatiſtæ non erant; *Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit: Non ſunt hæc verba* (inquit) *zizaniorum, quamvis uſq; ad meſſem in una ſegete tolerentur: non ſunt verba palea, ſed tritici, quamvis eâdem pluviâ ſimulq; nutriantur, eâdem areâ ſimulq; triturentur, donec ultimo ventilabro ab invicem ſegregentur.* Ergo zizania & paleæ non ſunt de Eccleſia. At ex Matthæi tertio probant Adverſarii, paleas de Eccleſia eſſe. *Idem* in eodem libro cap. 118. ſic ſcribit: *Non ideo putandi ſunt eſſe in Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia,* (loquitur de fornicatoribus, immundis, luxurioſis, hæreticis & hujusmodi) *quia Sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt. Illa enim & in talibus ſancta ſunt, & eis indigné tractantibus & ſumentibus ad majus judicium valebunt. Ipſi autem non ſunt in illa Eccleſia Chriſti compage, quæ in membris Chriſti per connexum & contactum creſcit in incrementum Dei. Illa quippe Eccleſia in petra eſt, ſicut Dominus dicit, Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Illi autem in arena ædificant, ſicut idem Dominus dicit, Qui audit verba mea, & non facit ea, aſſimilabo eum viro ſtulto, qui ædificat domum ſuam ſuper arenam.* Locus & iſte quoque apertiſſimus eſt. Unde intelligimus, eos qui ſunt in Eccleſiis particularibus, & audiunt tantúm verbum Dei, non autem faciunt, & cuſtodiunt illud, non eſſe de Eccleſia Catholica, ſed illos tantúm, qui audiunt, & faciunt. Venio nunc ad alium librum in lib. 1. contra Creſcon. Grammatic. cap. 29. ſic ſcribit: *Non exiſtimo quenquam ita deſipere, ut credat ad Eccleſiæ unitatem pertinere eum, qui non*

 Ex quibus hominibus habet charitatem. Unde intelligimus, non satis sapere Adversarios, qui hoc affirmant. Et mox subjungit Augustinus, *Una est incorrupta Ecclesia Catholica, non modò in qua sola unus Deus colitur, sed in qua sola unus Deus pié colitur: nec in qua sola una fides retinetur, sed in qua sola una fides cum charitate retinetur.* Idem in 2. lib. contra eundem Crescon. cap. 21. sic scribit: *Damnati á Christo, jam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia; quoniam non potest Christus habere membra damnata.* Ubi ergo sunt membra illa mortua & arida, qualia Adversarii nostri in corpore Christi esse finxerunt? Locus egregius est, nec possunt Adversarii illi respondere. Stapletonus lib. 1. cap. 8. de princip. doctr. sic conatur hoc testimonium eludere. *Non sunt perinde* (inquit) *membra Christi, nec cum fructu, ut pii scilicet & fideles.* Misera certé & inepta responsio. Sed tollam mox hoc subterfugium. Scribit ibi Augustinus de Episcopis damnatis. Nam disputat contra Donatistas, qui dixerunt, baptizatos ab Episcopis hæreticis, esse rebaptizandos.. Augustinus fatetur, Episcopos quidem hæreticos non esse de Ecclesia (quod Adversariorum opinioni ex diametro repugnat; nam illi eos, nisi evomant virus hæreseos suæ, de Ecclesia esse contendunt:) tamé ait, Baptismum illorum esse legitimum, licet ipsi extra Ecclesiam sint. Omnes ergo impios & damnatos ab Ecclesia Catholica excludit Augustinus, non modó privatos, sed etiam Episcopos, hoc est, eos, qui principem in Ecclesiis particularibus locum tenent, eosque non esse omnino Christi membra contendit. *Proinde baptizant* (inquit) *extra Ecclesiam.* Attendite. Episcopi si sint damnati, baptizant extra Ecclesiam. Non ergo sunt membra Ecclesiæ Catholicæ Episcopi damnati. Nam

hoc

Nam hoc argumento probat Auguſtinus, non eſſe rebaptizandos, quos hæretici baptizarunt: quia Epiſcopi damnati, in Eccleſiis particularib⁹, extra Eccleſiam baptizant, & tamen ille Baptiſmus non eſt repetendus. Et in eodem loco ſubjungit: *Omnia iſta monſtra* (loquitur de hæreticis & damnatis Epiſcopis) *abſit omnino ut in membris illius columbæ unicæ computentur: abſit ut intrare poſſint limites horti concluſi, cujus ille cuſtos eſt, qui non poteſt falli.* Ubi execratur Auguſtinus, ut rem abominandam, eorum ſententiam, qui impios putant ad Catholicã Chriſti Eccleſiã pertinere. Execrandam ergo eſſe Adverſariorũ ſententiam videmus. Hic locus, atque hoc adeó teſtimonium Adverſarios valde vexavit & exercuit. *Idem* Auguſtinus in lib. 1. de Baptiſm. contra Donatiſt. cap. 16. ait, *Duas eſſe civitates, hoc eſt, duas Eccleſias, quarum una peperit Abelem, Enoch, Noë, & Abrahamum, Moyſen etiam & Prophetas, Apoſtolos, martyres, & omnes bonos Chriſtianos: altera verò Cainum, Cham, Iſmaëlem, Eſau, Judam, Simonem magum, & cæteros Pſeudochriſtianos, ad hæc uſq; tempora in affectione animali perticinaciter obduratos, ſive in unitate permixti ſint, ſive aperta præciſione diſſentiant.* Ergo impii licét intus eſſe videantur cum piis: tamen ad aliam civitatem pertinent, quám pii. In eodem etiam libro cap. 17. ſic ſcribit: *Reprobi ſive intus eſſe videantur, ſive aperté foris ſint; ſemper ab Eccleſia, quæ ſine ruga & macula eſt, unitate diviſi ſunt.* Et ibidem: *Quæ caro eſt, caro eſt; quæ palea, palea.* Ergo reprobi ad eccleſiam Catholicam non pertinent. Nec Turcas tantúm & Paganos intelligit Auguſtinus, ſed eos etiam, qui Chriſtianorum titulo inſigniuntur. Sic libro 4. capit. 2. contra Donatiſt. *Ipſa Eccleſia*

 Ex quibus hominibus incorrupta, & casta, & pudica est; & ideo non ad eam pertinent avari, raptores, fœneratores, non qui tantúm foris, sed & qui intus sunt, id est, qui nomine sunt Christiani, & intus corpore sunt, non tamen ad Ecclesiam Catholicam pertinent. Nihil dici potuit apertius. Et hinc intelligi potest, quare Ecclesia sancta dicatur: non quód aliquos tantúm sanctos habeat, ut dicunt Adversarii; sed quód omnes habeat sanctos, & quód ex solis sanctis consistat. In capite etiam tertio ejusdem libri aliud testimonium habetur ad hãc causam maximé accommodatum. *Isti Ecclesiæ non sunt devoti* (inquit Augustinus) *qui videntur esse intus, & contra Christum vivunt, id est, contra Christi mandata faciunt: nec omnino ad illã Ecclesiam pertinere judicandi sunt, quam sibi ipse mundat lavacro aquæ per verbum, ut exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi. Quód si in ista Ecclesia non sunt, ad cujus membra non pertinent: non sunt in Ecclesia, de qua dicitur, Una est columba mea, una est matri suæ; ipsa est enim sine macula aut ruga. Aut asserat, qui potest, hujus columbæ membra esse, qui sæculo verbis non factis renunciant.* Et in lib. 6. cap. 3. ait, *malos non pertinere ad Ecclesiam Dei, quamvis intus esse videantur*, & hoc inde manifestè demonstrari, *quia sunt avari, raptores, fœneratores, invidi, malevoli; illa autem columba, unica, casta, & pudica est, sponsa sine macula & ruga, hortus conclusus, fons signatus, paradisus cum fructu pomorum.* Denique quia dies me deficeret, si hujusmodi omnia testimonia, quæ in his libris contra Donatistas habentur, recenserem: remitto vos ad lib. 5. cap. 16. & cap. 27. ad lib. 6. cap. 24. & cap. 31. & ad lib. 7. cap. 8. In istis omnibus locis, & aliis præterea multis, nostram sententiam Augustinus apertissimé confir-

confirmat, & docet, ſanctos, fideles, ac pios tantúm, ad Eccleſiam Catholicam pertinere. Idem etiam confirmat in libris de civitate Dei. In lib. 15. cap. 1. ait, *Duas illas, quas myſticé appellamus civitates, duas hominum ſocietates eſſe.* Ubi id dicit, quod nos dicimus, duas eſſe ſocietates hominum in mundo, hoc eſt, duas Eccleſias. Jam doceat, qui ad utramque ſocietatem, hoc eſt, ad utramque Eccleſiam pertineant. Id facit in proximis verbis, cúm ait, *unam harum ſocietatum prædeſtinatam eſſe in æternum regnare cum Deo, alteram æternum ſupplicium ſubire cum Diabolo.* Ad unam ergo Eccleſiam prædeſtinati pertinent, qui in æternum cum Chriſto regnabunt; ad alteram verò reprobi, qui ſunt ex parte Diaboli, quiúque æternum cũ illo ſupplicium ſubibunt. Plura ex hoc Authore adducere potuimus, (abundat enim ille hujusmodi teſtimoniis) ſed his contenti erimus. Jam pauca ex aliis adjiciemus.

Gregorius Magnus in homilia 38. in Evangelia (habetur etiam hoc teſtimonium in Breviario Romano in Dominica 19. poſt Pentecoſten) ſic ſcribit: *Regnum cœlorum, eſt Eccleſia juſtorum; quia dum eorum corda in terra nil ambiunt, per hoc quód ad ſuperna ſuſpirant: jam in eis Dominus, quaſi in cœleſtibus regnat.* Anſhelmus in 1. Cor. 10. ſic ſcribit: *Quemadmodum unus panis ex multis granis, & unum corpus ex multis membris componitur: ita Eccleſia Chriſti ex multis fidelibus charitate copulante connectitur.* Charitate igitur membra Chriſti inter ſe cohærent; ac proinde, qui charitate carent, membra corporis Chriſti eſſe non poſſunt. Albertus Magnus in Matth. 26. ſic ſcribit: *De multis fidelibus á peccato depuratis una fit Eccleſia.* Ubi refellit Adverſarios, qui dicunt Eccleſiam ex infideli-

bus, & magnis peccatoribus constare. Thomas Aquinas in Apocalyp. 3. in hæc verba, *In templo Dei mei*, ait, per templum Dei intelligi *Ecclesiam fidelium, quæ est Dei templum spirituale.* & citat 1. Cor. 3. 17. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et subjungit, *Ecce quantum venerandi sunt viri spirituales, quia per eos Dominus alios sustentat.* Idem in opusculis in expositione Symboli, in hunc articulum, *Credo Ecclesiam Catholicam*, sic scribit: *Ecclesia Catholica est unum corpus, & habet diversa membra: anima autem, qua hoc corpus vivificat, est Spiritus sanctus.* Hæc igitur anima per omnia membra hujus corporis fusa est. *Idem* in comment. in epist. ad Roman. cap. 12. sic scribit: *Corpus Christi mysticum, est Ecclesia. Hujus autem corporis mystici unitas est spiritualis, per quam fide & affectu charitatis invicem unitur, & Deo.* Qui ergo fide ac charitate vacui sunt, ii ad Ecclesiam Catholicam non pertinent; quia nec habent quo cum Christo, nec quo inter se copulentur. Jam hæc causa confecta & concluſa est. Ostendimus enim, Ecclesiam Catholicam nullos in se alios habere, nisi qui fide, spe, charitate, aliisque virtutibus præditi sunt, quod Adversariorum sententiæ ex diametro repugnat, atq; adversatur. Nunc ad aliam Quæstionem transeamus.

Finis primæ Quæstionis.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

An Ecclesia Catholica sit visibilis.

IN initio hujus Quæstionis jaciamus rursus fundamentum illud, quod á nobis in superiore Quæstione positũ fuit, nempe Matth. 16. 18. Κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. *Sed & ego tibi dico, quód tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non superabunt eam.* De hac Ecclesia in petra ædificata secundo loco quæritur, inter Adversarios & nos, sítne visibilis, an invisibilis. Cujus quæstionis verus & genuinus status ante omnia investigandus est. Hîc Adversarii nostram sententiam aut non intelligunt, aut de industriâ malé interpretantur. Nam illi dicunt, nos latebras quærere, ob eamq; causam dicere, Ecclesiam esse invisibilem; quia non possumus ostendere, nostram Ecclesiam perpetuó fuisse in hoc mundo visibilem & manifestam. Affirmant enim, nostram Ecclesiam his posterioribus temporibus exortam esse, superiorum verò temporum testimonium non habere. Ideoque dicunt, nos hanc distinctionem excogitâsse, aliam scilicet Ecclesiam esse visibilem, aliam latentem & invisibilẽ; quia non possumus nostram Ecclesiam perpetuâ temporum ac seculorum serie, & continuâ Episcoporum successione demonstrare. Sed illi perperam

nostram sententiam interpretantur. Non fuit ea hujus distinctionis ratio. Nam etiāsi tam frequens tamque illustris fuisset olim Ecclesia nostra, quám nunc est: tamen nos Ecclesiam Catholicam invisibilem esse nihilo minús diceremus. Utrúm veró is semper fuerit Ecclesiæ status, ut digito demonstrari posset, quæ vera sit Ecclesia, ad proximam quæstionem pertinet: in qua quæritur, an Ecclesia possit deficere. Nam nos concedimus, Ecclesias particulares esse visibiles; sed num futura sit semper Ecclesia aliqua particularis, perpetua quadam Episcoporum successione propagata, quam omnes Christi veram esse Ecclesiam videant, de eo contendimus. Sed hac de re postea in proxima Quæstione dicendum erit. Non est enim hoc idem cum eo, quod nunc quæritur. Itaque sunt hæc distinguenda; quod tamen Adversarii non faciunt; qui contra nos ita disputant, quasi nos Ecclesiam nullo modo esse visibilem diceremus: cúm nos tamen & nunc esse, & olim fuisse multas visibiles Christi Ecclesias dicamus, etsi non semper simili modo, ut id omnibus conspicuum esset. Sed interim dicimus, Ecclesiam Catholicam invisibilem esse, etiam tum, cúm particularis quæque Ecclesia maximé floret. Ita nos distinctè & dilucidè ista tractamus. Nunc igitur quærendum est, num Ecclesia Catholica visibilis sit, an non. Qua de re quæ Adversariorum sententia sit, quæ nostra, accuratiús pauló discutiamus.

Adversarii dicunt, Ecclesiam Catholicam esse visibilem. Bellarminus lib. 3. de Ecclesia militante, cap. 12. hoc probat. Et Stapletonus lib. 1. de princip. doctr. Lutheri, Melanchthonis, Calvini sententias exagitat de Ecclesia invisibili, & lib. 2. Ecclesiam esse visibilem

bilem multis tum argumentis, tum teſtimoniis, fuſè probat. Sed aliena ſunt omnia à cauſa, quia probant tantúm, particulares Eccleſias eſſe viſibiles, Eccleſiam veró Catholicam viſibilem eſſe non probant. At licet infinitæ in mundo ſint particulares Chriſti Eccleſiæ viſibiles; Catholica tamen Eccleſia Chriſti ſemper inviſibilis erit. Turrianus in libro 1. contra Sadeelem, cap. 4. iſtam Quæſtionem exagitat. Is cum tandem animadverteret, Eccleſiæ partem aliquam in cœlis cum Chriſto triumphare, quæ videri non poteſt: concedit, illam partem non eſſe viſibilem, ſed partem in terris degentem; hoc eſt, Eccleſiam militantem viſibilem eſſe dicit. Quare hæc illorum ſententia eſt, non totam Eccleſiam, ſed partem tantúm Eccleſiæ, hoc eſt, Eccleſiam militantem viſibilem eſſe. Sed Turrianus obſcuritate verborum involvit ſententiam ſuam. Hæc enim illius verba ſunt in tractat. 2. lib. 3. cap. 4. *Una tota Eccleſia, partim viſibilis, partim inviſibilis eſt.* In quibus quidem verbis ænigma quoddam eſt. Nam ſi Eccleſia tota ſit viſibilis, cur non ſingulæ ejus partes ſunt viſibiles? ſi aliqua pars ſit inviſibilis, tota viſibilis eſſe non poteſt. *Eccleſia tota* (inquit Turrianus) *eſt partim viſibilis, partim inviſibilis.* At ſi Eccleſia ſit tantúm partim viſibilis, tum non eſt tota viſibilis. Jam veró quid aliud eſt tota Eccleſia, quám Eccleſia Catholica? Si Catholica Eccleſia ſit viſibilis, tum tota Eccleſia eſt viſibilis: ſi tota non ſit viſibilis, tum nec Eccleſia Catholica. Ita Turrianus revera Catholicam Eccleſiam non eſſe viſibilem ſtatuit. Sed ad argumenta poſtea veniemus. Hinc quæ ſit Adverſariorum ſententia videmus, eam tantúm Eccleſiæ partẽ, quæ eſt in terris, eſſe viſibilem. Ergo cúm Eccleſiam

visibilem esse dicunt, de militante tantúm ecclesia loquuntur. Canisius in Catechismo suo in capite de fide & Symbolo sect. 18. illum Symboli articulum (*Credo Ecclesiam Catholicam*) ad hanc militantem ecclesiam restringit, eamq; esse dicit visibilem congregationem. Sic ille removet pios & sanctos mortuos, qui cum Christo in cœlis triumphant, optimam scilicet ecclesiæ partem, ab ecclesia Catholica, quam in Symbolo profitemur; quod fieri nullo modo debet. Hæc illorum sententia est.

Nos verò dicimus, Ecclesiam totam, id est, Catholicam, esse invisibilem, non triumphantem modò partem, sed etiam militantem, & nosmetipsos explicamus hoc modo. *Primò*, quia maxima & præstantissima Ecclesiæ pars, quæ in cœlis cum Christo triumphat, mortalibus oculis conspici non potest. *Secundò*, quia hi etiam, qui in terris versantur, & in particularibus Ecclesiis vivunt, non possunt aliquo sensuum judicio discerni & dijudicari; hoc est, non possumus oculorum aspectu judicare, qui ex hoc numero ad Ecclesiam Catholicam pertineant. Homines videmus, & Ecclesias particulares videmus, in quibus vivunt: non videmus tamen oculis, quinam ex iis, qui in particularibus Ecclesiis versantur, ad Ecclesiam Catholicam pertineant, hoc est, quinam sint electi & verè fideles. Ita nos Ecclesias particulares visibiles esse non negamus; sed quinam in his ad Ecclesiam catholicam pertineant, nullo oculorum judicio cõstare dicimus. Non enim omnes, qui religionem Christianam profitentur, quique speciem bonorum virorum præ se ferunt, Ecclesiæ continuó catholicæ membra sunt; sed ii tantúm, qui ex animo & verè profitentur, & qui gratiâ Spiritus sancti sunt perfusi,

& qui

& qui electi sunt. At veró oculus non docet, aut demonstrat, qui veré & ex animo Christi religionem profitentur, qui fide vera prædíti sunt, qui Spiritus sancti gratiâ sunt perfusi, qui electi. Cúm ergo Ecclesia sit nullorum nisi electorum, necesse est eam esse invisibilem, quia nullius hominis electio est manifesta. Propter has causas, Ecclesiam Catholicam non esse visibilem, non esse aspectabilem dicimus. Ita Adversarii dicunt, Ecclesiam militantem esse visibilem, nos totam Ecclesiam catholicam esse invisibilem, etiam tum cúm maximus numerus sit eorum, qui religionem externé profitentur; nec unquam fore visibilem, usque dum in ultimo judicio omnes pios ad dexteram suam Christus collocaverit. Et de statu quidem Quæstionis hactenus.

CAPUT SECUNDUM.

In quo Adversarii argumenta proponuntur ac diluuntur.

NUnc sequitur, ut ad disputationem veniamus. Et primó quidem Adversariorum argumenta proponemus, iisque respondebimus: postea veró argumenta nostra in medium afferemus. Bellarminus primó ait, Ecclesiæ nomine visibilem semper cõgregationem in Scripturis significari; & subjungit, Calvinum nõ potuisse unũ Scripturæ locum proferre, ubi hoc nomen invisibili congregationi tribueretur. *Respondeo*: Falsũ hoc est, ꝙ primo loco assumit, Ecclesię nomẽ in scripturis semper pro visibili cœtu sumi. Nam ecclesia aliquando invisibilẽ congregationẽ significat, ubiq; scilicet, quoties pro Ecclesia catholica sumitur; ut hoc ipso in loco, quẽ nos tractam⁹, quẽq; pro disputationis nostræ fundamẽto posuimus, *Sup hãc petrã ædificabo Ecclesiã meã*. Sic quãdo Christ⁹ dicitur ecclesię caput, ut Eph. 1. 22. & 5. 23. & Col. 1. 18. Sic quãdo

Apostolus ait, *Magnum hoc mysterium est, loquor autem de Christo, & Ecclesia.* In his locis Ecclesiæ nomen invisibilem congregationem significat, quia in cœlo maxima pars eorum est, qui ad hanc Ecclesiam, cujus in his locis mentio fit, pertinent, nec unquam ante extremum judicii diem visibilis erit. Et cùm in Symbolo dicimus, *Credo Ecclesiam Catholicam,* invisibilis congregatio significatur: quia visibilia non creduntur, ut postea docebimus. Denique Ecclesiæ nomen semper, cùm pro Ecclesia Catholica in Scripturis sumitur, invisibilem congregationem significat: tum quia sensus statuere non potest, qui ad Ecclesiam Catholicam pertineant: tum quia ejus pars maxima in cœlis est. Nec Adversarius ullum Scripturæ locum proferre potest, ex quo Ecclesiã Catholicam visibilem esse intelligamus. Jam igitur illos Scripturæ locos, qui ab ipso afferuntur, examinemus.

Primus locus habetur Num. 20. 4. *Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem?* Hîc Ecclesia (inquit) vocatur populus ille notissimus Israël, qui ex Ægypto exierat. *Respondeo*: In omni controversia hoc commodissimum est, ut Adversarios semper ad statum Quæstionis revocemus, si quando ab eo aberraverint, Nos non dicimus, particularem quamque Ecclesiam, sed Catholicam Christi Ecclesiam, invisibilem esse. Particulares verò Ecclesias omnes visibiles esse dicimus, idque propter duas causas. *Primò*, quia homines, ex quibus Ecclesiæ particulares constant, videri possunt, & oculis dijudicari; sensusque externus docere potest, quis ad hanc vel illam particularem Ecclesiam pertineat. At non percipimus sensu aliquo externo, qui ad Ecclesiam Catholicam pertineant.

neant. *Secundó*, quia externa forma Ecclesiarum particularium, & ordo ipse, qui in iis viget, visibilis est; ob eamque causam cœtus quoque ipsi particulares visibiles sunt. Sic Ecclesiæ Corinthiorum, Ephesiorum, Galatarum, visibiles erant. At Catholicæ Ecclesiæ forma & regimen nunquam hactenus videri potuit. Jam Adversario *respondeo*. Concedimus, particularem illum cœtum, qui duce Moyse & Aarone ex Ægypto eductus est in solitudinem, visibilem fuisse. Quis enim sanæ mentis id unquam negaverit? Sed num propterea Catholica ecclesia visibilis est? nihil minus. Non fuisse verò hanc catholicam ecclesiam, ex eo patet, quòd Adam, Noah, Enoch, Abrahamus, Isaacus, Jacobus, & alii sancti Patriarchæ in Ecclesia catholica sunt; in hoc autem cœtu non fuerunt. Præterea qui in hoc cœtu ad ecclesiam catholicam pertinerent, oculus vel sensus cujusquam statuere non potuit. Omnes enim non pertinuisse, ex Paulo patet 1. Cor. 10. 5. ubi de his ipsis Israëlitis in hunc modum scribit, ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ Θεὸς. *Sed plerosq; illorum non approbavit Deus.* Ergo certissimum est, eorum plerosq; ad catholicam Christi ecclesiam non pertinuisse. Jam verò á particulari cœtu, ad catholicam & universalem Ecclesiã ratiocinari, ineptũ est. In illo q. dé cœtu Moyses, Aarõ, Josue, Caleb, & reliqui pii, quos Deus approbavit, & quibus delectatus est, de ecclesia catholica fuerunt, omnes verò non fuerunt.

Secundus Scripturæ locus á Bellarmino citatus, habetur 1. Reg. 8. 14 *Convertitq; Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israël; omnis enim Ecclesia Israël stabat.* Hîc (inquit) de visibili ecclesia manifestè Scriptura loquitur. *Respondeo*: Illum cœtum Israëlitarum,

qui ad templum dedicandum confluxit, fuisse quidē *visibilem*, sed Catholicam ecclesiam non fuisse. Et sanè mirabilis est, & quodammodo prodigiosa, Adversarii vel cæcitas & ignorantia, vel audacia ac impudentia, qui hunc locum de Ecclesia Catholica interpretatur. Num enim omnes Israëlitæ eo tempore convenerunt, & ad *visibilem* illum cœtum aggregati sunt? Nequaquam. Ergo non fuit illa tota Catholica Ecclesia, imó ne tota quidem militans Ecclesia fuit. nam multi abfuerunt, nec in illo cœtu conspici potuerūt, qui ad Ecclesiā etiam militantē pertinebāt.

Tertius Scripturæ locus á Bellarmino allatus, habetur Matth. 16. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ubi sive Christum nomine petræ, sive fidei confessionem, sive Petrum intelligamus (inquit ille:) fundamentum Ecclesiæ semper erit sensibile, ac proinde Ecclesia ipsa est sensibilis, seu *visibilis*. Nam etsi nunc (inquit) neq; Christum, neq; Petrum videamus: tamen tunc uterque sensibus corporeis expositus erat ad videndum, & nunc etiam uterq; videtur, licét non in se, tamen in Romano Pontifice, qui Christi vicarius, Petri verò successor est. *Respondeo* 1. Utrúm Romanus Pontifex sit Petri successor, & vicarius Christi, atq; ita ex consequenti an uterque sit in illo visibilis, ad aliam Quæstionem pertinet. 2. *Respondeo*: hoc esse absurdum, fundamētum Ecclesiæ esse *visibile*: idque sive Christus, sive Petrus, sive etiam fidei confessio illa petra sit, de qua Christus loquitur. Quis enim tam absurdus est, ut dicat, fidei confessionem *visibilem* esse? Auditur fidei confessio: non videtur. Itaq; callidé ex hoc loco concludit Bellarminus, Ecclesiæ fundamentum, non *visibile* esse, sed esse aliquid sensibile; cum deberet concludere, esse *visibile*.

Fraus

Fraus ergo in hoc fuit singularis, & malâ fide hæc ab illo conclusio illata est. 3. Etsi Christus tunc videri potuit, & Petrus etiam: tamen non fundata est Ecclesia in Christo, quatenus videri potuit, sed quatenus videri non potuit. Nam in eo ædificata est Ecclesia, quatenus fuit Christus ille á Prophetis promissus, mediator noster, filius Dei vivi (eam enim de illo confessionem edidit Petrus, *Tu es Christus ille, Filius Dei viventis*;) at mediator fuit, & filius Dei, non videntibus, sed credentibus tantúm. Humana natura non declarabat illum esse τὸν χριστὸν, καὶ τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ ζῶντος. Nam si hoc *visibile* fuit, sique oculus de eo judicare potuit; cur non omnes, qui videbant, id intelligebant? At non omnibus hoc manifestum fuit, ideoque rogat Christus discipulos, quem se esse dicerent homines; illi veró respondebant: alii Eliam, alii Hieremiam, aut unum ex Prophetis. Christum veró illum fuisse filium Dei viventis, nemo præter discipulos agnovit. Ergo non erat Christus *visibile*, aut sensibile, sed credibile (ut ita dicam) fundamentum, ideoque Ecclesiæ ædificium est etiam credibile & invisibile. Nam simile est fundamento ædificium. Itaq; 4. *respondeo*: Ecclesiam in petra ædificatam non esse *visibilem* congregationem. Nam contra *visibilem* congregationem Satanas prævalere potest, etiam contra singulas particulares *visibiles* congregationes: at contra catholicam ecclesiam in petra ædificatam, nunquam prævalebit; quia Ecclesia Catholica in *solis electis* consistit, contra quos Satanas prævalere non potest. Contra omnes, quæ olim fuerunt, Ecclesias *visibiles* prævaluit Satanas: sed veré fideles ab illo nunquã superari possunt. Jam veró cũ oculus judicare nõ possit, q veré fideles sint: seqtur, ecclesiã catholicã in

petra fundatam, non esse visibilem. Hanc verò Ecclesiam nullos complecti nisi electos, & firma fide præditos, nos antea docuimus. Atque ita de hoc scripturæ loco satis multa respondimus.

Quartus Scripturæ locus á Bellarmino prolatus, habetur Matth. 18.17. *Dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.* Certé neutrum (inquit) servari posset, si esset Ecclesia invisibilis, hoc est, nec Ecclesiæ aliquid dicere possemus; nec eum, qui Ecclesiam non audierit, pro Ethnico & publicano habere. *Respondeo:* Hoc argumẽtum ἀπὸ τῆς ὁμωνυμίας peccare. Significat enim hîc Ecclesiæ nomen, non Catholicam Ecclesiam; sed Pastores, Episcopos, & Presbyteros Ecclesiarum particularium. Itaque fallit hîc nos per ὁμωνυμίαν vocis. Et quidem miror, illum tantopere in ὁμωνυμίᾳ peccare. Ὁμωνυμίαν removeamus, & nulla erit argumenti species. Cúm enim nomen Ecclesiæ aliquando significet præpositos singularum particularium ecclesiarum: ergóne sequitur, ecclesiam Catholicam esse visibilem, quia ii sunt visibiles? Nihil minus.

Quintus Scripturæ locus ab Adversario citatus habetur Act. 20.28. *Attendite vobis ipsis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Quomodo poterant regere Ecclesiam (inquit) quã non noverant? *Respondeo:* has quidem Ecclesias esse visibiles, quas Pastores regere jubentur. Sunt enim particulares Ecclesiæ, non Ecclesia Catholica. Nam pars magna Catholicæ Ecclesiæ non regitur á Pastoribus. Particulares verò congregationes, Christi religionem profitentes, dicuntur Ecclesiæ σωματικῶς, propter sanctos nimirum & electos, qui in illis sunt. Sed quia Pastores non possunt electos á reprobis

bis discernere: itaque totum cœtum paſcere, regere, & curare debent, & judicium DEO relinquere. Quantumvis enim in illo cœtu aliqui ſint lupi: tamen Paſtores ita ſe debent gerere erga omnes, ac ſi omnes oves eſſent.

Sextus Scripturæ locus, qui ab Adverſario profertur, habetur Act. 15. 3. *Illi quidem deducti ab Eccleſia, pertransibant Phœnicem, & Samariam.*

Septimus locus in eodem capite habetur v. 4. *Cúm veniſſent Hieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia.*

Octavus locus habetur Act. 18. 22. *Aſcendit Paulus, & ſalutavit Eccleſiam.* Quomodo iſta (inquit) conveniunt Eccleſiæ inviſibili? *Reſpondeo:* Una reſponſio his omnibus locis convenit. Loquitur in his omnibus locis Spiritus ſanctus de eccleſiis particularibus, non de Catholica Eccleſia. Particulares Eccleſiæ ex bonis & malis miſtæ, videri, adiri, & ſalutari poſſunt: at Catholica Eccleſia, quæ ſolos bonos continet, nec videri poteſt, nec adiri, nec ſalutari.

Nonus locus habetur 1. Cor. 15. 9. *Decimus* Galat. 1. 13. *Undecimus* Philip. 3. 6. Quibus omnibus locis teſtatur Paulus, ſe perſequutum eſſe Eccleſiam Dei. At notum eſt (inquit) quos perſequebatur, ex Act. 9. Unde vult concludere, Eccleſiam Dei eſſe viſibilem, quia perſequi eam Paulus non potuiſſet, niſi vidiſſet. *Reſpondeo* 1. Saulus non potuit totam Eccleſiam Dei, hoc eſt, Eccleſiam Catholicam perſequi, nec hoc quisquam unquam tyrannus facere potuit. Aliqui enim, qui ad Eccleſiam Catholicam pertinent, in pace requieſcunt, & extra omne periculum poſiti ſunt. Itaque nulla crudelitas, nullus furor hominum eos attingit, nulli tyranni in eos ſævire poſſunt. Saulus igitur vivos ſolos perſequutus eſt. 2. Aliud eſt per-

sequi Ecclesiam Catholicam, aliud videre. Multi enim persequuntur, quos non vident. Sic Herodes Christum persecutus est, quem tamen nunquam viderat. Sic nunc impii omnes, fidem oppugnantes, & pios Dei servos persequentes, Christum ipsum persequuntur, quem tamen non vident. Act. 9. 4. Christus Paulo ait, *Saule, Saule quid me persequeris?* cúm Christus tamen in cœlis esset cum Deo Patre, nec á Paulo conspici potuit. Sed inquiet Adversarius, hos visibiles fuisse, quos Paulus persequutus est; & sic Christum tum visibilem fuisse, cúm illum Herodes persequeretur, etsi Herodes illum non videret. 3. Igitur respondeo, homines ipsos visibiles esse, quos impii in Ecclesiis particularibus persequuntur; at ecclesia catholica non potest á quoquam impio tyranno, imó ne á quoquam pio videri. Particulares Ecclesiæ videri possunt, sed non Catholica. Homines vidit Saulus, illamq; Ecclesiam particularem; & illos homines, eamq; Ecclesiam persecutus est: Catholicam veró Ecclesiam nunquam vidit. Nec omnes in illa ecclesia particulari persecut' est, sed quosdam tantúm. Præterea non omnes, quos tyranni persequuntur, sunt de Ecclesia Catholica, imó nec omnes qui pro Christo patiuntur. Multi enim in tumultu interficiuntur, quos non possumus certó dicere, vera fide præditos fuisse, atque ita ad Ecclesiam Catholicam pertinuisse. Sed hoc totum Deo relinquendum est. Ille enim solus hoc novit.

Postremus Scripturæ locus, quem profert Adversarius, habetur 1. Tim. 3. 15. *Hæc tibi scribo, fili Timothee, ut scias, quomodo te oporteat conversari in domo Dei; quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* At sanè non poterat (inquit) in ea conversari, nisi

nisi sciret, quænam esset. *Respondeo* 1. Apostolum loqui hoc in loco de Ecclesia Ephesiorum. Illa verò fuit non Catholica, sed omnino particularis Ecclesia. Nos verò fatemur, Ecclesias particulares esse *visibiles*; ut olim Ecclesia Ephesiorum, Thessalonicensium, & Galatarum, *visibilis* fuit. 2. Dico, Ecclesiam Ephesiorum, Thessalonicensium, Galatarum, & quamvis præterea particularem congregationem hominum veram Christi religionem profitentium, domum Dei, & Ecclesiam Dei, dici posse, propter pios & fideles, qui in iis versantur, qui soli verè sunt domus Dei, & Ecclesia Dei. Nam de iis loquitur Apostolus, cùm veram Ecclesiam, & domum Dei intelligit. At visus non potest judicare, qui verè fideles sint, & verè pii: ergo nec qui verè sunt Ecclesia & domus Dei. Hoc adhuc meliùs patet ex eo quod sequitur, cùm subjungit Apostolus, esse *columnam, & firmamentum veritatis*. At soli pii, qui solidam, stabilem, & constantē fidem retinent, sunt *columna* & *stabilimentum veritatis*. Sunt quidem pii & fideles in Ecclesiis particularibus, & videntur ut homines, sed non ut pii & fideles, quia tales oculis dijudicari non possunt. Ita verò se quisque gerere debet in particulari quavis Ecclesia, ac si omnes qui in ea viverent, essent domus Dei, & columna ac firmamentum veritatis. Et ejusmodi fuit primum Bellarmini argumentum ex iis Scripturæ testimoniis ductum, in quibus Ecclesiæ nomen aperté ponitur.

Sequitur jam *secundum* ejus argumentum, ex iis Scripturis desumtum, in quibus non nominatur, sed tamen aperté describitur Ecclesia, ut ille ait. *Primus* locus habetur Psalm. 19. 5. *In sole posuit tabernaculum suum.* Quem locum Augustinus (inquit) in tractat. 2.

in Epist. Johan. sic interpretatur. *In manifesto posuit Ecclesiam suam, ut sicut sol non potest omnino latere: ita nec Ecclesia possit abscondi. Respondeo* 1. Augustinus secutus est versionem Septuaginta interpretum. Nam ille usus est vetere Latina vulgata versione, quæ non ab Hebræis fontibus, sed á rivulis Septuaginta interpretum deducta fuit. Ea veró infinitis in locis vitiosa est. Septuaginta sic legũt: ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ. Et Latina vetus cum Græca consonat: *In sole posuit tabernaculum suum.* Sed nos relictis rivulis fontes adire oportet. Hebraicé veró sic habet se hic locus: *La shemesh sham ohel Bahem.* Quæ verba Hieronymus in comment. in Psalterium sic rectè vertit, & interpretatur, *Soli posuit tabernaculum in eis*, scilicet cœlis. Sic Pagninus. Sic Vatablus. Sic Arias Montanus. Sic Tremellius. Et Theodoretus in comment. in hunc Psal. ait, tres interpretes Græcos sic trãstulisse, quos verisimile est fuisse Symmachum, Aquilam, & Theodotionem, & hanc esse magis dilucidam, & aperté veram versionem. Sensus est, posuisse Deum in cœlis tentorium, hoc est, sedem quandam splendidam soli, adeó ut sol ibi, quasi in sublimi & illustrissimo quodam theatro positus sit. Et verba quidem hæc ita transferenda esse, consentiunt omnes, qui Hebræum contextum nôrunt. Non ergo sic legendus hic locus est, *Posuit in sole tabernaculum suum*, ut Septuaginta vertunt: nec per tabernaculum Christi caro, aut Christi Ecclesia intelligenda est, ut vult Augustinus. Igitur hoc argumentum non Scripturæ authoritate, sed Augustini mala expositione nititur. Argumenta veró ex Scripturę vitiosa interpretatione ducta nihili prorsus faciẽda sunt. 2. *Respondeo*, quia Augustino aliquid tribuo: per Ecclesiam in sole positam,

sitam, non totam Catholicam Ecclesiam, sed Christi Ecclesias particulares ab Augustino significari. Nimirum voluit Augustinus, Ecclesias Christi particulares toto orbe fusas esse. Quod quidem tunc temporis verum fuit. Nam multæ eo tempore præclaræ & illustres Ecclesiæ particulares fuerunt. Res enim illi fuit cum Donatistis, qui in uno tantúm angulo orbis, hoc est, apud se solúm in Aphrica & non alibi, Ecclesiam esse voluerunt; cúm tamen innumeræ essent eo tempore in toto orbe Ecclesiæ, sic ut tum Ecclesia in sole, hoc est, in manifesto posita esset. Et nos particulares Ecclesias visibiles esse dicimus, sed non semper eodem modo, ut postea in proxima Quæstione fusiús declarabitur. Sed etsi in omnibus regionibus, urbibus, angulis, sint particulares Ecclesiæ, eæq; visibiles: tamen Catholica Ecclesia visibilis non erit. Atque ita nostra sententia hoc testimonio non infringitur.

Secundus Scripturæ locus á Bellarmino citatus habetur Isai. 2. in initio capitis.

Tertius locus habetur Danielis 2. 35. & 45.

Quartus locus habetur Michæ 4. in initio capitis. In his omnibus locis Ecclesiam illustrem & conspicuam fore prædicit Spiritus sanctus. Comparatur enim in his locis Ecclesia monti magno & conspicuo, qui nullo modo latere potest, ut Hieronymus notat in ea loca, & Augustinus in tractat. 1. in Epist. Johan. *Respondeo:* Isaiæ quidem secundo capite, & Micheæ 4. Ecclesiæ magnitudinem & claritatem describi, quæ futura erat temporibus Messiæ, per Evangelii prædicationem. Prædicunt enim Prophetæ illi, nullum regnum fore tam splendidum, nullam civitatem tam amplam & glorioſam, nullum imperium

tam laté patens, quám futura esset Ecclesia temporibus Messiæ. Et hoc jam evenisse certum est. Sed hoc nihil facit contra nos. Nam etsi omnes mortales, Christi Evangelium reciperent, & ubique gentium Ecclesiæ essent frequentissimæ: tamen nos nihilo minús Ecclesiam Catholicam invisibilem esse diceremus. Nam illæ quid aliud essent, quám Ecclesiæ particulares? Et quidem necessarium fuisse fatemur, ut summa esset majestas & claritas Ecclesiarum particularium sub Christo, utque tam laté Evangelium disseminaretur: tamen nusquam legimus, promissum esse á Domino, constantem hunc & perpetuum fore Ecclesiæ splendorem & majestatem. Etsi multæ promissiones factæ sunt Ecclesiæ de illius gloria & splendore sub Messia: tamen nulla uspiam extat promissio, fore talem perpetuó Ecclesiæ statum, ut nos postea in proxima Quæstione docebimus. Daniel veró capite secundo prædicit fore, ut cúm reliqua regna evertuntur, cõminuuntur, dissipãtur, Christi regnum & Ecclesia staret, & duraret in perpetuum. Hoc nos fatemur. Sed hoc non evincit, Ecclesiam Catholicam visibilem esse, quód nulla tyrannide expugnari, aut everti potest. Hoc enim regnum in sanctis tantúm & piis consistit, quos nulli Adversarii perdere aut opprimere possunt. Sed tamen illos ideo videri posse, non sequitur. Per lapidem é monte excisum, Christum é cœlis delapsum intelligit Propheta. Sed hoc nihil ad rem facit. Quod veró ad Hieronymum & Augustinum attinet, video quidem illos de Ecclesiæ magnitudine & claritate hos locos interpretari, quemadmodum est necesse. Sed hoc nihil contra nos facit. Etsi enim particulares Ecclesiæ ubiq; illustres & conspicuę forent, & omnia loca,

loca, omnesq; passim angulos complerent: tamen nostra sententia firma interim maneret, Ecclesiam Catholicam invisibilem esse. Soli enim sancti ad Ecclesiam Catholicam pertinent: illos verò nullus sensus agnoscit, aut dijudicat: ergo Ecclesia Catholica nullo sensu percipi potest. Per montẽ verò intelligitur totus cœtus professorum. Alludunt enim Prophetæ ad montem Sion, ubi Deus olim colebatur, & innuunt, montem illum exiguum fuisse, & paucos ad illum confluxisse: sed tempore Christi montem hunc ingentem fore, id est, numerum eorum, qui Christum & ejus Evangelium passim in Ecclesiis per orbem diffusis amplecterentur, fore immensum; in quibus quidem sunt nonnulli, qui ad hæreditatem regni cœlorum pertinent, sed illi oculis non agnoscuntur. Neque enim totus ille cœtus, qui jam Christi religionem profitetur, ad Catholicam Christi ecclesiam pertinet, sed illi tantúm ex eo cœtu, qui vera fide prædíti sunt.

Quintus Scripturæ locus á Bellarmino citatus habetur Matth. 5. 14. *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Quem locum Augustinus de unitate Ecclesiæ, cap. 14. & alibi passim, de Ecclesia exponit, quam ille in monte positam esse dicit. *Respondeo* 1. hęc verba non de Ecclesia catholica, sed de Pastoribus, & Doctoribus particularium Ecclesiarum, intelligenda esse. Alloquitur enim CHRISTUS Apostolos & discipulos suos, quibus pauló anté dixerat: *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi.* Tum statim hæc verba subjungit: *Civitas in monte posita non potest abscondi.* Sensus est, Ut civitas in monte posita, aut in rupe excelsa condita, omnibus longé lateque conspicua est: ita virtus vestra, pietas vestra, vita vestra omnibus

illustris erit, nec celari aut abscondi potest, quia omnium in vos oculi conjecti erunt. Atq; etsi quidem Augustinus hoc loco sæpe usus est, ut Ecclesiæ splendorem probet: tamen Chrysostomus & Theophylactus hunc esse ejus sensum docent, quem nos diximus. Sic enim illi scribunt. παιδεύει αὐτοὺς ἀγωνίας ἔχειν καὶ ἀκριβεῖς περὶ τὸν βίον, ὡς πᾶσι παύτων βλέπεσθαι μέλλοντας. *Instruit eos ut certent, & soliciti sint de vita, tanquam ab omnibus conspiciendi.* Et subjungunt: Μὴ νομίσητε (φησί) ὅτι ἐν γωνίᾳ κρυβήσεσθε, ἀφάνλεπτοι ἔσεσθε, ne putate (inquit) *fore ut in angulo occultemini, undiq; conspicui eritis.* Et addunt: ὥστε βλέπετε πῶς ἀμώμως ζήσεσθε, ἵνα μὴ καὶ ἑτέρους σκανδαλίζητε. *Quare videte, ut inculpatè vivatis, ne aliis offendiculo sitis.* Volũt igitur Chrysostomus & Theophylactus, Christum Apostolos & discipulos suos his verbis monere, illos esse in luce & conspectu totius orbis positos; ac proinde opus illis esse, ut solicitè vivant, & sibi caveant, ne homines vitâ suâ offendant, quód illorum facta nullo modo occultari possent. Et quanquam hęc verba ad omnes pios Ecclesiarum Pastores & Doctores referri possunt, & accommodari: tamen potissimúm de Apostolis, & illis primis Ecclesiæ Doctoribus ac magistris intelligenda sunt, qui totum terrarum orbem sua luce collustrabant. 2. *Respondeo:* Etsi Christus ait, pios Doctores & Pastores non fore obscuros, nec conspectum hominum fugere posse: non tamen id dicit, futuros esse semper tales doctores qui tam conspicui, quám montes sint; sed quandocunque tales fuerint, illos semper aspectabiles fore, nec posse unquam latêre, quia omnes in illos oculos conjicient. 3. Fateor, Augustinum sæpe testimonium hoc de Ecclesia usurpare, & hinc Donatistas refellere, qui nullas

las Ecclesias in toto orbe, nisi suas pauculas agnoscebant, quos Augustinus præclaré convincit ex frequentia & celebritate Ecclesiarum, quæ tunc temporis fuerunt. Ideo dicit, Ecclesiam esse instar montis conspicui; quod eo quidem tempore verum fuit. Nam erant Augustini temporibus glorioſissimæ & frequentissimæ Ecclesiæ. Sed hoc non probat, Ecclesias particulares perpetuó fore illustres, quod Adversarius probare debuit. Quanquam hoc etiam ad aliam Quæstionem attinet. Nos veró dicimus, etsi innumerabiles essent hujusmodi montes, id est, Ecclesiæ particulares; tamen Christi Catholicam Ecclesiam invisibilem esse; quia in numero professorum non apparet, quinam fideles & electi sunt. Ergo Augustinus nos non attingit. Etsi enim in Ecclesiis particularibus sint & vivāt ii, qui ad Ecclesiam catholicam pertinent: tamen ut sunt membra Catholicæ Ecclesiæ, sensu discerni, & dijudicari non possunt.

4. Sive de Pastoribus & Doctoribus, sive de vera Christi Ecclesia hæc verba intelligamus: tamen non sequetur, Ecclesiam semper & ab omnibus conspici posse. Hoc tantúm sequetur, ab iis conspici, qui oculos habent, quibus eam conspiciant. Nam ne solem quidem ipsum omnes vident, nedum civitatem, quantumvis in monte vel rupe positā; sed ii tantúm, qui oculos habent. Sic Augustinus tractat. 1. in epist. Johan. ait, Donatistas non vidisse Ecclesiam in monte positam, id est, non potuisse Ecclesias particulares, licet illustres, conspicere; *quia in tenebris ambulabant, & quia tenebræ excæcaverunt oculos eorum.* Ex his concludo, veram Christi Ecclesiam, licet maximé ampla & illustris sit, tamen non esse omnibus visibilem, sed iis tantúm, qui oculos habent ad eam con-

spiciendam idoneos. Sic nos Adversariis respondere possumus, ecclesiam nostram semper fuisse, eandemque etiam visibilem fuisse. Quid ergo? num omnibus manifesta fuit? nequaquam; sed iis tantúm, qui oculos habebant. Nam ne sol quidem omnibus, sed iis tantúm, qui oculos habent, est manifestus. Sic Ecclesia quævis etiam particularis, quantumvis illustris, visibilis nullis est, nisi iis tantúm, qui internos animi oculos claritate fidei illustratos habent, quibusq; verum & rectum judicium est, quo veras Ecclesias ab adulterinis ex verbi pura prædicatione, & legitima Sacramentorum administratione, possint discernere. Hoc judicio Donatistæ caruerunt, ac proinde illi illustres Ecclesias videre non potuerunt. Sed hæc testimonia erant alibi tractanda, in proxima nimirum Quæstione, ubi disputandum est, utrúm Ecclesia sic deficere potest, ut nescias, ubi sit vera visibilis Ecclesia. Adversarius igitur permiscet Quæstiones, quæ erant distinguendæ.

Ultimo loco objicit Bellarminus ex Scripturis parabolas de area, de reti, de ovili, de convivio, quæ omnes (inquit) ostendunt, Ecclesiam veram, quæ est regnum cœlorum, esse visibilem. *Respondeo:* Nihil minus. Ostendunt quidem hæ parabolæ, Ecclesiam quamque particularem esse visibilem. Sed hoc nihil ad rem facit, si Adversarius Quæstionis statum sciret. Atque hæc sunt omnia Bellarmini testimonia ex Scripturis desumta. Jam sequuntur alia ejus argumenta.

Tertium igitur Bellarmini argumentum ab ipso ortu & progressu Ecclesiæ sumitur. *Primò* ait, in statu veteris Testamenti, Ecclesiam usque adeó visibilem fuisse, ut qui ad illam Ecclesiam pertinerent, in ipsa carne

carne portarent visibile signum circumcisionis. *Respondeo:* Circumcisionem quidem visibile signum fuisse, quo Israëlitæ, & qui ad illam Ecclesiam pertinebant, cognosci poterant, & á Gentibus distingui. Atqui hoc fuit signum piis & impiis commune. Non ergo ex hoc sequitur, Ecclesiam catholicam fuisse visibilem, ne eo quidem tempore. Non enim omnes circumcisi pii erant, nec ad Ecclesiam Catholicam pertinebant. Nam Ismaël & Esau non minús circumcisi erant, quám Isaacus, & Jacobus: tamen illi ad Ecclesiam Catholicam non pertinebant, quæ fuit eorum tantúm, qui in occulto Judæi erant; qui non in carne modó, sed in corde etiam intus circumcisi erant; quique non habebant *circumcisionem literæ, sed spiritus, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est*, ut loquitur Paulus Roman. 2. in fine capitis. Ibi enim docet Apostolus, qui veré Judæi, & veri Israëlitæ fuerunt; atque horum duntaxat Ecclesia fuit. Tum enim Ecclesia Catholica fuit eorum tantúm, qui intus circumcisi, & in occulto Judæi erant; quemadmodum nunc eorum est, qui intus baptizati, & in occulto Christiani sunt. Quod ad illam veró visibilem Ecclesiam attinet, fuit circumcisio ejus visibile signum; quemadmodum nunc particularium Ecclesiarum apud Christianos baptismus signum est. Nam ut Ecclesiæ particulares visibiles sunt, ita visibilia signa habent. Ecclesia veró Catholica cúm sit invisibilis, nullum visibile signum habet. Sic nullum est hoc argumentum, Christianorum Ecclesiæ particulares sunt visibiles, & habent visibilia signa & Sacramenta: ergo Ecclesia Catholica est visibilis. *Secundó* ait Bellarminus, in novo Testamento, sine dubio, Ecclesiam Christianam totam fuisse in principio in

Apostolis & discipulis Christi; qui adeó visibiles erant, ut super illos Spiritus sanctus visibiliter descenderit in die Pentecostes. *Respondeo.* 1. Quod ait, totam Ecclesiam Christianam, hoc est, Catholicam Christi Ecclesiam, fuisse in principio in Apostolis & discipulis tantúm: falsum est. Nam omnes veteres Patriarchæ, & Prophetæ, aliiq; sancti veteris Testamenti, qui ab initio mundi præcesserunt, de Ecclesia Christi Catholica fuerunt; qui quoniam videri non potuerunt, ideo Ecclesia catholica non fuit ne tum quidem visibilis. Nec potest probare, totam militantem Ecclesiam in Apostolis & discipulis fuisse. Non enim dubium est, quin pii multi tum inter Judæos latuerint, qui Christum agnoscebant, sed non sunt ausi illum palám profiteri. 2. Illi, super quos Spiritus sanctus visibiliter die Pentecostes delapsus est, erant cœtus particularis; qualem visibilem esse posse, nulli dubium est. Et quanquam forsan in illo cœtu nullus nisi electus fuit, & qui ad Ecclesiam Catholicam pertinebat: tamen in sensu dijudicari non potuit, nec erant illi hoc modo visibiles. *Tertió* ait Bellarminus, postea tria millia hominum visibiliter huic Ecclesiæ addita fuisse, & postea quinque millia, per fidei confessionem & Baptismum, ut patet Act. cap. 2. 3. & 4. ergo illa Ecclesia visibilis fuit. *Respondeo:* Homines quidem visibiles erant, qui Christo nomina dederunt, & Ecclesia atque cœtus ille particularis, visibilis fuit: sed in his fuisse Ecclesiam Catholicam, nullus aspectus dijudicavit. Debuit ille probare, aspectu posse cognosci Catholicam Christi Ecclesiam, hoc est, totum numerum illorum hominum, qui ad Christum pertinent. Præterea in illo cœtu nonnulli proculdubio hypocritæ fuerunt,

fuerunt, tanquam paleæ cum tritico (quod experientia postea docuit Act. 5.) qui in illa quidem visibili Ecclesia vivebant, sed non erant de Ecclesia Catholica. Et de hoc quidem argumento satis multa respondimus.

Quartum Bellarmini argumentum sumitur ab ipsa ratione Ecclesiæ. Sed quæ illa tandem est? Ecclesia (inquit) est societas quædam hominum, non Angelorum, neque animarum. Non autem dici potest societas hominum, nisi in externis & visibilibus signis consistat. Nam non est societas, nisi se agnoscant ii, qui dicuntur socii: non autem se possunt homines agnoscere, nisi societatis vincula sint externa & visibilia: oportet ergo hujus quoque societatis, hoc est, Ecclesiæ, externa & visibilia vincula esse. Quód si vincula societatis sint visibilia, & ipsam quoque societatem visibilem esse necesse est. *Respondeo:* Cúm Adversarius negat, Ecclesiam Catholicam esse animarum: omnes sanctos defunctos ex Ecclesia Catholica excludit. Qua in re ejus errorem & blasphemiam observare oportet. Sancti enim defuncti, qui cum Christo glorioſé in cœlis regnant, sunt optima & præcipua pars Ecclesiæ Catholicæ: ergo illorum animæ ex Ecclesia excludendæ non sunt. Et Apostolus quidem Hebr. 12. 23. παν ήγυειν, & ἐκκλησίαν πρωτοτόκων agnoscit: ergo cúm de Ecclesia Catholica loquimur, hæc quoq; pars sumenda est; quæ cúm invisibilis sit, Catholicam, id est, totam Christi Ecclesiam non videri constat. Quod veró ad militantem Ecclesiæ partem attinet, est ea quidem hominum, qui quatenus in Ecclesiis particularibus vivunt, externis quibusdam signis & vinculis inter se colligantur: sed quatenus ad Ecclesiam Catholicam perti-

nent, vinculis occultis & invisibilibus, nimirum Spiritu CHRISTI, fide, & charitate, quæ est compago invisibilis, constringuntur & colligantur, tum inter se, tum cum ipso capite. Ergo Ecclesiæ particulares visibilibus quidem nexibus colligantur: Ecclesia veró catholica, hoc est, cœtus sanctorum, invisibilibus. Sed Bellarminus hoc quod dixit, aliâ ratione confirmat. Homines (inquit) in militiam, in civitatem, in regnum, & alia similia, non aliter ascribuntur, quám per externa quædam & visibilia signa: at Ecclesia his societatibus similis est (sic enim videtur argumentari:) ergo nec in eam quisquam nisi per externa quædam & visibilia signa asscribi potest. Unde Augustinus (inquit) contra Faustum Manichæum lib. 19. cap. 11. *In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* *Respondeo* 1. Ecclesiam Christi Catholicam non esse similem aliis humanis societatibus. Nam illæ quidem omnes rebus externis continentur, & absolvuntur, & judicantur. Quis enim ad hanc vel illam tribum, ad hoc vel illud signum, ad hunc vel illum ducem pertineat, externis quibusdam signis cognosci potest. Commilitones etiam sese ex signis mutuó cognoscunt, & tota denique harum rerum ratio externa & visibilis est. Sed non est eadem ratio Ecclesiæ Catholicæ. Non enim ejusmodi aliqua sunt illius signa, de quibus sensus externus judicare potest. Nihil externum habet Ecclesia Catholica, unde Catholica esse intelligatur. Nam pii, qui hîc in terris versantur, cum piis qui sunt in cœlo, inseparabiliter conjunguntur; sed non est visibilis hæc conjunctio. At

veró

veró hîc Adversarius nostram cum CHRISTO, & cum spiritibus beatorum, conjunctionem prorsus tollit. Præclara certé ratio, quæ nos, qui in terris versantes ad Ecclesiam Catholicam pertinemus, ab omni communione cum CHRISTO, & beatorum animabus, quæ gaudio perpetuo in cœlis cum CHRISTO fruuntur, separat omnino, & sejungit. Sic enim ille ratiocinatur. Nulla est societas nisi inter socios; nulli socii, nisi qui se mutuó agnoscunt; nec possunt se mutuó agnoscere, nisi per externa & visibilia signa: ergo sine visibilibus signis nulla societas. Nónne ex hac ratione sequitur, nullam esse nobis cum Christo, & sanctis defunctis societatem, aut communionem; sed inter militantem & triumphantem Ecclesiam, summam distractionem esse? Quis non hanc blasphemiam aversetur? 2. Fateor quidem, Ecclesias particulares & singulares, habere illam etiam externam signaculorum seu Sacramentorum societatem, de qua Augustinus: sed illa non sufficit, ut quis sit membrum Ecclesiæ Catholicæ. Sic ille nomine Ecclesiæ in tota hac disputatione abutitur.

Quintum Bellarmini argumentum sic se habet. Tempore CHRISTI (inquit) ut volunt Illyricus & Melanchthon, Ecclesia solúm erat in Zacharia, Simeone, Anna, Maria, & paucis aliis, non autem in Pontificibus, Sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis, & reliqua multitudine Judæorum. Quid ex eo? At illi (inquit) communicabant cum Pontificibus, in Templo, in sacrificiis &c. ergo vel malé faciebant isti, communicando falsæ Ecclesiæ; vel malé faciunt Lutherani, non communicando nobiscum, & non obediendo Pontifici.

Respondeo. 1. Hoc argumentum non probat, Ecclesiam Catholicam esse visibilem; sed potiús, Romanam Ecclesiam non fuisse á nobis deserendam. At hæc alia quæstio est. 2. Hoc potiús probat, Ecclesiam esse invisibilem, quám visibilē. Erat enim tum Ecclesiæ Judaicæ status glorioſus. Erat summus Pontifex, erant ἀρχιερεῖς, erant sacrificia, erant Levitæ, erat Templum; ut hodie Romæ. Quid tum? érántne igitur hi Judæi illo tempore Ecclesia catholica? Nequaquam. Nam Ecclesia Catholica non persequitur Christum; at illi Christum persecuti sunt: ergo illi Catholica Ecclesia non fuerunt; sed tum Ecclesia est in paucis conservata, ut rectè Melanchthon, & Illyricus; nempe in Maria, in Joſepho, in pastoribus, in Zacharia, Elizabetha, Joanne, Anna, Simeone, & aliis piis; qui quidem, ut homines, erant visibiles, sed quis illos tum Ecclesiam esse sensit? Hi omnes ad Templum cum reliquis Judęis confluebant, & externa sacrificia cum illis celebrabant; reliqui tamen nō erant de Ecclesia catholica, hi erant. Quoniam ergo externus aspectus non potuit hos ab illis secernere & distinguere: ecclesiam catholicam invisibilem esse manifestum est. 3. Ecclesia illa, sive Synagoga Judæorum, quæ fuit tempore Christi, etsi non erat, quoad Sacerdotes, & summos Doctores, simpliciter & omni ex parte ne visibilis quidem vera Ecclesia (non enim puram doctrinam servaverat:) tamen aliquo modo fuit Ecclesia visibilis, quia erant ibi reliquiæ quædam religionis, & quia cultus á Deo institutus non penitus sublatus fuit. Nam Templum adhuc stabat, præterea sacrificia á Deo instituta quotidie offerebantur, & Sacerdotes Levitici fungebantur aliqua ex parte munere suo; erat ordo aliquis; deniq;

doctrina

doctrina non erat penitus corrupta, ac propterea Christus ait, *Quæ dicunt, facite.* Itaque pii ad Templum veniebant, & sacrificiis utebantur; quia hoc divinitus præceptum fuit. Sed non est similis ratio Ecclesiæ Romanæ: ergo non est nobis similiter cum ea communicandum. Nam etsi Deus reliquias quasdam veræ doctrinæ inter Papistas reservavit: tamen ordo illius Ecclesiæ non est á Deo institutus, ut fuit ordo ille Judæorum: tota illius Ecclesiæ forma humana, non divina est. Hoc enim Templum Papistarum non est divinum, hi Sacerdotes non sunt á Deo instituti, neque hæc illorum sacrificia; Petri cathedra non est Romæ á Deo constituta; denique totus ordo Ecclesiæ Papisticæ humanus est, addo etiam, Antichristianus: omnia apud illos humana sunt, nihil divinum: ergo non licet nobis cum illis communicare, nec Romano Pontifici obedire. Nec Mariæ & reliquis piis tempore Christi licuisset cum Judæis communicare, nisi propter externũ ordinem á Deo institutum: at in Ecclesia Romana nullum talem ordinem Deus instituit; ergo non est nobis similiter cum illa communicandum.

Sextum Bellarmini argumentum in hunc modum instituitur. Tenemur omnes sub periculo æternæ mortis, veræ Ecclesiæ nos adjungere, & in ea perseverare: at hoc fieri non potest, si Ecclesia sit invisibilis: ergo Ecclesiam invisibilem esse necesse est. *Respondeo* 1. Necesse quidem est nos Ecclesiæ adjungere, quia extra Ecclesiam non est salus. Sed hoc de Catholica Ecclesia intelligendum est. Adjungimur autem Ecclesiæ catholicæ, cúm Christo adjungimur: & hoc fieri potest, quantumvis omnes non videant. Sensus ergo illius axiomatis hic est, oportere nos

Christo adjungi; & esse in numero eorum, qui sunt membra corporis Christi, si salvi esse velimus. Sensus non est, eos qui sunt extra hanc vel illam Ecclesiam particularem, non posse salvos esse. Nam multi salvi esse possunt, qui non in hac vel illa, imó qui in nulla particulari Ecclesia vivunt. Quid enim, si solus quis sit? quid si excommunicatus quis fuerit ab omnibus particularibus Ecclesiis, & tamen vera fide præditus sit? Servari posse talem, priús fatebatur Bellarminus; ergo jam sui oblitus est, si dicat, neminem servari posse, nisi qui se alicui particulari Ecclesiæ adjunxerit. 2. Quod attinet ad particulares Ecclesias, dico etiam necesse est, ut nos ad hanc vel illam visibilem Ecclesiam, non ad Ecclesiam aliquam certam adjungamus, si salvi esse velimus: at non simpliciter, sed κατὰ τί, cum duplici nimirum cautione. *Prima* cautio est, si nota nobis fuerit talis Ecclesia. *Secunda*, si nos possumus ad illam adjungere. Vult enim nos Deus Ecclesias celebrare, & in ecclesiis vivere, si modó possumus, & si novimus. Sed si nescimus, aut non possumus; tum non est necesse sub hoc periculo, cujus Adversarius mentionem facit. Etsi enim inter Turcas vivamus: sumus tamen membra Christi, si fidem habeamus. Alioqui miserè actum fuisset cum illis septem millibus, de quibus Deus ad Eliam, *Reliqui mihi septem millia hominum, qui non flexerunt genua Baal.* Nam illi ad nullam particularem ecclesiam sese adjungebant. Possunt ergo aliqui servari, etsi in nulla ecclesia particulari vivant.

Septimum Bellarmini argumentum sumitur ex iis, quæ dicta sunt in superiori Quæstione. Nam si ecclesia (inquit) sit congregatio hominum utentium Sacramentis iisdem, & eandem fidem Christi profitentium,

tentium, sub regimine legitimorum Pastorum, ut in superiore Quæstione probatum est: tum necessarió sequitur, ecclesiam visibilem esse. *Respondeo*; illam definitionem esse multis modis vitiosam, ut á nobis antea probatum est. Fuit hæc definitio satis á nobis antea convulsa, & improbata. Non est hæc definitio Ecclesiæ Catholicæ, imó nec particularis ecclesiæ veræ. Nihil enim aliud requirit in membro ecclesiæ, nisi externam communicationem & professionem, & obedientiam, quæ omnia sine ulla interna Spiritus sancti gratia præstari possunt. At nos alia desiderari docuimus. Probavimus enim, nullos ad Ecclesiam catholicam pertinere, nisi qui internis Spiritus sancti donis prædíti sunt; nempe fide, spe, & charitate. Et quanquam in Ecclesiis particularibus multi impii cum piis misti sunt: tamen aliqui sunt ex necessitate boni. Est enim Deus semper efficax in verbi legitimo ministerio; quanquam hoc non omnibus manifestum est. Superior veró illa definitio falsa fuit, quemadmodum nos ostendimus: ergo non potest inde bonum argumentum duci ad aliud probandum. Si quidem in superiori Quæstione probâsset quod instituit: tum hoc quoque sequeretur, quod in hac Quæstione statuit. Sed neque illud probavit, neque hoc probare potest. Quæ enim hactenus argumenta adhibuit, leviſſima omnia sunt.

Octavum & ultimum Bellarmini argumentum á Patrum testimoniis sumitur. Pauca sunt, & facilé percurri possunt; nullius enim sunt momenti.

Primum est Origenis in homil. 30. in Matth. *Ecclesia plena est fulgore ab Oriente usq; ad Occidentem. Respondeo*, 1. Si diceret Origenes, ecclesiã Christi esse toto orbe claram: nihil tamen diceret contra nos. Nos.n. nihil

minús Ecclesiam catholicam invisibilem esse diceremus. Adversarius aut non intelligit Quæstionis statum, aut certé dissimulat. 2. *Respondeo*: Ecclesiam dici ab Origene plenam fulgore, hoc est, veritate. Sic enim ille fulgorem allegoricé exponit, & interpretatur, eodem in loco, in principio homiliæ. *Scire debemus & illud*, (inquit) *quoniam veritatis fulgor non aliquo quidem Scripturarum loco apparet, ex alio autem Scripturarum loco non defenditur: sed ex omni loco Scripturarum, sive ex Legis, sive ex Prophetarũ, sive ex Evangeliorum, sive ex Apostolorum Scriptura defenditur. Et exiens hic fulgor veritatis ab oriente, (id est, ab initiis Christi) apparet usq; ad dispensationem passionis ipsius, in qua est occasus ipsius.* Nos concedimus, ecclesiam esse columnam veritatis; atque hoc totum est, quod Origenes ait.

Secundum testimonium est Cypriani in lib. de unitate ecclesiæ, sive de simplicitate prælatorum. *Ecclesia Domini luce perfusa, radios suos per orbem terrarum spargit.* *Respondeo*: 1. Quid ex hoc sequitur? ecclesiam esse visibilem? nequaquam. Concedimus quidem, ecclesiam esse Christi lumine perfusam; sed est internum hoc lumen Spiritus sancti, non est lux aliqua externa. Non est ergo hoc lumen omnibus manifestum. 2. Fatemur, ecclesiam jam radios suos per totum orbem sparsisse: non tamen hinc sequitur, fore ut illi radii perpetuó sic fulgeant. Licét hoc quidem ad aliam Quæstionem pertineat. Sed quanquã esset orbis plenus ecclesiarum: tamen catholicam ecclesiam nemo videret.

Tertium testimonium est Chrysostomi in homil. 4. in cap. 6. Isaiæ. *Facilius est solem extingui, quám Ecclesiam obscurari.* *Respondeo*: Videtur hic quidem manifestus locus. Verúm nihil aliud vult Chrysostomus, quám

quám eccleſiam eſſe æternam &immortalem,&nullo modo deleri aut expugnari poſſe: at non ideo eſt viſibilis. De eccleſiæ enim æternitate, non de ejus viſibilitate disputat Chryſoſtomus, quemadmodum ex ipſo loco patet. Ait enim,tyrannos qui eccleſiam oppugnârunt, periiſſe: ſed illam nunquam victam eſſe. Et rationem ſubjungit, quia Eccleſia (*inquit*) *radices in cœlo fixas habet, potiús quám in terra. Imó Eccleſiam eſſe cœlo honoratiorem*, affirmat. *Nam quare* (inquit) *conditum eſt cœlum?* Reſpondet, *propter Eccleſiam.* Non ergo viſibilem multitudinem intelligit. Nam cœlum propter nullos conditum eſt,niſi pios: eſt ergo eccleſia piorum tantúm; & quia pii ſunt occulti, ergo eccleſia non eſt viſibilis.

Quartum teſtimonium eſt Auguſtini, idq; triplex: *Primum* ſumitur ex lib. 3. contra Epiſt. Parmeniani, cap. 3. ut ille ait, ſed habetur cap. 5. *Nulla eſt ſecuritas unitatis, niſi ex promiſſis Dei, Eccleſiæ declarata; quæ ſupra montem, ut dictum eſt, conſtituta, abſcondi non poteſt. Secundum* ſumitur ex tractat. 1. in Epiſt. Joan. *Nunquid digito oſtendimus Eccleſiam, fratres mei? nónne aperta eſt? Tertium* ſumitur ex tractat. 2. in eandem Epiſtolam: *Quid ampliús dicturus ſum, quám cæcos, qui tam magnum montem non vident, qui contra lucernam in candelabro poſitam oculos claudunt? Reſpondeo:* Ait q.dē Auguſtin⁹, Eccleſiam eſſe civitatem in monte poſitam, non poſſe abſcondi, eſſe apertam, & in manifeſto conſtitutam; cæcos eſſe, qui illam non vident. Loquitur ille de ſtatu Eccleſiæ illorum temporum, qui fuit quidem illuſtris & manifeſtus. Disputat enim contra Donatiſtas, qui nuſquam, præterquam apud ſe, Eccleſiam eſſe affirmabant; cúm tamen multas illuſtriſſimas Chriſti Eccleſias cernere potuerint, ſi oculos habu-

issent. Non autem ait Augustinus, talem perpetuó fore Ecclesiæ statum. Nunc enim non ita frequentes sunt Ecclesiæ, ut olim; & si essent, tamen catholica ecclesia esset omnino invisibilis. Redarguit quidem meritó Donatistas Augustinus. Quemadmodum enim qui solem meridiano tempore claré splendentem non vident, eos esse cæcos dicimus: sic ii quidem cæci sunt, qui ecclesias florentes non vident. At fieri potest, ut sol occidat; & tum cæci non sunt, qui illum non vident, quia tum á nullo videri potest. Sic nec ii cæci sunt, qui ecclesiam latentem, & afflictionum nubibus obscuratam, non vident. Sol enim iste ecclesiæ non semper in nostro horizonte est. At nemo tamẽ est, q negabit lucere solem, nisi ipse solis lucem viderit: ita potest Ecclesia esse, etsi non sit omnibus conspicua. Atque ita omnia Adversariorum argumenta profligata sunt.

CAPUT TERTIUM.

In quo argumenta nostra proponuntur & corroborantur, ad quæ Bellarminus aliquid respondet.

JAm sequitur, ut ad argumenta nostra veniamus, quibus causam nostram stabiliamus. Et primó quidem ea argumenta proponemus, quæ Bellarminus ipse cap. 15. tractat, sed delicaté admodum, ne comminuat. Quanquam ille quidem vera argumenta prætermittit, & ficta quædam, nescio quæ, excogitavit.

Primum nostrum argumentum, ab illo citatum, sumitur ex Jerem. 31. 33. *Dabo legem meam in cordibus eorum, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Ex his verbis sic ille proponit nostrum argumentum. Distinguit hîc Deus (inquit) ecclesiam novi Testamenti

menti ab ecclesia veteris Testamenti, quód illa fuerit cœtus quidam externus, & propterea habuerit Legem scriptam in tabulis externis & lapideis: ista autem sit populus quidam interior, & propterea Legem habeat scriptam in cordib. Sic ille nostrum argumentũ pro nobis proponit. Verúm oportuit eum ostendere, quis nostrûm hujusmodi argumẽto usus sit. Sed cujuscunq; tandem sit, ille manifestẽ eo abutitur. Nã populus ecclesiæ Christianæ non magis internus est, quám fuit olim populus ecclesiæ Judaicæ; & illi quoq; Legem in cordib. scriptam habuerunt, etsi non tam copiosé, quám nunc pii habent. Sed q̃d ille respondeat, videamus. Ait ille, Jeremiã non conferre ecclesiam cũ Synagoga, sed Testamentũ novum cum veteri. *Respondeo*: At verisimilius tamen est, Prophetam populum cum populo, quám Testamentum cũ Testaméto comparare, ut ex ipso loco colligi potest. Et fœderis quidem diversitas populum diversũ facit. Sed esto, demus Adversario, quod sibi sumit. Quomodo ergo fœdera duo inter se comparat Propheta? quodnam est novum illud Testamentũ? Charitas, inquit, quę est Lex in cordib. scripta. Quod vet'? doctrina exterior, sive Lex scripta in lapidibus. At manifestum est, Prophetam non novum & vetus Testamentum inter se conferre, tanquã fœdera diversa, sed de uno eodemq; fœdere loqui, pro temporũ ratione vario. Est enim unum idemq; fœdus, licét p ratione temporis diverso modo initum. Hoc ex cõtextu patet. Nam ait Deus, se inditurum esse Legem suam cordibus illorum. Quid? nullíne igitur fuerunt ex veteri populo, quibus Deus in cordib. Legem suam inscripsit atque insculpsit? imó aliquibus eorum multó magis quám nobis, licét nũc plurib. quã olim.

Atque hæc differentia est. Num enim existimabim', veterem illum populum, nullum aliud fœdus habuisse, quám Legem in tabulis scriptam? tum nulli omnino ex iis servari potuerunt. Nam hæc Lex per se nullos servat, ut Adversarius ipse fatebitur: at multi ex illis servabantur. Præterea illíne omnes charitate carebant? absurdum. Etsi quidem non tam laté fusa est in illos Dei charitas, quám in nos. Sed addit Adversarius: Etiamsi novum Testamentum sit proprié charitas, quæ est Lex in cordibus scripta: tamen non sequitur, ecclesiam novi Testamenti esse invisibilem. Itaque *respondeo:* Nos non magis novi Testamenti, quám veteris ecclesiam, invisibilem esse dicimus. Nam & illa & hæc re eadem est, & non nisi modo diversæ sunt. Sed ex his, quæ dat Adversarius, sic argumentor. Testamentum novum est charitas (inquit) scripta in cordibus. Hinc duo argumenta colligo.

Primum est, ecclesiam ex solis bonis constare. Illud autem sic probo. Ea est ecclesia novi Testamenti, cum qua Deus novum fœdus pepigit; at cum nullis novum fœdus pepigit, nisi qui charitate prediti sunt: ergo ecclesia novi Testamenti in iis tantúm est & consistit, qui charitate prædíti sunt. Hoc facit contra illam Adversarii sententiam in superiore Quæstione, qua statuit, nullam internam virtutem ad hoc requiri, ut quis sit membrum ecclesiæ Christi.

Secundum est hujusmodi. Oculi non vident, neq; sensus externi dijudicant, quibuscum hoc charitatis fœd' Deus fecerit: at cum ecclesia catholica hoc fœdus fecit: ergo ecclesia catholica est invisibilis. Nequaquam, inquit Bellarminus. Ecclesia enim etsi habeat multa invisibilia, tamen ipsa est visibilis. Idque illustrat

illustrat similitudine animalis. Animal (inquit) videtur; sed multa in animali non videtur, ut cor, hepar, spiritus vitales, & similia. Sic Ecclesia potest esse *visibilis*, licét habeat in se quædam, quæ non cernantur. Sed *respondeo*: iniquam hanc esse Ecclesiæ & animalis comparationem. Quę enim in animali per se non videntur, ea per effecta necessaria & naturalia videntur: ut cor ex palpitatione: & quia vivit animal, ex eo hæc omnia illi inesse intelligimus. At in Ecclesia non similiter se res habet. Non enim qui hominem videt, eum statim fidem aut charitatem habere videt; quantumvis dicat & faciat multa, quæ á fide & charitate provenire videntur: quia possunt etiam hypocritæ similiter facere. Possumus quidem probabilem conjecturam facere, hunc vel illum hominem vera fide ac charitate præditum esse: tamen non hoc visus judicat, ut in animalibus, & rebus naturalibus fit. Præterea ista etiam, quæ abdita latent in animali, si fiat corporis humani anatomia, videri possunt: at si in mille partes disectus fuerit homo, fides tamen & charitas ejus videri non possunt. Ergo cúm ex visu dijudicari non possit, quis fidem & charitatem habeat, quis non: sequitur, Ecclesiam visibilem non esse. Potest quidem aliquis ex visu judicare, num animal cor habeat, an non: ergo hæc comparatio aliena est. Subjungit tandem Adversarius aliquid, quod cõtra ipsum vel maximé facit. Ait, hæc dona invisibilia, fidem, spem, & charitatem, esse necessaria in Ecclesia. At antea dixit, nullam internam virtutem esse necessariam ad hoc, ut aliquis sit membrum Ecclesiæ. Ita secum ipse pugnat, ut semper sophistæ solent. Nam hæc duo conciliari nullo modo possunt; virtutes esse necessarias in Ecclesia, & virtutes non esse in Ecclesia

neceſſarias. Sed nunc argumentum ex hoc loco proprié colligam, quod in hunc modum inſtituo. Quibus Deus Legem in cordibus inſcripſit, & quorum ipſe eſt Deus, & qui ejus populus ſunt, ii viſu aſpectuque dijudicari non poſſunt: at hi tantúm ſunt Eccleſia Chriſti Catholica: ergo catholica Chriſti Eccleſia oculis dijudicari non poteſt, hoc eſt, eſt inviſibilis. Hoc argumentum Bellarminus ne attingit quidem.

Secundum noſtrum argumentum á Bellarmino citatum, ſumitur ex Luc. 17. 20. *Regnum Dei non venit cum obſervatione, neq; dicent, ecce hîc, aut ecce illîc; Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt.* *Reſpondet* Bellarminus, per Regnum Dei intelligi, vel gratiam, per quam Deus nunc regnat in cordibus hominum, ut Theophylactus; vel ipſum Chriſtum, ut Beda exponit. Loquitur enim eo loco Chriſtus (inquit) de utroque ſuo adventu. *Reſpondeo*: Regnum Meſſiæ hoc loco intelligi, dubium non eſt, illud nimirum, de quo tam multa Prophetæ prædixerunt. Hoc autem Regnum eſt ſtatus ille, per quem Chriſtus in ſuis regnat. Non hîc Chriſtus de ſuo adventu vel primo vel ſecundo agit, etſi aliter aliqui ſtatuant: ſed de noſtra renovatione, per quam in Regnum Chriſti, hoc eſt, in catholicam Eccleſiam ingredimur. Et argumentum non malé hinc colligitur, cujuscunque tandem ſit. Regnum Dei eſt numerus eorum, in quibus Deus regnat, & qui ad cœleſtem vitam renovantur: Regnum autem hoc non venit μετὰ παρατηρήσεως, *cum obſervatione*, hoc eſt, cum ſignis apertiſſimis, cum pompa, cum ſplendore, ſed clam & occultè ſerpit: ergo Eccleſia catholica, quæ eſt hoc Regnum, non habet hujusmodi illuſtrem pompā & ſplendorem; ſed ejus initia, progreſſus, incrementa, occulta ſunt, adeó ut á nemine

ſenſibus

sensibus externis percipi possint. Itaque sequitur, ecclesiam non esse *visibilem* hominum successionem, quemadmodum hujus mundi regna sunt; quorum initia videri possunt, incrementa clara sunt, progressus manifesti. Falsissimum ergo illud est, quod Sotus ait in confessione sua Catholica, quam ille confessioni VVirtembergensi opponit, ecclesiam non minus esse manifestam, quám sunt humanæ Respublicæ, aut regna humana; ut Respublica Venetorum, Regnum Galliæ, aut Hispaniæ, aut alia quæcũq; Regna, & Respublicæ. Si enim hoc verum esset, tum falsum illud esset, quod Christus ait, Regnum Dei non venire μετὰ παρατηρήσεως. Nam illa regna cum observatione veniunt. Quomodo enim Romanum imperium cœpit, quos progressus habuit, quæ incrementa, quodq; jam magna ex parte splendorem suum amisit, observare possumus, & oculis dijudicare. Denique aliorum Regnorũ hujus mundi progressus, incrementa, decrementa, totumq; statum, agnoscere facilé, & intelligere omnes possunt. At hoc Regnum Dei, hoc est, Ecclesia Catholica, radices agit clandestinas atque occultas, & paulatim ac occulté proreditur, adeó ut illius incrementa & progressus videre nemo aut intelligere possit. Itaq; optimé sequitur ex hoc loco argumentum; quia Ecclesia Dei non venit cũ observatione, ideo nõ esse *visibilem*. Glossa ordin. hũc locũ sic interpretatur: *Non poterit observari; quia regnum meum non est temporale, sed spirituale, quod fide jam cœpit.* Si regnũ Dei spirituale sit, tũ certé nõ est *visibile*.

Tertium nostrum argumentum á Bellarmino citatum, sumitur ex Joan. 4. 23. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*: ergo (ut ille pro nobis concludit)

Ecclesia novi Testamenti non consistit in aliquo signo exteriore, nec est alligata locis & ceremoniis corporalibus. Nescio certé an aliquis nostrûm hoc Scripturæ loco in hac causa utatur. Sed tamen operæpretium est videre, quid ille respondeat. Ait ergo ille, præcipuum cultum Ecclesiæ esse internum, idq; tantúm hoc loco declarari. *Respondeo*: Sumamus quod dat. Ergo quod est in Ecclesia præcipuum, internum est, ideoque invisibile. Ecclesia quidem habet externum cultum, ac propterea externas ceremonias; sed hic non est præcipuus ejus cultus, etiam ex confessione Adversarii. Ergo non propter hunc cultum est Ecclesia. Nam propter cultum præcipuum Ecclesia est; ille autem est internus: ergo internum illud est, propter quod Ecclesia est Ecclesia. *Deinde* ait, sensum esse, *Neq; in hoc monte, neq; Hierosolymis adorabitis Patrem*, id est, neque ritu Samaritanorum, neque ritu Judæorum, sed ritu Christianorum. *Respondeo*: Fateor his verbis declarari, ceremonialem illum cultum abrogandum esse: sed simili indicat Christus, cultum verú esse spiritualem. *Deus spiritus est* (inquit) *& qui adorãt eum, oportet ut adorent πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ, spiritu & veritate.* Unde sic argumentum ex hoc loco instituo. Si ea sola sit vera Christi Catholica Ecclesia, quæ spiritu & veritate Deum colit & veneratur, tum Ecclesia Catholica est invisibilis: at verum primum: ergo & secundum. Consequentia majoris manifesta est. Nã visus non dijudicat, qui spiritu & veritate Deum colunt; quia idem faciunt hypocritæ, quod veri adoratores, quantum nos judicare possumus. Assumtio probatur. Nam vera Christi Ecclesia in veris tantúm adoratoribus consistat necesse est, non in iis qui veri tantúm adoratores videntur, sed Deum veré non adorant:

adorant: Veri autem adoratores non ſunt visibiles, neque poteſt oculus de illis judicare; quia multi ſunt hypocritæ, qui aſpectum noſtrum latent: Sequitur ergo ex neceſſitate conclusio, Eccleſiam ſcilicet invisibilem eſſe.

Quartum noſtrum argumentum, á Bellarmino citatum, ſumitur ex Heb. 12. 18. *Non enim acceßiſtis ad tractabilem montem, & incenſum ignē, ſed ad montem Sion, & civitatem Dei viventis.* Unde sic ille pro nobis concludit. Synagoga (inquit) comparatur monti Sinai visibili, & tangibili; Eccleſia autem monti Sion ſpirituali. Nec cujus hoc sit argumentum, ſcio. Sed quid ille reſpondeat, videamus. Hoc totum eſt, quod huic argumento reſpondet Adverſarius, per montem Sion hoc in loco, Eccleſiam intelligi, non militantem, ſed triumphantem. *Reſpondeo*: Ergo fatetur, hunc montem Sion, quem hoc in loco cum monte Sinai comparat Apoſtolus, eſſe invisibilem. At hic mons Sion Eccleſiam Catholicam significat (quam etiam cœleſtem Hieruſalem vocat, ut eam illi terreſtri Hieruſalem opponat) non jam uni alicui loco affixam, ſed per totum mundum propagandam. Nec tamen antea erat Eccleſia illa visibilis, quæ ibi monti Sinai comparatur; ſed erat tantum magis alligata loco; quia in una regione concluſa fuit, & quodammodo terrena, propter externos illos ritus & ceremonias, & elementa mundi, ut vocat alibi idem Apoſtolus. Atque hoc quidem ſenſu & reſpectu á nonnullis magis visibilis dici ſolet Eccleſia illa, noſtra veró minús visibilis; quia ab iſtis ceremoniis libera eſt, ejusque nunc totus cultus internus & ſpiritualis eſt. Et ut arctiſſimam conjunctionem oſtendat Apoſtolus inter Ecclesiam militantem & triumphantem: ſubjungit

eosdē, quos ibi alloquitur, accessisse *ad cōventū universalē & Ecclesiā primogenitorū, qui conscripti sunt in cœlis, & judicem universorū Deū, & spiritus justorū, qui perfecti sunt*, ut qui ad Ecclesiam Christi per Evangelium vocātur, ii quodammodo in cœlos, & cœtum Patriarcharum atque Angelorum admissi esse videantur.

Quintum nostrum argumentum, quod á Bellarmino citatur, sumitur ex 1. Pet. 2. 5. *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctū, offerentes spirituales hostias Deo.* Hæc spiritualis domus est Ecclesia, ergo Ecclesia est *invisibilis*. Hoc argumētum pro nostro agnoscimus, & in hunc modum instituimus. Si Ecclesia sit domus spiritualis, tum est *invisibilis*: at verum primum: ergo & secundum. *Respondet* Adversarius distinguendo. Ait enim, duobus modis dici aliquid spirituale; uno modo secundúm substantiam, ut Ephes. 6. 12. angeli mali dicuntur *spirituales nequitiæ in cœlestib⁹*: altero modo secundū ordinationem ad spiritum, quia ordinatur aliquid ad spiritum, vel quia spiritus in eo dominatur, ut 1. Cor. 2. 15. dicitur *homo spiritualis omnia dijudicare*, & 1. Cor. 15. 44. *Est corpus animale, & est corpus spirituale*; & 1. Pet. 2. 5. vocantur *hostiæ spirituales* omnia bona opera, ut eleemosyna, & jejunium. Et hoc secundo modo ait Ecclesiam, domum spiritualem á Petro appellari, quia Petrus vult Ecclesiam esse domum, non ex lignis & lapidibus, sed ex hominibus Deo consecratis ædificatam. *Respondeo*: Agnoscimus veram distinctionem, sed minús necessariam. Nos enim non dicimus, Ecclesiam dici spiritualem domum, quód ex solis spiritibus constet, aut ex iis, qui nil nisi spirituale habēt; habet. n. Ecclesia & corpora, & spiritus: sed dicimus spiritu fieri, ut homines sint de Ecclesia, & sint ipsa

ipſa Eccleſia, ac propterea Eccleſiam domũ ſpiritualẽ dici. Nõ. n. ſunt homines Eccleſia, hoc eſt, dom⁹ hæc ſpiritualis, quód corpora habeãt, quibus inter ſe cõjunguntur, & in unum aliquẽ externũ cœtũ coëunt: ſed quód in unam ſocietatẽ, & quaſi ſtructuram myſticã, per Spiritũ S. coaleſcunt & copulantur. Etſi. n. illi, qui ad hãc domũ pertinent, habeãt corpora, quæ ſunt viſibilia: tamẽ quatenus tales ſunt, qui hanc domum conſtituũt, aſpectu judicari nõ poſſunt. Ita argumentũ eſt neceſſariũ. Si Eccleſia ſit domus ſpiritualis, tum eſt *inviſibilis*: (nam domũ ſpiritualẽ quis unquã vidit?) at Eccleſia domus ſpiritualis eſt; nõ eſt. n. domus materialis, quæ ex lapidib. calce, cæmento, lignis conſtruitur: ergo Eccleſiam *inviſibilẽ* eſſe neceſſe eſt. Ex quo ſequitur, abſurdé comparari Eccleſiã Reipub. Venetorum, aut aliis externis regnis, & Rebuspublicis, quę certis locis certæq́; hominũ ſucceſſioni alligantur; quia Eccleſia ad certas ſedes, & ſucceſſionẽ certã, aliaq́; hujusmodi non eſt alligata; hæc. n. non ad ſpiritũ, ſed ad corpus referuntur. Reſpublica Venetorum non eſt ſpiritualis, nec primo, nec ſecundo modo: ergo Eccleſia nõ eſt talis ſocietas, qualis eſt Reſpublica Venetorũ. Si videri poſſet Eccleſia, non eſſet ſpiritualis. Homines quidẽ videntur: ſed ut hãc domũ conſtituũt, non videtur. Sed forſan aliqui dicent, eos, quos Petrus ſpiritualẽ domũ vocat, eſſe illos omnes, qui in Eccleſiis particularib. & viſibilib. tum verſabantur, inter quos reprobi nonnulli erãt. Verúm ex ipſo loco id poteſt refelli. Nam qui ad hãc domum pertinent, ſunt ἱεράτευμα ἅγιον, *ſacerdotium ſanctum*, & offerunt Deo πνευματικὰς θυσίας, εὐπροσδέκτους τῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ, *ſpiritualia ſacrificia, Deo accepta, per* CHRISTUM JESUM. Num hæc de

impiis possunt affirmari? nullo modo. At certé non minús de impiis ista dici possunt, quàm illos ad Ecclesiam Catholicam pertinere. Sic igitur denuó argumentum repeto. Domus nulla spiritualis est *visibilis*: at Ecclesia Catholica est οἶκος πνευματικὸς, *domus spiritualis*: ergo non est *visibilis*. Catharinus Papista in hunc locum sic scribit: *Christus est lapis vivus, angularis, fundamentum, super quod illi omnes hærentes* (pii scilicet & fideles) *superædificantur, ut fiat ex eis simul, charitatis glutino conjunctis, tanquam domus quædam, sed spiritualis. Spiritu enim compaginatur, & surgit habitatio Dei congrua, qui spiritus est.* Ex quibus verbis colligo, Ecclesiam esse *invisibilem*. Quis enim unquam charitatis gluten vidit? quis spiritus compaginem? quis domum, quæ quasi domus est, metaphoricam, spiritualem? quis lapides vivos? Ecclesia vivi lapides sunt: nemo tales lapides vidit unquam: ergo nemo unquam Ecclesiã vidit. Huic argumento non satisfecit Adversarius, nec certé propiús accedit, ne forte aliquo modo lædatur.

Sextum & *ultimum* nostrum argumentum á Bellarmino citatũ, sumitur ex Symbolo, estq; hujusmodi. Esse Ecclesiam, est articulus fidei: ergo non videtur Ecclesia, sed creditur. Necessarium omnino argumentum. Adversarius varié se vertit, & in varias partes se torquet, ut hoc argumentum diluat, eique satisfaciat. *Respondet* veró *primó*, nõ poni in Symbolo tantúm, *Credo Ecclesiam*, sed, *Credo sanctam Ecclesiam*: Ecclesiam videri, sanctitatem veró Ecclesiæ *invisibilẽ* esse, nec posse videri, sed credi tantúm. Et sic etiam Turrianus respondet in Dibiblo, pag. 96. Sed *respondeo*, hanc esse ridiculam explicationem & responsionem. Nam 1. hæc responsio cum illorum defensione pugnat.

pugnat. Credunt enim Ecclesiam esse sanctam. Aut ergo totam Ecclesiam sanctam esse credunt: aut non totam, sed ejus partem tantúm. Si totam, tum evertunt suam Ecclesiæ definitionem; quæ etiam improbos & non sanctos complectitur. Talem veró credant Ecclesiam esse, necesse est, qualem definiunt. Si veró partem tantúm sanctam esse credant, ut revera credunt: tum illi non credunt Catholicam Ecclesiam sanctam esse. Nam quid aliud est catholica Ecclesia, quám tota Christi Ecclesia? 2. Sensus articuli non est, video Ecclesiam Catholicam, & credo esse sanctam: sed, credo & Ecclesiam Catholicã esse, & eandem esse sanctam congregationem. Utrumq; igitur fidei est. Sanctitas enim est tantúm Ecclesiæ adjunctum. Aliud ergo est Ecclesia Catholica, aliud sanctitas Ecclesiæ Catholicæ. Non credunt ergo Ecclesiam, si ejus tantúm sanctitatem credant. Bellarminus hunc articulum sic legit, *Credo Ecclesiam Catholicam esse sanctam*, cum sic potiús legendus sit, *Credo esse Ecclesiam Catholicam sanctam, Apostolicam &c.* Quid enim? num Adversarii nostri non credunt Ecclesiam Catholicam esse? tum certé sunt in numero infidelium. 3. Deinde naturâ prius est esse aliquid, quám quid aut quale esse. Quæstio, an sit, prior est quæstione, quid sit. Si ergo credant, Catholicam Ecclesiam esse sanctam, necesse est antea credant Catholicam Ecclesiam esse. Exempli gratiâ. Qui Deum sapientem, veracem, justum, omnipotentem esse credunt, eos oportet priús credere, Deum esse. Sic nos Ecclesiam esse primó credamus necesse est, deinde sanctam esse. Ita Adversarii nostri articulum unum é Symbolo plané tollunt, cúm negant se Ecclesiam credere, sed videre tantúm ajunt; & hanc, quam vi-

dent, sanctam esse credere. Sic Bellarminus hoc in loco. Sic Turrianus etiam, ut priús dictum est. At nos utrumq; credimus, & esse Ecclesiam, & esse sanctam. Alii veró Papistæ minús sunt impudentes, nec audent negare, se credere Ecclesiam. Sic Costerus in libello sodalitatis, in explicatione Symboli, Ecclesiam credendam esse ait. Et Stapletonus in lib. 2. de princip. doctrin. cap. 19. hac responsione non utitur. Nec Bellarminus ipse videtur huic responsioni valde confidere. Statim enim ait: Sed meliús dico &c. & aliam responsionem subjungit. Nos veró argumentum nostrum sic instituimus. Si creditur Ecclesia; tum non oculis, sed fide percipitur; quæ enim creduntur, objecta sunt menti; quæ videntur, sensibus subjecta & exposita sunt: at Ecclesia creditur: ergo fide, non oculis percipitur, *Respondet* igitur *secundó* Bellarminus, & meliús, ut ille ait: in Ecclesia aliquid videri, & aliquid credi. Attendite dextram distinctionem. Videmus enim (inquit) eum cœtum hominum, qui est Ecclesia: sed quód ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus. Sic sponte sua tandem eó venit, quó nos eum deducere cupimus; nam hæc plané nostra sententia & confessio est. Ergo jam Adversarius in castra nostra transiit. Nos enim quoq; homines videri dicimus, qui Ecclesiam constituunt, quatenus homines sunt, nisi amentes simus: sed an illi homines sint Ecclesia, id non videri, nec ex sensuum judicio intelligi posse affirmamus; & hoc est, ecclesiam non videri. Nisi enim scias, hunc quem vides cœtum, esse Ecclesiam: non potes certó affirmare, te videre Ecclesiam. Tenete verba, *Quód ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videtur, sed creditur* (inquit Bellarminus:) ergo vera Christi

Chriſti Eccleſia non videtur, ſed creditur. Nam etſi profeſſores & homines vides: tamen quód hæc ſit eccleſia, nõ vides. Ergo hoc ipſum, hanc eſſe Chriſti veram & Catholicam Eccleſiam, non eſt visibile. Sed pergit adhuc Adverſarius noſtram ſententiam confirmare. *Vera Eccleſia eſt* (inquit) *quæ profitetur Chriſti fidem. Quis autem evidenter ſcit, noſtram fidem eſſe Chriſti?* Ex quibus verbis duo colligo contra ipſos Adverſarios. *Primum* eſt, differentiam conſtitutivam Eccleſiæ eſſe veram fidem Chriſti? ergo hæc eſt veriſſima nota Eccleſiæ, quod tamen alibi improbat. Et hoc etiam pugnare videtur cum eo, quod in ſuperiori quæſtione dixit, fidem non eſſe neceſſariam ad hoc, ut aliquis ſit de Ecclesia. *Secundum* eſt, propterea quód vera fides non oculis objicitur, ſed ſenſus noſtros latet, ob eam cauſam, veram Eccleſiam non eſſe viſibilem, ſed credi tantúm. Cúm enim non videas, quæ ſit vera fides: non vides, ſed credis, quæ ſit vera Eccleſia. Nam aliud (inquit) eſt credere, aliud videre; cúm ipſum credere ab Apoſtolo definiatur *argumentum non apparentium*. Hæc omnia noſtrã cauſam confirmant, cúm tamen ad illius ſententiam confirmandam adducantur. Sed ſubjungit præterea aliquid, quod multó adhuc magis ſententiam noſtram cõfirmat, & illorum ſententiam refellit. Nam ut ſuam mẽtem meliús declaret, & reſponſionem ſuam apertiús explicet, hujusmodi ſyllogiſmum proponit. Eccleſia Chriſti eſt cœtus hominum, profitentium Chriſti fidem, ſub regimine legitimorum Paſtorum; ſed iſti qui ſubſunt hodie Romano Pontifici, ſunt talis cœtus; igitur ſunt Eccleſia Chriſti. In hoc ſyllogiſmo ait majorẽ eſſe de fide, minorem totam eſſe ſenſus, quia nihil ponitur in minore, quod non oculis aut auribus percipiatur.

Respondeo: 1. Aures cum oculis hac in re non sunt conjungendæ. Nam auribus percipimus, quæ longissimé á visu absunt. Nec disputamus, opinor, an audibilis sit ecclesia (si ita loqui liceat) sed an sit visibilis. Sunt igitur aures ab oculis in hac Quæstione necessarió removendæ & distinguendæ. 2. Id quod in minore positum est, visu judicari, falsissimum est. Non enim visibile est, hunc cœtum profiteri veram fidem. Num enim vera fides visibilis est? num visus de fide judicat? num quis sit vera fide præditus, sensibus percipi potest? Præterea, num hoc oculis externis agnosci ac dijudicari potest, hos esse legitimos Pastores? tum certé nihil aliud in legitimo Pastore requiritur, nisi ut locum legitimi Pastoris teneat. Quis oculus veros Episcopos, & legitimos Pastores potest discernere? nisi hoc satis sit ad legitimũ Episcopum & Pastorem constituendum, in loco celso sedere, habere mitram, & alia insignia, & ritibus quibusdam externis uti. At alia multa in legitimis Episcopis & Pastoribus requiruntur, quæ oculis videri & judicari non possunt. 3. Secum ipse apertissimé pugnat in hac oratione. Nã priús dixit, quód hic vel ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videri, sed credi: quia illa est vera Ecclesia, quæ fidem veram profitetur: at nemo evidenter scit (inquit) nostram fidem esse Christi. Nunc veró ait, posse auribus vel oculis percipi, cœtum illorum hominum, qui subsunt Pontifici Romano, veram Christi fidem profiteri. Hæc pugnantia sunt. Atque ita quidem necesse est eos omnes hallucinari, qui falsam causam defendunt. Præterea exempla etiam illa, quæ ad responsionem illius illustrandam ab ipso afferuntur, nostram similiter causam confirmant, & contra ipsum faciunt.

unt. *Primum* exemplum eſt de Chriſto. Illum hominem (inquit) qui eſt Chriſtus Dei filius, Apoſtoli videbant: & tamen illum eſſe Chriſtum Dei filium non videbant, ſed credebant. Hoc eodem exemplo utitur Stapletonus. *Reſpondeo:* Ego hoc exemplum probo. Ut hominem, Chriſtum omnes videbant, non Apoſtoli tantúm, verumetiam alii; ſic nunc omnes vident illos homines, qui ſunt Ecclesia, non minús quám alios homines. Nam nos non dicimus, homines eſſe invisibiles. Sed ut illum hominem eſſe Chriſtum Dei filium, mundi ſervatorem & mediatorem inter Deum & hominem, oculi non oſtendebant: ita nec hos homines eſſe Ecclesiam: ideoq; Ecclesia non eſt visibilis. Alioqui poſſet obtutus noſter, & acies oculorum noſtrorum, ad ipſam fidem hominis penetrare, ad ſpem ipſam, ad omnes denique internas animi virtutes, addo etiam ad ipſam Dei electionem. Auguſtinus in tractat. 79. in Johan. de Thoma Apoſtolo ſic ſcribit: *Ille, cui dictum eſt, quia vidiſti, credidiſti, non hoc credidit, quod vidit; ſed aliud vidit, aliud credidit; hominem enim vidit, Deum credidit.* Si ergo credimus Ecclesiam, certé non videmus. Similiter Gregorius Magnus in homil. 26. in Evangelia, de eodem Thoma in eundem pené modum ſcribit: *Hominem vidit, & Deum confeſſus eſt.* Et pauló antea ait: *Quæ apparent, jam fidem non habent, ſed agnitionem.* Exemplum *alterum* á Bellarmino allatum eſt de Baptiſmo. Ait, in Symbolo credi *unum Baptiſma.* At in Symbolo tamen Nicæno eſt, ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα, *Confiteor unum Baptiſma*, quod aliud eſt, quám credere. Sed pergit Bellarminus, & ait, aquæ aſpersionem, & verborum prolationem in Baptiſmo, videri, & ſentiri: ſed illam aquæ aſpersionem, & verborum prolationem,

esse Baptisma Christi, id est, Sacramentum quoddam; non videri, sed credi. Verum hoc quidem est. Aquam enim videmus, & ceremoniam externam in Baptismo; at hoc esse Sacramentum, non videmus, sed credimus. Similiter nos de Ecclesia dicimus, homines nimirum, qui ad ecclesiam pertinent, tam esse conspicuos, quám sunt cæteri homines; sed quatenus ad Ecclesiam pertinent, non esse visibiles. Ita nostrum argumentum suas vires habet: Ecclesia creditur: ergo non videtur. Augustinus in quodam loco sic scribit: *Actus fidei, est credere, quod non vides:* ergo non est fidei quod videtur. Sic Gregorius in homil. 32. in Evàngelia. *Quod videri potest, meliús dicitur sciri, quám credi.* Et Hugo de sancto Victore in parte 3. lib. 1. de Sacramentis, parte 10. cap. 2. in fine sic scribit. *Unum illud pulchrum dictum est; nam si vides, non est fides.* Ergo hoc argumentum á Symbolo sumtum, firmissimum est. Credimus Ecclesiam: ergo non videmus. Atque hæc sunt omnia argumenta, ad quæ Bellarminus aliquid respondet. Sed non potuit ille nescire, nobis plura argumenta esse, quæ ille fortasse prudens omisit, quia vidit non facilé dilui posse. Nunc igitur sequitur, ut nos alia nostra argumenta adjungamus.

CAPUT QUARTUM.

In quo alia quædam argumenta nostra á Bellarmino prætermissa proponuntur.

PRimum nostrum argumentum sumitur ex Ephes. 5.25.26.27. ubi Apostolus hæc verba habet. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum pro ea tradidit, ut eam sanctificaret, postquam purgasset lavacro aquæ per verbum, ut sisteret eam sibi gloriosam,*

riosam, id est, Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut esset sancta, & inculpata. Hæc verba de Catholica Christi Ecclesia intelligenda esse, nemo dubitat, ne Adversarii quidem ipsi. Unde concludo, eandem esse in hoc mundo invisibilē, quia non videmus, nec visu cognoscimus, quos Christus amat, pro quibus se tradidit, quos veré sanctificavit, & in quibus denique illa perfectio inchoata sit, cujus Apostolus hoc in loco mentionem facit. Sic igitur syllogismum instituo. Si Ecclesia Catholica sit numerus eorum, quos Christus diligit, pro quibus se tradidit, quos sanctificavit, & purgavit lavacro aquæ per verbum, & sanguine suo redemit, quos denique jam quodammodo glorificavit, sed postea magis glorioſos facturus est, sine omni macula & ruga; tum est invisibilis: At verum primum: Ergo & secundum. Majoris consequentia firmissima est. Numerus enim, & cœtus istiusmodi hominum, quorū nuperrimé mentio facta est, plané est invisibilis; quia sensus non dijudicat, quos Christus diligit, redemit, sanctificat, purgat, quos denique glorioſos redditurus est. Minor etiam verissima est, quia ex ipsis Apostoli verbis confirmari potest. Hinc ergo sequitur conclusio necessarió, Ecclesiam scilicet esse invisibilem. Alioqui nobis ostendant, si possunt, Adversarii illos homines, quos diligit Christus, quos sanctificat, quos purgat, quos glorioſos redditurus est. Sed non possunt. Forsan possunt eos ostendere, qui externam quandam fidei professionem edunt, quiq; externam etiam sanctitatis speciem præ se ferunt: sed meminisse oportet, paleas cum tritico, & oves cum hœdis, hoc est, bonos cum malis, in particularibus Ecclesiis misceri.

Secundum noſtrum argumentum, ſumitur ex Pſal. 45. 14. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Quibus verbis docet Propheta, Ecclesiæ Catholicæ internam eſſe gloriam, quæ in animi virtutibus & ornamentis conſiſtit. Unde intelligimus, quantum inter veritatem & Papiſticam ſententiam intersit. Illi enim talem deſcribunt filiam Regis, in qua nulla interna virt' neceſſarió requiratur: at Propheta ait, omnem ejus gloriam internam eſſe. Illi contendunt, ornamenta & decora hujus filiæ Regis eſſe externa (dicũt enim, Ecclesiam eſſe visibilem quandam congregationem, quam ex ſignis externis agnoſcas:) at Propheta ejus gloriam internam, occultam, & invisibilem eſſe affirmat. Ergo multum differunt & diſſentiunt illi á ſententia Prophetæ. Hanc veró filiam Regis eſſe ecclesiam, ipsi etiam Adverſarii concedunt. Nec filiam tantúm Regis, verumetiam Reginam vocat Propheta in eodem Pſalmo. Et utrumque certé verum eſt. Sed qualis illa Regina eſt? num talis, quales ſunt Reginæ hujus mundi? Nihil minus. Nam illarum maxima gloria externa eſt. Auro, gemmis, & externis ornamentis ſplendent; habent ſatellitium magnum, ſplendorem etiam, & pompam externam; ex quibus eas Principes & Reginas eſſe agnoſcamus. Sed diſſimilis eſt gloria hujus Reginæ. Eſt enim interna tota; quam oculis aſpicere, aut ſensibus dijudicare non poſſumus. Non ergò quærenda eſt eccleſia in externis ornamẽtis, ut Papiſtæ dicunt. Eſt quidem Regina, ſed non ſimilis aliis Reginis. Unde etiam apparet, falſum eſſe illud, quod dicunt Adverſarii, ecclesiam eſſe talem ſocietatem, qualis eſt Respublica Venetorum, aut quale eſt Regnum Gallię, & Hiſpaniæ, aliaq; hujus mundi Regna. Tum enim talis

lis esset, quales hujus mundi Reginæ esse solent. At non est. Ex hoc loco tale argumentum colligimus. Si omnis Ecclesiæ splendor, omnis gloria, omnisq; majestas sit invisibilis; tum ipsa Ecclesia est invisibilis: at primum verum: ergo & secundum. Majoris consequentia necessaria est. Nam Papistæ ipsi dicunt, Ecclesiam esse visibilem propter externa ornamenta, & propter splendorem externum. Ergo si non visibilis sit Ecclesiæ splendor, nec ipsa quidem Ecclesia visibilis est. Minor ex hoc loco probatur. Hîc enim Propheta docet, ornamenta hæc externa, non esse propria Ecclesiæ ornamenta, quia tota ejus gloria est ab intus: Ergo sequitur conclusio ex necessitate, Ecclesiam scilicet esse invisibilem. Augustinus lib. 5. contra Donatist. cap. 27. sic scribit: *Omnis pulchritudo filiæ Regis intrinsecus, in quibus est numerus certus sanctorum prædestinatus ante mundi constitutionem.* Ergo Ecclesiæ, id est, sanctorum prædestinatorum (interprete Augustino) pulchritudo interna est, ac proinde invisibilis.

Tertium nostrum argumentum sumitur ex Joh. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt*, inquit Christus; nec audiunt tantúm (nam id alii etiam faciunt) sed custodiunt etiam. Nam subjungit, *Et sequuntur me.* Ergo ejusmodi auditum intelligit Christus hoc in loco, qui cum fide conjunctus est. Per oves intelligit Ecclesiam Catholicam, ut nos antea diximus, hoc est, eos omnes, quos pro suis agnoscit. Illi enim sunt Ecclesia. Huc etiam referendum illud est, quod habetur Matth. 7. in fine capitis, de iis qui in arena, & qui in petra ædificant, & quod Christus ait, Luc. 11. 28. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Ecclesia ergo est eorum tantúm, qui sic audiunt, ut cu-

stodiant; quia Ecclesia est beata, & ii soli sunt beati: Ecclesia Christum sequitur, & ii soli Christū sequuntur: Ecclesia in petra ædificatur, & ii soli in petra ædificantur. Jam ergo syllogismum sic instituo: Si Ecclesia sit numerus eorum qui audiunt Christum & sequuntur illum; qui in petra, non in arena ædificant; qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud; tum est invisibilis: At verum primum: Ergo & secundū. Minorem probavimus. Majoris verò consequentia patet. Non possumus enim, in singulis particularibus Ecclesiis, eos qui sic audiunt Christum, ut illum sequantur, qui in petra ædificant, qui verbum Dei audiunt & custodiunt, ab aliis distinguere, qui Christum tantúm audiunt, & eum non sequuntur; qui in arena, non in petra ædificant; qui audiunt tantúm verbum Dei, non autem custodiunt illud. Si oculus posset hos ab illis distinguere, tum Ecclesia esset visibilis: at non potest: ergo non est visibilis.

Quartum nostrum argumentum sumitur ex 2. Tim. 2. 19. *Solidum stat Dei fundamentum, habens hoc signaculum, Novit Dominus eos qui sunt sui.* Scopus Apostoli hoc in loco est inprimis considerandus. Nam eo semel intellecto, tum verum loci sensum faciliús inveniemus, tum firmius inde argumētum colligemus. Scopus ergo Apostoli est, ut offensionem illam removeret, quæ ex iis oritur, qui deficiunt. Multi enim sunt, qui quando vident alios á fide deficere, parum abest, quin & ipsi etiam deficiant. Huic offensioni occurrit Apostolus hoc in loco, huncque scrupulum ex hominum animis tollere conatur, ne ipsi á fide deficiant, quando vident alios stationem suam deserere. Ait ergo fieri non posse, ut Ecclesia unquam excidat, ut deficiat, ut fidem deserat; quia firmo fundamento

mento nititur, Dei nimirum electione. Jam veró qui ex hoc numero sint, nobis ignotũ est; nam sigillum habet hoc electio Dei, *Novit Dominus, qui sint sui.* Sub sigillo ergo servantur, & nulli præterquam Deo noti sunt. Nisi ergo visu possumus distinguere & dijudicare, qui ad Dei electionem pertineant: ne dicamus Ecclesiam esse visibilem; nam hi soli sunt Ecclesia Catholica. At illos nos nec videmus, nec novimus. Soli enim Deo notos esse ait Apostolus. Nos quidem conturbamur, cúm videmus aliquem á fide deficere; at conturbari nõ debemus; quia Deus eos perpetuó servabit, qui ad Ecclesiam suam Catholicam pertinent. Hinc syllogismum sic instituimus. Si Ecclesia soli Deo nota sit, tum est invisibilis: at verum primũ: ergo & secundum. Augustinus hunc locum sæpe urget. Adversarii nihil habent, quod respondeant, prę-terquam hoc unũ, quod certé nihil est; Apostolum loqui de prædestinatis tantúm. Quod quidem nos fatemur, & horũ tantúm Ecclesiam esse affirmamus. Augustinum etiam dicunt de prædestinatis hunc locum, nõ de Ecclesia interpretari. At Augustinus non distinguit inter Ecclesiam Catholicam, & prædestinatos; nam Ecclesiam in prædestinatis constituit. Hoc patet ex lib. 20. de civitate Dei cap. 8. Ubi sic scribit. *Nunquam ab illo Ecclesia seducetur, prædestinata, & electa ante mundi constitutionem, de qua dictum est, Novit Dominus qui sint ejus.* Ecclesiam ergo Catholicam Augustinus interpretatur numerum electorum, quemadmodum & nos. Similiter in lib. 5. contra Donatist. cap. 27. *Numerus ille justorum, qui secundúm propositum vocati sunt, de quibus dictum est, Novit Dominus, qui sunt ejus: ipse est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viventis, paradisus cum fructu pomorum.* Per

hortum verò concluſum intelligit Eccleſiam Catholicam, ut millies apparet in libris contra Donatiſtas. Ergo Auguſtinus ſemper de prædeſtinatis tantùm Eccleſiam Catholicam interpretatur, quemadmodum interpretamur & nos. Sic Adverſarii non nobis tantùm, ſed Auguſtino etiam contradicunt, cum ita reſpondent, ut Eccleſiam Catholicam á numero prædeſtinatorum diſtinguant.

Quintum noſtrum argumentum ſumitur ex Apoc. 21.10. *Et ſuſtulit me per ſpiritum in montem magnum & ſublimem, & oſtendit mihi civitatem illam magnam, ſanctam (inquam) illam Hieruſalem, é cœlo deſcendentem á Deo.* Ubi legimus, Johannem in ſpiritu abductum fuiſſe ab Angelo, ut videret ſanctam illam civitatem Hieruſalem, é cœlis deſcendentem. Hæc verò civitas eſt Eccleſia Catholica; nam verſ. 9. vocatur *νύμφη καὶ γυνὴ τοῦ ἀρνίου, ſponſa & uxor Agni.* Hanc Angelus Johanni oſtendit. ſed quomodo? num oculis ejus propoſuit? ſanè ſi visibilis fuiſſet, propoſuiſſet. Sed ait Johannes, *ἀπήνεγκέ με ἐν πνεύματι, abduxit me per ſpiritum:* ergo ſpiritu, non oculis cernitur: vidit eam Johannes ſpiritualiter: ergo non visibilis eſt, ſed inviſibilis. Quando enim Angelus Johanni voluit civitatem hanc oſtendere, non illi oſtendit cœtum aliquem aſpectabilem, ſed ſpiritu eum ſeorſim rapuit, ut videret. Non ergo oculis corporis ſubjicitur. Ex hoc loco ſic concludimus. Si Johannes ſpiritu raptus eſt extra ſe, & extra corpus, & extra omnem ſenſum corporis, ut Eccleſiam Catholicam videret; tum Eccleſia Catholica non niſi ſpiritu cernitur: at verum primum: ergo & ſecundum. Adverſarii, ut hunc locum eludant, dicunt, Johannem de ſola triumphante Eccleſia loqui. At hoc Auguſtinus refellit in expoſitione

sitione Apocal. in hunc locum. Ejus hæc verba sunt: *Civitas ista, quæ describitur, Ecclesia est.* sed quæ Ecclesia? num triumphans tantúm? minimé verò, *sed quæ toto terrarum orbe diffusa est.* Et subjungit: *Ideo per quatuor partes civitatis ternæ portæ dicuntur esse, quia per totas quatuor partes mundi, Trinitatis mysterium in Ecclesia prædicatur:* Sic Augustinus. Ex Apocalypsi alia quædam testimonia sumi possunt, ut ex Apoc. 12. 1. Ubi Johannes se ait *vidisse mulierem amictam sole, & lunam sub pedibus calcantem.* Mulier illa Ecclesiam Christi Catholicam significat, ut & Patres, & Papistæ ipsi concedunt. Sed videtur hoc contra nos facere vel maximé, & contra causam nostram. Nam si tali mulieri similis sit Ecclesia, quæ sole est amicta, & lunam sub pedibus calcat, tum nihil Ecclesia clarius esse videtur, nihil illustrius, nihil splendidius. *Respondeo:* Nos quidem summam claritatem, splendorem, & gloriam Ecclesiæ tribuimus; sed hanc gloriam internam esse dicimus, quam oculis non cernimus, sed mente tantúm contemplamur. Atque id quidem ex hoc loco patet. Quis enim unquam fœminam talem vidit, qualis hîc describitur, sole scilicet amictam, & calcantem lunam sub pedibus suis? Ergo Ecclesia non videtur. Solem hunc Aquinas non malé interpretatur Christum, quia *Ecclesia Christum induit, & Christo ornatur illuminante & decorante. Lunam verò sub pedibus calcare dicitur, quia terrena omnia despicit. Christus est sol* (inquit Aquinas) *propter claritatem, quam efficit in Ecclesia, sive in justis.* Si ergo Ecclesiam nos videremus, tantam in piis & justis hominibus dignitatem, claritatem, ac gloriam videremus, quanta est ipsius solis. Sic igitur ex hoc loco argumentum instituimus. Si Ecclesia sit similis mulieri amictæ sole, quæ lunam,

id est, terrena sub pedibus conculcat; tum est invisibilis (nos enim talem splendorem non videmus, quia nihil hîc magis clarum in piis est, quám in hypocritis:) at primum verum, ergo & secundum. Huc etiam referendus est ille locus Apocalypseos, qui habetur cap. 14. in principio capitis, ubi Johannes ait, se vidisse *Agnum stantem in monte Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia* hominum, qui habebant nomen *Patris ejus scriptum in frontibus*. Hi Ecclesiam Catholicam significabant, ut docet Augustinus in comment. in hunc locum, & alii authores. Piis veró omnibus & solis inusta hæc nota est, & hoc signum impressum: ergo pii soli sunt Ecclesia. Sed quæ & qualis est hæc nota? num visibilis? nequaquam. Nam Deo soli nota est. Ejusmodi est quod habetur Ezech. 9. 4. ubi jubet Deus eos in frontibus notari, qui calamitates & scelera populi illius deplorabant. Sed hæc nota illis impressa, non fuit aperta, & oculis hominum conspicua; sed occulta, quæq; aspectum humanum latebat.

Sextum nostrum argumentũ sic instituo. Ecclesia Catholica est Christi corpus, non naturale; quia tum duo naturalia corpora Christus haberet; sed mysticum. Sic igitur disputo. Omne corpus mysticum est invisibile; nulla enim mystica corpora videntur, sed sola corpora physica: at Ecclesia est corpus mysticum: ergo est invisibilis. Patres sæpissimé Ecclesiam vocant, Christi corpus mysticum, & pié id quidem: quo significare voluerunt, non esse tale corpus, qualia sunt hæc, quæ videntur. Hoc confirmatur ex Ephes. 5. 32. *Mysterium hoc magnum est, loquor autem de Christo, & Ecclesia*, id est, hæc unio, qua Ecclesia fit unum cum Christo corpus, est maximé mystica. Mysticum

sticum ergo corpus est Ecclesia, & quidem valde mysticum, quia mystica & plané mirifica est conjunctio Christi cum Ecclesia, quam oculis nemo videre potest. Ex quo sequitur, Ecclesiam esse invisibilem. Nisi enim videas, qui hoc modo cum Christo arctè conjungantur & copulentur; non potes affirmare, te Catholicam Christi Ecclesiam videre. Nam si Ecclesia sit visibilis, ejus etiam unio & conjunctio cum Christo capite conspici potest: at non potest, quia tota mystica est: ergo Ecclesiam non esse visibilem manifestum est.

Septimum nostrum argumentum sequitur, quod sic se habet. Ecclesiæ Catholicæ caput non videtur: ergo ipsa Ecclesia Catholica non videtur: Consequentia patet. Si enim corpus videas, caput etiam videas necesse est, quia caput est pars corporis: si verò corpus sine capite videas, monstrum vides. Caput verò hujus corporis, hoc est, Ecclesiæ, Christus est. Papã enim huic corpori caput assignare, nullo modo possumus aut debemus. Nam si Papa sit caput Ecclesiæ Catholicæ, eum mysticum caput esse oportet; quia Ecclesia est corpus mysticum & spirituale; caput autem & corpus homogenea esse debent, non heterogenea. Si ergo nobis velint Adversarii persuadere, Papam Ecclesiæ caput esse; eum mysticum caput esse, persuadere debent. At eó impudentiæ nondum devenerunt, ut hoc ausi sint affirmare. Episcopi quidem nonnunquam á Patribus capita appellantur, sed visibilium & particularium Ecclesiarum; unicum verò Ecclesiæ Catholicæ caput Christus est.

Octavum nostrum argumentum in hunc modum propono. Illud corpus, cujus omnia membra sunt invisibilia, est ipsum invisibile: at Ecclesia Catholica

eſt tale corpus, cujus omnia membra invisibilia ſunt: ergo Eccleſia Catholica eſt invisibilis. De propoſitione nulla dubitatio eſſe poteſt. Minorem veró ſive aſſumtionem ſic probo. Membra omnia Eccleſiæ catholicæ vel ad triumphantem, vel ad militantem Eccleſiam pertinent (nam de Eccleſia in Purgatorio laborante non laboro; & ſi eſſet talis, eſſet & ipſa quoque invisibilis: quis enim videt, qui ibi cruciantur?) at utriusque membra ſunt invisibilia: ergo tota Eccleſia Catholica eſt invisibilis. Primó omnia triumphantis Eccleſiæ membra invisibilia eſſe, nemini dubium eſt. Quis enim videt Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, & reliquos ſanctos, qui ad cœleſtes ſedes jampridem migrârunt? Militantis veró Eccleſiæ membra invisibilia eſſe, ex ipſa militantis Eccleſiæ definitione probo. Nam Eccleſia militans dicitur propter quandam militiâ, quam exercet. Ea veró militia eſt ſpiritualis, & invisibilis; ergo & ipſa militans Eccleſia eſt invisibilis. Hoc autem quomodo probatur, Eccleſiæ militiam in hoc mundo ſpiritualem eſſe, & invisibilem? Manifeſto Scripturæ teſtimonio, quod habetur Epheſ. 6. 12. *Non eſt nobis lucta adverſus ſanguinem & carnem, ſed adverſus principatus, adverſus poteſtates, adverſus mundi dominos, rectores tenebrarum ſeculi hujus, adverſus ſpirituales nequitias, quæ ſunt in ſublimi.* Ergo militiam hanc totam ſpiritualem eſſe Apoſtolus affirmat. Si veró militia ſpiritualis ſit, & invisibilis: & ii etiam qui militant, invisibiles ſint, neceſſe eſt. Qualis enim eſt militia, tales & ipsi milites ſunt: militia veró ſpiritualis & invisibilis eſt, quemadmodum diximus: ergo milites in aſpectum noſtrum non incurrunt. Quis enim unquam vidit homines arma ſpiritualia gerentes? quis

quis spirituale bellum? quis hostes spirituales? At nisi hæc omnia videas, Ecclesiam militantem videre non potes. Tota nostra communis militandi ratio sensibus externis exposita est: at hæc militia alterius generis est, alterius rationis. Spiritualis enim tota est; nisi velimus cum Papistis delirare, qui magnam hujus militiæ partem in consignandis nobismetipsis signo crucis, in aquæ lustralis aspersione, & in hujusmodi ceremoniarum ac nugarum usu ponunt.

Nonum nostrum argumentum in hunc modum colligo. Ecclesia est totum quiddam, sed ejusmodi totum, quale nullum in rerum natura habetur. Habet enim rationem & continuæ, & discretæ quantitatis. Continuæ; & sic corpus Christi appellatur. Discretæ; & sic grex Christi, oves Christi, populus Christi dicitur. Nihil autem videri potest, quod utriusq; simul quantitatis rationem habet. Quis enim unquam vidit unum idemq; corpus simul & continuum & discretum? Continuum corpus est, quod partes conjunctas habet, discretum quod discretas. Non potest aliquod corpus actu tale esse, hoc est, cõtinuum & discretum simul: ergo non potest aliquod corpus actu tale videri: Ecclesia autem tale corpus est: Ecclesia ergo est invisibilis.

Decimum nostrum argumentum est hujusmodi. Ecclesia Catholica est numerus justorum omnium ab Abel ad ultimum usq; fidelem, á principio mundi usq; ad finem ejusdem: at hunc numerum nemo unquam vidit, nec visurus unquam est ante ultimũ judicii diem: ergo nunc Ecclesia Catholica est invisibilis. Tum quidem fateor *visibilem* futuram esse Ecclesiam, quia tum tota illa multitudo ad Christi dexteram stabit, atque ita *visibilis* erit. Semper enim cúm

de Ecclesia catholica loquimur, ille numerus sanctorum, qui in cœlis cum Christo triumphant, nullo modo excludendus aut separandus est, quia in illis præcipua ecclesiæ pars consistit. Illos veró excludere, est Symbolo abuti, in quo non minús triumphantẽ, quám militantem Ecclesiam nos credere profitemur. Præterea non excludendi illi sunt, quibuscum nobis est communio: at cum illis nobis est communio; ergo quando de ecclesia catholica loquimur, illos nullo modo excludere debemus.

Undecimum nostrum argumentum, est doctissimi Sadeelis in responsione ad secundum syllogismum Turriani. Ecclesiam Catholicam Adversarii dicunt esse omnes ecclesias particulares, per totum terrarũ orbem fusas; quæ quia sunt visibiles, Ecclesiam quoque Catholicam ex his aggregatam *visibilem* esse affirmant. Sed hoc nihil absurdius dici potest. Nam si particulares ecclesiæ *visibiles* sunt; hæc aggregatio nõ est *visibilis*; quia quousque sunt variæ Ecclesiæ particulares, non est ecclesia una ex omnibus aggregata. Quamdiu ergo particulares ecclesiæ seorsim existũt; una ex his omnibus aggregata, cogitari quidem potest, videri non potest. Hoc ex similibus exemplis meliús adhuc intelligi potest. Si quis habeat decem greges ovium separatos, singuli quidem greges videri possunt; at non videtur unus catholicus grex ex his omnibus compositus, nisi omnes illi greges in unum congregati fuerint; si veró in unum gregem congregentur, tum decem particulares greges non videntur, nisi mente tantúm, sed unus grex ex his decem compositus. Similiter decem acervi tritici separati videntur, sed non unus catholicus acervus ex illis decem compositus, si modó decem illi acervi integri

integri maneant. Pugnat ergo cum ratione, ut & particulares Ecclesias, & Catholicam simul videamus. Si enim Ecclesia Catholica ex particularibus Ecclesiis aggregata videtur, tum ipsæ particulares Ecclesiæ non videntur. Ergo ne hoc quidem modo Ecclesia Catholica erit visibilis.

Nunc ad Patrum testimonia descendam. Sed quid nos alia requirimus testimonia, quám quæ priús allata sunt? Huc enim omnia testimonia pertinent, quæ in superiori Quæstione adhibuimus. Nam quæ Ecclesiam ex electis & prædestinatis, & sanctis solis constare probant, eadem etiam Ecclesiam esse invisibilem, evincunt. Hoc ipsi Papistæ vident, ac propterea utrumque negant. Nam posito uno, ponitur alterum; & econtra sublato uno, tollitur alterum. Negant illi igitur, ecclesiam ex electis solis constare, ut eam visibilem esse defendant; & rursum negant esse invisibilem, ut non constare eam ex solis electis evincant. Nos luculenta satis Patrum testimonia in superiori Quæstione adduximus. Nunc igitur unum tantúm aut alterum proferemus. Augustinus in tractatu quodam in Joan. (habetur hoc testimonium apud Gratianum, causa 32. quæst. 4. capite, *Recurrat*) hæc verba habet: *Quæ peperit Abel, & Enoch, & Noë, & Abraham, ipsa peperit & Moysen, & Prophetas tempore posteriores ante Domini adventum: & quæ istos, ipsa & Apostolos & Martyres nostros, & omnes bonos Christianos.* Ubi docet, Ecclesiam unam esse matrem omnium electorum, ab initio mundi usque ad finem. *Nati sunt* (inquit) *diversis temporibus, sed societate unius populi continentur; & ejusdem civitatis cives, labores hujus peregrinationis experti sunt, & quidam eorum nunc experiuntur, & usque in finem cæteri experientur.*

Hinc concludo, ecclesiam esse invisibilem; quia hanc sanctorum societatem nemo unquam vidit, nec ante diem judicii videbit. Idem Augustinus in Enchiri. ad Laurent. cap. 56. cúm exponit hunc articulum Symboli, *Credo Ecclesiam Catholicam*, docet, hîc intelligi non modó militantem hanc Ecclesiam, ut Papistæ, sed etiam triumphantem illam, quæ in cœlis est. Augustini verba hæc sunt: *Quæ tota hîc accipienda est, non solúm ex parte, qua peregrinatur in terris á solis ortu usq; ad occasum laudans nomen Domini, & post vetustatis captivitatem cantans canticum novum: verumetiam ex illa quæ in cœlis semper ex quo condita est, cohæsit Deo, nec ullum sui casus malum experta est.* Et pauló póst: *Utraq; una erit consortio æternitatis, & nunc una est vinculo charitatis, quæ tota instituta est ad colendum unum Deum.* Ex his Augustini verbis sic concludo. Qui non videt totam Ecclesiam, non videt catholicam ecclesiam: at totam Ecclesiam nemo videre potest: ergo nec catholicam. Gregorius Magnus in homil. 19. in Evang. hæc verba habet: *Conditor noster habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usq; ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.* Quis hanc vineam vidit unquam? Gregorii verba notanda sunt. Nam & docent, Ecclesiã Catholicam continere omnes pios ab initio mundi ad finem; unde sequitur, invisibilem esse; & præterea etiam solos pios & sanctos Ecclesiæ catholicæ membra esse; quod nostram de priori Quæstione sententiam confirmat, Adversariorum verò sententiam evertit. Idem Gregorius in lib. 35. moral. in Job. cap. 9. sic scribit, *Christus & Ecclesia, id est, caput & corpus, una persona est.* Quis hanc personam unquam vidit? His nunc contentus ero. Et de secũda quidem Quæst. hactenꝰ.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA.

An Ecclesia possit deficere.

Caput Primum.

De statu Quæstionis.

Sequitur nunc hujus controversiæ de Ecclesia Quæstio tertia; in qua quæritur, num Christi Catholica ecclesia possit deficere. Hanc quidem sententiam nobis tribuunt Adversarii; quasi nos diceremus, Catholicam Ecclesiam deficere posse; quod tamen est falsissimum. Proferant enim illi, si possunt, locum ullum ex Luthero, Melanchthone, Calvino, vel ex aliis nostris scriptoribus, in quo hanc sententiam tuentur. Sed non possunt. Quis enim tam amens esset, qui hoc diceret? Ego certé possum nonnulla ex nostris testimonia proferre, quæ sententiam cõtrariam clarissimé probent; nempe Ecclesiam Catholicam non posse deficere, sed esse perpetuam. Et rectè hoc quidem. Hoc enim cum Scripturis consentit, quæ apertissimé docent, Regni Christi non futurum esse finem; sed cúm alia regna eversa, disjecta, & dissipata fuerint, hoc in perpetuum duraturum esse. Nec unquam quisquam nostrûm aliter aut scripsit, aut docuit. Et tamen Adversarii in eo multum operæ ponunt, ut probẽt, Ecclesiam non deficere; & hîc insultant, sed sine ratione. Pugnant enim sine Adversario. Magnopere hoc quidem facit ad spem nostram & solatium, quód ecclesia nunquam defecit, ne tum quidem, quando in

Hinc concludo, ecclesiam esse invisibilem; quia hanc sanctorum societatem nemo unquam vidit, nec ante diem judicii videbit. Idem Augustinus in Enchiri. ad Laurent. cap. 56. cúm exponit hunc articulum Symboli, *Credo Ecclesiam Catholicam*, docet, hîc intelligi non modó militantem hanc Ecclesiam, ut Papistæ, sed etiam triumphantem illam, quæ in cœlis est. Augustini verba hæc sunt: *Quæ tota hîc accipienda est, non solúm ex parte, qua peregrinatur in terris á solis ortu usq; ad occasum laudans nomen Domini, & post vetustatis captivitatem cantans canticum novum: verumetiam ex illa quæ in cœlis semper ex quo condita est, cohæsit Deo, nec ullum sui casus malum experta est.* Et pauló póst: *Utraq; una erit consortio æternitatis, & nunc una est vinculo charitatis, quæ tota instituta est ad colendum unum Deum.* Ex his Augustini verbis sic concludo. Qui non videt totam Ecclesiam, non videt catholicam ecclesiam: at totam Ecclesiam nemo videre potest: ergo nec catholicam. Gregorius Magnus in homil. 19. in Evang. hæc verba habet: *Conditor noster habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usq; ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.* Quis hanc vineam vidit unquam? Gregorii verba notanda sunt. Nam & docent, Ecclesiã Catholicam continere omnes pios ab initio mundi ad finem; unde sequitur, invisibilem esse; & præterea etiam solos pios & sanctos Ecclesiæ catholicæ membra esse; quod nostram de priori Quæstione sententiam confirmat, Adversariorum verò sententiam evertit. Idem Gregorius in lib. 35. moral. in Job. cap. 9. sic scribit, *Christus & Ecclesia, id est, caput & corpus, una persona est.* Quis hanc personam unquam vidit? His nunc contentus ero. Et de secũda quidem Quæst. hactenꝰ.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA.

An Ecclesia possit deficere.

Caput Primum.

De statu Quæstionis.

SEquitur nunc hujus controversiæ de Ecclesia Quæstio tertia; in qua quæritur, num Christi Catholica ecclesia possit deficere. Hanc quidem sententiam nobis tribuunt Adversarii; quasi nos diceremus, Catholicam Ecclesiam deficere posse; quod tamen est falsissimum. Proferant enim illi, si possunt, locum ullum ex Luthero, Melanchthone, Calvino, vel ex aliis nostris scriptoribus, in quo hanc sententiam tuentur. Sed non possunt. Quis enim tam amens esset, qui hoc diceret? Ego certé possum nonnulla ex nostris testimonia proferre, quæ sententiam cõtrariam clarissimé probent; nempe Ecclesiam Catholicam non posse deficere, sed esse perpetuam. Et rectè hoc quidem. Hoc enim cum Scripturis consentit, quæ apertissimé docent, Regni Christi non futurum esse finem; sed cúm alia regna everſa, disjecta, & dissipata fuerint, hoc in perpetuum duraturum esse. Nec unquam quisquam nostrûm aliter aut scripsit, aut docuit. Et tamen Adversarii in eo multum operæ ponunt, ut probẽt, Ecclesiam non deficere; & hîc insultant, sed sine ratione. Pugnant enim sine Adversario. Magnopere hoc quidem facit ad spem nostram & solatium, quód ecclesia nunquam defecit, ne tum quidem, quando in

magnas anguſtias redacta fuit; ſed tandem é tenebris, in quibus demerſa fuit, caput extulit. Itaque laborem perdunt, qui hoc conantur cõtra nos probare, eccleſiam ſcilicet in totum deficere non poſſe. Atque id quidem vidit Bellarminus. Sic enim ait in principio hujus Quæſtionis: *Notandum eſt, multos ex noſtris tempus terere, dum probant abſoluté, Eccleſiam non poſſe deficere. nam Calvinus* (inquit) *& cæteri hæretici id concedunt.* Multi ergo Papiſtæ multa fruſtra ſcripſerunt, & operam luſerunt, atque (ut Bellarmini verbis utar) tempus triverunt; inprimis veró Stapletonus, qui eccleſiam Chriſti perpetuam eſſe tam prolixé probavit, tamque multa in hunc finem teſtimonia cumulavit, quæ nos quidem omnia concedimus. Sic ſolent Adverſarii ſæpe extra rem, cauſamq; propoſitam, vagari. Ille ergo non eſt ſtatus hujus Quæſtionis, an Eccleſia Catholica poſſit deficere: nos enim deficere poſſe negamus, perinde ac illi. Quid igitur eſt, de quo controvertitur? Nam & hîc aliquid eſt, in quo nobis cum illis non conveniat. Illud primo loco nobis aperiendum eſt. Nos ergo non dicimus, Eccleſiam illam Chriſti catholicam, de qua hactenus tam multa ſcripſimus, defeciſſe unquam, aut poſſe unquam deficere: ſed eam perpetuam eſſe affirmamus, & cœlum ipſum citiús ac faciliús corruere poſſe, quám Chriſtum non habiturum aliquam in terris Eccleſiam. Quid ergo eſt, quod dicimus? Hoc nimirum, particularem hanc & illam Eccleſiam poſſe deficere; imó omnes particulares Eccleſias ad eam paucitatem poſſe redigi, ut non ſit aliqua Chriſti vera viſibilis particularis Eccleſia in terris publicé nota; itaq; non eſſe Eccleſiã in una ſede & ſucceſſione perpetuó & viſibiliter duraturam; imó aliquando eſſe nu-

se numerum tam exiguum eorum, qui veram fidem & religionem profitentur, ut minimé agnoscantur, sed cogantur sese abscondere, manusq; eorum fugere, qui se esse Dei ecclesiam, & veros professores gloriantur, cúm nihil minus sint. Fatemur, semper in terris esse numerum aliquem eorum, qui Christum pié colunt, veramq; fidē & religionē tenent: sed hūc numerum non semper esse visibilem dicimus. Hoc nos dicimus; sed Adversariis hoc non placet, quia illorum causæ non sufficit. Non enim illi de vera ecclesia laborant, modó ipsorum ecclesia consistat. Illorum ergo sententia est, esse quandam visibilē Ecclesiā in terris perpetuam; quod Bellarminus sic exponit. Ecclesiæ nomine (inquit) non intelligimus unum aut alterum, sed multitudinē congregatam, in qua sunt prælati & subditi. Quod sic apertiús explicari potest. Ecclesia est perpetua, id est, Christus semper habuit in hoc mundo, & nunc habet, & in posterum etiam habebit, magnum visibilem numerum hominum, qui pro vera Christi Ecclesia publicé agnoscantur; inter quos sit certus ordo & regimen prælatorū & populi, idq; in uno loco & perpetua successione Pontificū; qui deniq; sint semper in terris nō min⁹ visibiles & illustres, quám sunt alii cœtus & societates hominū; ut nō minús intelligas hāc esse ecclesiā, quám intelligis hoc esse Regnū Angliæ, hoc Gallię, hoc Hispanię, hāc esse Helvetiorū Rempub. & quę sunt hujusmodi. Nos hęc omnia negam⁹. Est ergo apertissima nostrarum opinionū antithesis. Nos. n. dicim⁹ nō posse ꝓbari, ecclesiā sem ꝑ in terris hoc modo visibilē esse, nō fore semper tam magnū & tā manifestū ꝓfessorū numerū, sed posse verā ecclesiā ad paucos quosdam redigi; nō esse ecclesiā similē aliis

Rebuspublicis, dum florent, sic ut sicut illæ Respublicæ nunc florent, ita ecclesia semper floreat, sitque semper tam manifesta, ut á quovis conspici, & pro vera visibili Christi ecclesia agnosci possit. Olim enim multæ florentissimæ Ecclesiæ fuerunt, ubi nunc ne cadavera quidem Ecclesiarum remanent. Aliquo certé modo fatemur, aliis societatibus & Rebuspublicis similes esse Ecclesias particulares, & sicut status hujus vel illius Reipublicæ mutari potest, & quod nunc amplum imperium est, postea fieri potest nullum: ita hæc & illa particularis Ecclesia, quæ nunc splendida est, & glorioſa, brevi nulla esse potest; quemadmodum multa exempla docuerunt: sic ut nulla possit certa veraque visibilis Ecclesia in mundo agnosci & inveniri, sic ut ordo ille & regimen interrumpatur, & qui Pastores videntur, lupi sint; & qui Catholici & fideles videntur, non sint; & veri Christiani, id est, vera Ecclesia sint, qui non putantur. Itaque negamus, Ecclesiam perpetuó esse ad unā sedem, cathedram, & successionem alligatam; & non consistere semper in multis dicimus, sed posse aliquando in paucis esse, iisque disjectis, obscuris, & ignotis hominibus; qui se abdāt in latebras, fugiantque conspectum eorum, qui se Ecclesiā Dei esse jactant. Fieri enim potest, ut hi Pseudocatholici sint, qui se maximé Catholicos videri volunt, ut olim Donatistæ, qui se Catholicos vocabant, & delationem contra veros Catholicos offerebant; cúm interim illi nihil minús quám Catholici essent. Augustinus in Epist. 48. docet, Donatistas sic inscripsisse libellum Imperatori missum adversus Cæcilianum: *Libellus Ecclesiæ Catholicæ criminum Cæciliani, traditus á parte majori.* Ita illi se Catholicam ecclesiam vocabant. Idem etiā Augu-

Augustinus in brevic. collat. cum Donatist. collat. tertii diei, ait, illos hoc sibi nomen arrogâsse. Sic hodie Papistæ larvam hujus nominis sibi vendicant & assumunt, & se Catholicos dici volunt. Ita fieri potest, ut illi veri sint Christiani, quos persequuntur ii, qui se gloriantur esse Christianos. Nos igitur non modó Christi Catholicam Ecclesiam durare dicimus; sed & esse semper aliquos, & fore, qui Evangelium Christi teneant; etsi non in uno semper statu, in una cathedra, successione & loco; sic ut Christi Ecclesia, propter hanc successionem & cathedram, digito demonstrari possit, & dicier, hæc est. Deniq; aliquã semper futuram esse ecclesiam dicimus, id est, aliquem numerum eorum, qui veram fidem retinent, sed hunc numerum non semper frequentem & glorioſum fore. Adversarii verò statum Ecclesiæ glorioſum fingunt, qualis est hodie in Papatu. Nos negamus hoc esse Ecclesiæ ὐσιῶδες, ut sit splendida semper & glorioſa. Non est hoc ecclesiæ proprium eo modo & sensu, quo volunt Adversarii. Itaque duplicem ecclesię splendorem esse dicimus, internum & externum. Internus Ecclesiæ splendor est, qui in internis fidei, charitatis, & aliarum virtutum ornamentis, quin etiam in sanæ præterea ac solidæ doctrinæ puritate consistit. Atque hoc quidem splendore Ecclesiam nunquam carere posse affirmamus; quia hic splendor ecclesiam constituit, eiąue ὐσιώδης est, & sine hoc ne ecclesia quidem erit. Sed est tamen hic splendor aliquando major, aliquando minor, prout doctrinæ puritas conservatur; nec semper ecclesiam in ea luce constituit, ut ab omnibus conspici possit. Externus Ecclesiæ splendor in pace, & magnitudine, & frequentia professorum, aliisque externis or-

namentis conſiſtit. Hunc ſplendorem dicimus non eſſe ecclesiæ ἀσιώδη, nec eſſe perpetuum; ſed poſſe obrui, abscondi, opprimi, obſcurari: itaq; veram eccleſiam poſſe aliquando obſcuram fieri; & falſam Eccleſiam poſſe hunc ſplendorem habere, quāvis internis illis virtutibus prorſus careat; cujusmodi nos Romanam Eccleſiam eſſe contendimus. Adverſarii internum illum ſplendorem non intelligūt, nec omnino agnoſcunt illum eſſe Eccleſiæ notam; ſed hunc tantúm externum ſplendorem, quem Eccleſiam ſemper habere dicunt. Nos autem quoad externum ſplendorem, Eccleſiam, dicimus, & poſſe deficere, atque etiam defeciſſe: quoad internum veró, minimé. Et quanquam nulla sit visibilis vera Eccleſia, nisi quæ hunc internum ſplendorem habet: tamen non dicimus, certam quandam fuiſſe ſemper Eccleſiam, in qua hic ſplendor fuerit, ut Papiſtæ dicunt; neque hunc ſplendorem eſſe, qui Eccleſiam facit omnibus aſpectabilem; ſed illum externum, in quo Papiſtæ ſua omnia præsidia collocârunt.

Jam veró de tempore, quando hoc modo Eccleſia defecerit, & quando externa illa ſua ornamenta amisit, multa quærunt Adverſarii, de quo tamen nó eſt neceſſe reſpondere. Quid enim ad nos attinet hiſtorias perſcrutari hac de re? Spiritus ſanctus in ſcripturis prædixit, fore hujusmodi apoſtasiam & defectionem, & nos eam oculis videmus: de tempore veró, quando illa Ecclesiam invaſit, non eſt laborandum: eſt enim hæc curioſa & inutilis quæſtio. At inſtant Adverſarii, & jubent tempus designare, quo Eccleſia hunc ſplendorem amisit. Cui quæſtioni ſtatim reſpondebimus, si priús Stapletoni quasdam in nos calumnias hac de re diluerimus. Stapletonus lib. 3. de

3. de princip. doct. cap. 4. multa nugatur, & sex nostras opiniones commemorat de hujus defectionis tempore; quarum tamen nulla, eo quo ille vult sensu, nostra est. *Prima* est Lutheri, qui in comitiis VVormatiensibus dixit, Ecclesiam defecisse á tempore Concilii Constantiensis, centum annis aut paulò ampliús ante ipsius ætatẽ. *Secunda* est eorũ, qui repetitionem Augustanæ confessionis ediderunt, qui ajunt defecisse á trecentis annis ante illorum ætatem. *Tertia* est Lutheri rursũ, qui alicubi ait, ab annis circiter nongentis post Christum defecisse. *Quarta* est Lutheri, Calvini, & aliorum, qui primos quingentos aut ad summum sexcentos annos Ecclesiæ Christi concedunt. *Quinta* est Melanchthonis, qui solos trecentos annos puræ doctrinæ tribuit, in locis communibus posteriús editis. *Sexta* & postrema est Lutheri, Melanchthonis, Bezæ, & Magdeburgensium, qui Ecclesiam errâsse dicunt statim á tempore Apostolorum. Hæc (inquiunt Adversarii) præclaræ sunt horum hominum de ecclesia Christi sententia. *Respondeo*: Hæc omnia á Stapletono σοφιστικῶς proponuntur, ut videri faciat, nos nescire, quam aut qualem Ecclesiæ defectionem statuamus. sed ille horum hominum sententiam non intelligit, & res alienas intermiscet. Aliud est enim, Ecclesiam in aliquibus reb' erravisse; aliud, defecisse. Non enim sequitur, si quid erroris irrepserit in ecclesiam, ipsam statim periisse. Erravisse Ecclesiam affirmant isti, non autẽ penitus sublatam esse. Potest enim Ecclesia vitam retinere, etsi in quibusdã rebus erret. Lutherus, Melanchthon, Calvinus, & alii, Patres antiquos erravisse dicũt. Hoc sic interpretatur Stapletõn', ac si nullã tum fuisse Ecclesiã dicerẽt. Melanchthõ vocat Gregoriũ

Magnum pereuntis Theologiæ præsultorem. Calvinus ait, fuisse ultimum Episcopum Romanum, dignum nomine Episcopi. Pantaleon ait in sua Chronologia, Bonifacium tertium, qui Gregorio proximus successit (nam Sabinianum omitto, quia exiguo tempore regnavit) primum fuisse Papam, & primũ summum Pontificem; quem ille honorem magno precio á Phoca parricida mercatus est. Quid hinc colligit Stapletonus? nempe, hanc esse nostram sententiam, omnia fuisse sana & integra ante tempora Gregorii, postea verò fuisse omnia corrupta. At nos neutrum horum dicimus. Nam & ante Gregorium multas in Ecclesia corruptelas fuisse affirmamus, & post illum multa integra servata esse; nec uno momento simul omnia eversa fuisse, omnemque sanam & solidam doctrinam protinus concidisse. Beza ait, jacta fuisse fundamenta tyrannidis Antichristianæ ab Apostolorum temporibus. Sic alii, Antichristum cœpisse tempore Apostolorum dicunt. Quid igitur? num quia tum cœpisse regnum Antichristi scribunt, idcirco ab Apostolorum temporibus nullam fuisse veram in terris Ecclesiam affirmant? At hoc argumentum non minús contra duos Apostolos, Paulũ & Joannem valebit, quám contra Bezam; quorum unus mysterium iniquitatis tunc operari cœpisse, alter verò multos tum Antichristos in mundum veniisse affirmat, 2. Thess. 2. 7. 1. Joan. 2. 18. & alibi in eadem Epistola.

Sed ut has præstigias profligemus, utq; omnes intelligant, quid hac de re sentiamus; hæc sunt, quæ dicimus. Primó, vivis adhuc Apostolis, cœpisse hæreticos lolium in agro Dominico, hoc est, falsa dogmata in Ecclesia spargere. Illud ex Nicolai, Simonis Magi,

Magi, Cerinthi, & aliorum exemplis patet. *Secundó*, dicimus, ipsos etiam pios Episcopos & Doctores, qui Catholici erant, quique hæreticis resistebant, falsa nonnulla cum veris miscuisse, & in quibusdam erravisse, quamvis non in his, in quibus hæreticos refellebant. *Tertió* dicimus, hos errores paulatim auctos esse, & majores indies in Ecclesia radices egisse, adeó ut viam sternerēt ipsi Antichristianismo; cúm multi etiam aliâs boni viri, doctrinam nō sanam divulgârunt. Doctissimi enim Patres quidam, & sanctissimi Episcopi, errores suos habuerunt, tenuerūt, aliis tradiderunt, & posteris reliquerunt, Origenes, Irenæus, Justinus Martyr, Tertullianus, Chrysostomus, Augustinus, & alii. Illorum etiam errores publicé recepti & approbati sunt; ut verissimum sit, quod Beza ait in 2. Thess. 2. 3. non hæreticos apertos modó inserviisse tyrannidi Antichristi, sed & per imprudentiam nonnullos ex sanctis & orthodoxis Patribus. Quis enim negabit, Hieronymum & Gregorium pios Patres fuisse; quos tamen multa falsé & absurdé scripsisse constat, & Scripturas perversé interpretatos esse? Quod cúm fecerunt, Antichristo certé inservierunt, licét non consultó, sed per imprudentiam. Quid enim aliud est Antichristo inservire, quám perversé Scripturas interpretari, cúm Antichristi regnum ex falsis Scripturæ interpretationibus natum sit? *Quartó* dicimus, Ecclesiæ Romanæ tyrannidem paulatim crevisse, & majores indies vires acquisivisse; qua de re nunc est locus dicendi, quia longiorem disputationem desiderat. *Quintó* dicimus, Gregorium Magnum (de quo Melanchthon loquitur, quemadmodum antea accepimus) fuisse ultimum verum & pium illius Ecclesiæ Episcopum,

quem jure possis Episcopum vocare, quiq; mediocriter & tolerabiliter Episcopi officio functus est. Qui enim secuti sunt, veri fuerunt Antichristi. Et quanquam Antichristianismus antea cœpit: tamen tum demum sedes Antichristi publicé constituta est, & tum solium ejus est erectum. Et quia certum aliquod tempus á nobis quærunt & postulant, hoc tempus illis designamus. *Sextó* dicimus, nondum tamen omnia fuisse funditus perdita & dissipata. Omnia enim uno momento non corruerunt, non statim omnia pessum ierunt, & in nihilum reciderunt. Tum quidem pestis cœpit paulatim longé lateque serpere, donec tandem totum terrarum orbem pervaserit. Interim veró Ecclesia non penitus defecit. Nam & reliquias sibi electorum servavit Deus, multaque hominum millia, qui genua sua Antichristo non flexerunt, etiam postquam Antichristus infinitam illam potestatem consecutus est: & passim etiam varios in mundo Pastores excitavit, & Ecclesias etiam collegit, etsi aliquando magis, aliquando minús, etiam tum cúm Antichristianismus constitutus erat. Utcunque ergo hæc pestis Ecclesias occupavit: tamen omnibus temporibus vera Christi Ecclesia fuit, licet non manifesta semper, & frequens, & glorioſa, in una sede & successione Pastorum. Nam ipsi sancti & pii homines, uná cum Pastoribus suis, in hunc & illum locum, sine certa sede & successione, dispersi sunt. *Postremó* dicimus, nostrum non esse, tempora aut temporum momenta designare, & quo anno aut die illa defectio cœperit, ut nulla esset vera Christi in terris visibilis Ecclesia, quæ omnibus appareret, demonstrare; quia non simul omnia eversa sunt, sed paulatim. Quemadmodum enim quercus non

uno

uno ictu corruit & dejicitur: ita nec Ecclesia uno Satanæ impetu concidit. Et ut pestis non statim hominem interficit, sed paulatim in corpus venenatas suas vires immittit, donec cor ipsum tandem penetraverit: ita non uno seculo pestis illa Antichristiana per omnes mundi partes, & per omnes visibiles ecclesias grassata est. Nos ergo dicimus, laborandum potiús esse, qua ratione ex hac calamitate liberari & expediri possit ecclesia, quám quærendum, quando aut quomodo in eam inciderit. Qui veró hanc Ecclesiæ calamitatem non vident, eos miseros & cæcos esse dicimus. Et de statu quidem Quæstionis hactenus.

CAPUT SECUNDUM.

In quo Adversariorum argumenta proponuntur, & proposita diluuntur.

His ergo hoc modo tractatis & explicatis, sequitur jam, ut ad ipsam dimicationem veniamus. Vult igitur Adversarius probare, esse & fuisse semper visibilem aliquam Christi in mundo Ecclesiam, & Ecclesiæ nomine non unum aut alterum intelligit, sed multitudinem congregatam, in qua sunt prælati, & subditi; eandemque vult semper ad unam certam sedem & successionem Episcoporum, sub unius summi Pontificis regimine, alligatam esse. Jam ejus argumenta proponamus.

Primum Adversarii argumentum sumitur ex iis Scripturæ testimoniis, in quibus Ecclesiæ nomen aperté ponitur. *Primum* testimonium habetur Matth. 16.18. *Supra hãc petrã ædificabo Ecclesiam meã, & portæ inferorũ non prævalebũt adversus eam.* Huic loco aliũ simile adjũgit ex 1. Tim. 3.15. *Ut scias, quomodo te oporteat cõversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamẽtũ veritatis.* In utroq; loco (inquit) agitur de ecclesia

visibili; & tamen ipsam veritatem audivimus asse-
rentem, portas inferorum non prævalituras contra
eam Ecclesiam: ergo Ecclesia visibilis nunquam de-
ficit. *Respondeo:* Illam quidem Ecclesiam, de qua
Christus & Paulus loquuntur, quæ super petram æ-
dificatur, quæque est columna & firmamentum ve-
ritatis, nunquam posse deficere: etsi Satanas omnes
suas molitiones contra eam adhibuerit, omnesque
illius hostes adversus illam conjuraverint. Sed quod
assumit, illam Ecclesiam esse *visibilem*, illud affirmo
esse falsissimum; quemadmodum á me priús proba-
tum est. Invisibilem enim esse dico, idque sic demon-
stro. In Ecclesia *visibili* sunt quidam, qui audiunt tan-
túm sermonem Dei, & non faciunt: atque hi non in
petra, sed in arena ædificantur, ut ex ipsis Christi
verbis apparet Matth. 7. 26. 27. Illi ergo non sunt ea
Ecclesia, de qua Christus loquitur Matth. 16. 18. nam
ea est in petra ædificata, & contra eam nullæ moliti-
ones Satanæ valebunt: at contra hos Satanas valet,
hique á Satana facilé dejiciuntur, quemadmodum
domus in arena ædificata, quovis ventorum & flumi-
num impetu corruit. Qui veró in Christum vera fide
incumbunt, Deique sermonem non audiunt modó,
verúm etiam faciunt, ii soli in petra ædificantur; &
hæc est Ecclesia Electorum tantúm; ut docet Augu-
stinus in lib. 20. de civitate Dei, cap. 9. Sed quia Ad-
versarius contendit, hanc esse Ecclesiam *visibilem*, id-
que ait se antea ostendisse, quod tamen falsum est; æ-
quum est, ut mihi respondeat, & doceat, cúm multæ
sint particulares & *visibiles* Ecclesiæ in mundo, quæ
illa tandem sit, quæ in petra ædificatur. Æquissima
hæc certé & necessaria postulatio est, ac proinde non
N3 potest honesté subterfugere. Num omnes particu-
lares

lares visibiles Ecclesias intelligit Christus, an unam aliquam? Omnes intelligere non potest, quia constat multas visibiles Ecclesias defeciisse; ut Ecclesiam Ephesiorum, Ecclesiam Corinthiorum, Ecclesiam Galatarum, Ecclesiam Thessalonicensium, Ecclesiam Hierosolymitanam, Ecclesiam Alexandrinam, Ecclesiam Antiochenam, addo etiam & Romanam: nam ea nunc æquivocé tantúm Ecclesia est. Itaque non loquitur Christus de omnibus visibilibus Ecclesiis. In has enim Ecclesias, quas commemoravimus, Satanam prævaluisse novimus, adeó ut tollantur jam prorsus omnes, & extinctæ sint, exceptâ solâ Ecclesiâ Romanâ, quæ externam quandam Ecclesiæ speciem præ se fert. Quód si Satanas contra unam visibilem Ecclesiam valet, quidni etiam contra reliquas omnes valere possit? & sic nulla hîc visibilis Ecclesia intelligetur. Sed Adversarius fortasse respondebit, Ecclesiam Romanam hisce Christi verbis intelligi. Esto. Sed adhuc quæro, quam tandem Romanam Ecclesiam intelligat, utrum Ecclesiam Romanæ civitatis, quæ proprié Romana Ecclesia est, an illas, quæ Romano Pontifici subjiciuntur, & sese illi adjungunt? Si has intelligat, nôrunt Adversarii, á Lutheri tempore multas Ecclesias á Romano Pontifice defeciisse, & posse adhuc plures deficere. Anglia, Germania, Scotia, jampridem defecerunt: sic potest etiam Gallia, si Deus dederit, deficere: potest Hispania, possunt similiter & aliæ, addo etiam, & ipsa Italia. Nullum enim est Scripturæ testimonium, quod repugnat. Sed forsan illam vult Ecclesiam intelligi, quæ urbis Romanæ mœnibus circumscribitur. At hæc etiam deficere potest. Fieri enim potest, ut illa etiam civitas expugnetur, capiatur, evertatur,

ut ordo illius Eccleſiæ diſſipetur, ut Papa deniq; ipſe profligetur, & vel fugere cogatur, vel ſe in latebras abdere. Tale quiddam annis abhinc plus minús ſexaginta contigiſſe legimus, quo tempore Carolus Dux Bourbonius, Clementem ſeptimum, Pontificem Romanum, fugere coëgit, & ſeſe abscondere; quitamen poſtea in manus hoſtium incidit. Hic Dux contra Papam prævaluit; & ſi Papiſta non fuiſſet, extingui tunc primatus potuiſſet. Videmus igitur fieri poſſe, ut Papa ipſe Eccleſiæ caput, latebras quærat: quomodo ergo erit tum Eccleſia ampla & glorioſa? At dicent forſan Adverſarii, fore ſemper in mundo aliquam Eccleſiam, quæ Romano Pontifici pareat. Sed hoc non ſufficit. Nam ſic nos dicimus, aliquam ſemper fore in mundo Eccleſiam, quæ Chriſto pareat, eamque etiam viſibilem, etſi non ita viſibilem, ut illi ſtatuunt, in una ſcilicet ſede, & ſucceſſione Paſtorum. Ergo ſi nihil aliud probent, deſerunt illi cauſam ſuam. Debent enim probare, hanc Eccleſiam fore ſemper amplam, & ſplendidā, & glorioſam, eandemq; etiam in una ſede perpetuó manſuram. Dicunt illi, eccleſiam Romanam deficere nullo modo poſſe; & tamen concedunt fore ut Antichriſtus Papam de ſua ſede deturbet. Sic pugnantia loquuntur. Sed quoniam illi dicunt, Eccleſiam ſemper amplam & claram futuram eſſe; quærimus ab illis, quám ampla ea futura ſit, aut quæ certa ratio hujus claritatis erit? Erítne ſemper uno modo clara, an erit varietas aliqua? erítne ſemper æqué & ſimiliter clara, annon? Vel fore, vel non fore, reſpondeant neceſſe eſt. Fore ſemper ex æquo claram, nō poſſunt dicere: nam varius & multiplex Eccleſiæ ſtatus eſt. Non fore ſi dixerint; ſtatuendum illis eſt, quanta ejus neceſſariō

cessarió futura sit claritas, & amplitudo. Quid? num erit semper tam ampla, quám hodie est? Unde hoc probari potest? Nam si á Lutheri tempore defecit, potest & adhuc ampliús deficere. Sed nunquam poterunt illi statuere, quæ semper futura sit ecclesiæ claritas; quia & augeri & minui potest visibilis quæque Ecclesia, ut luna. Quæ veró res in hunc modum augetur & minuitur, ea potest aliquando sic minui, ut vix aut ne vix quidem appareat; & sic augeri aliquando, ut sit splendidissima, & totum orbem terrarum splendore suo compleat. Atq; hæc est patrum sentẽtia, quando ecclesiam lunæ comparant. Sic igitur disputo. Si visibilis Ecclesia potest tolli & extingui, tum Satanas potest contra visibilem Ecclesiam prævalere: at verum primum; multæ enim visibiles Ecclesiæ extinctæ sunt: ergo secundum etiam verum est. Si veró contra unam visibilem Ecclesiam prævaleat Satanas, tum illa Christi verba Matth. 16. 18. de visibili Ecclesia intelligi non possunt. Deinde non locutum esse Christum de visibili aliqua Ecclesia, apparet; quia tum dixisset, *ÆEdificabo Ecclesias meas*, nõ, *ÆEdificabo Ecclesiam meam*. Multæ enim futuræ erant particulares visibiles Christi Ecclesiæ in mundo. Sed dixit Christus, *ÆEdificabo Ecclesiam meam*, unam designans Ecclesiam, non multas; quemadmodum in Symbolo dicitur, *Credo Ecclesiam*, non hanc vel illam, id est, nullam visibilem Ecclesiam, sed Ecclesiam Catholicam, quæ una est omnium electorum. Unde intelligi potest, Christum de una illa Ecclesia, quæ est Catholica, & electorum tantúm, locutum esse. Nam si Christum de visibili aliqua Ecclesia locutum esse dixerint, nos semper illos urgebimus, ut quia sunt multæ visibiles Ecclesiæ in mundo, dicant, quam

tandem Christus in petra ædificarit. Et hinc appa-
ret, quám ineptum illud sit, quod ait Stapletonus
lib. 3. de princip. doctrin. cap. 10. in fine, nos dicere
in Symbolo, *Credimus Ecclesiam*, non Ecclesias. Illi
enim debent credere Ecclesias, cúm per Ecclesiam
intelligant visibiles & particulares Ecclesias. Deinde,
ut de altero illo loco aliquid respondeam, Ecclesia
illa, quæ ab Apostolo *domus Dei & columna ac firma-
mentum veritatis* dicitur, si stricté loqui velimus, vere-
que ac proprié, non est cœtus aliquis visibilis, sed in-
visibilis, hoc est, in visibili cœtu soli electi. Nam in
illis solis Deus habitat, & illi soli veram fidem con-
stanter ad finem usque retinent. At in impiis & hy-
pocritis Deus non habitat; nec illi veritatem reti-
nent, sed eam deserunt, produntq;. Nihil enim il-
lis levius & inconstantius est. Nullos veró hanc do-
mum esse, nisi qui in fide permanserint, quid opus
est, ut probem? Heb. 3. 6. *Christus, ut filius, præest do-
mui suæ*, inquit Apostolus. Sed quæ hæc domus est?
Nos sumus, inquit. Quid? num omnes? Non. Quid er-
go? Quotquot ex nobis scilicet *fiduciam & gloriam spei
ad finem usq; firmam retinemus.* Sic enim Apostolus:
οὗ οἶκός ἐσμὲν ἡμεῖς, ἐὰν περ τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα
τῆς ἐλπίδος μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν. Ex quo
loco manifestum est, illos solos esse domum Dei, qui
veram fidem ad finem usque retinent; quod impii
non faciunt. Ita hanc esse invisibilem Ecclesiam pa-
tet, de qua Apostolus hoc in loco. De primo Bellar-
mini argumento satis multa respondimus: veniemus
jam ad secundum.

Secundum Adversarii argumentum sumitur ex iis
Scripturæ locis, in quibus est aperta promissio (in-
quit) sed tamen sine nomine Ecclesiæ.

Primus

Primus locus habetur Matth. ult. v. ult. ubi Christus alloquitur Apostolos & discipulos suos in hunc modum: *Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi.* Quæ verba (inquit Bellarminus) ad Ecclesiam visibilem dicta sunt, nimirum ad Apostolos & discipulos cæteros, quos in die ascensionis suæ Dominus alloquutus est; & cúm illi homines non essent permansuri in corpore usque ad mundi consummationem, necesse est dicere (inquit) hanc promissionem ad eorum quoque successores pertinere. Præterea subjungit, Leonem primum in epist. 31. ad Pulcheriam Augustam, & Leonem secundum in epist. ad Constantin. August. hunc locum de perpetua Ecclesiæ duratione interpretari. *Respondeo:* Etsi illa Christi verba ad ministros potissimúm spectant, quós ibi Christus perpetuæ suæ præsentiæ promissione consolatur, quia illi maximos Adversarios habituri erant: tamen ad omnes etiam pios & fideles possunt accommodari. Et sic Augustinus hunc locum sæpe interpretatur, quando vult nobis ostendere, quomodo Christus á nobis recessit, & quomodo adhuc nobiscum præsens est. Recessisse enim ait corporali præsentiâ, sed semper manere nobiscum præsentiâ spirituali, virtutis scilicet, & deitatis; abesse á piis secundúm humanitatem, adesse veró secundúm divinitatem, atq; ita impleri illud, *Ero vobiscum usq; ad consummationem mundi.* Ita interpretatur Augustinus hunc locum in eum modum, ut facta hæc promissio sit non visibili alicui cœtui, sed piis & electis tantúm. Similiter Chrysostomus in comment. in hunc locum. *Non cum illis* (inquit) *solummodo se futurum esse dixit, sed cum omnibus, qui post eos credituri fuerant. Neq; enim Apostoli usq; ad consummationem seculi victuri erant.*

Sed tanquam uni corpori, loquitur cunctis fidelibus. Ita Hieronymus in hæc verba. *Ostendit* (inquit) *Christus, se nunquam á credentibus recessurum esse.* Ita Leo in sermone 2. de Resurrectione. *Qui ascendit in cœlos* (inquit) *non deserit eos qui adoptati sunt*, hoc est, electos. Similiter Rabanus Maurus antiquus Theologus in comment. in hunc locum. *Ex hoc intelligitur* (inquit) *quód usq; ad finem seculi non sunt defuturi in mundo, qui divina mansione & inhabitatione sunt digni.* Itaque omnes de piis & electis tantúm hunc locum interpretantur, in quibus Deus habitat, non de visibilibus Ecclesiis, in quibus multi reprobi sunt, quos Deus á se rejicit. Similiter Dionysius Carthusianus, recentior Theologus, in hunc locum scribit. *Vobiscum ero* (inquit) *hoc est, cum vobis & successoribus vestris cunctisq; fidelibus, seu militante Ecclesia.* Et hinc colligit, non, ut Adversarii, Ecclesiam visibilem nunquam deficere, vel visibilem aliquam Ecclesiam semper in mundo futuram esse; sed quód *nunquam deficiet fides in toto, sed usq; in finem seculi perseverabit in aliquibus Christiana religio.* Hoc plané illud est, quod nos dicimus, & defendimus. Ergo hæc CHRISTI promissio ad nullam visibilem Ecclesiam pertinet, sed ad electos tantúm, & veré fideles; quorum erit in terris perpetua successio, etsi non in visibili aliquo loco & sede. Neque his verbis significat Christus, Ecclesiam semper fore splendidam & gloriosam; sed licet pauci fuerint, qui Deum veré coluerint, cum illis tamen se semper futurum esse. Non ergo sequitur argumentum: Ecclesia illa, quæ est numerus electorum, nunquam é terra deficiet: ergo Ecclesia visibilis nunquam deficiet. 2. Quod ad Leonem attinet, is in loco præfato nihil aliud dicit, quám, *Non deserit Ecclesiam*

suam

suam divina protectio; quod sané verum est, & probatur ex hoc loco, *Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi.* Sed hoc non probat, visibilem Ecclesiam non deficere. Nam Ecclesia est in iis, qui sinceram fidem habent; quos Deus nunquam deserit; quicquid de hac aut illa, aut quavis visibili Ecclesia eveniat.

Secundum Scripturæ testimonium, á Bellarmino citatum, sumitur ex Ephes. 4. 11. 12. 13. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectũ, & mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ubi Apostolus docet (inquit Bellarminus) mansura esse ista Pastorum & Doctorũ ministeria in Ecclesia, & continuam ædificationem corporis Christi, & proinde visibilem Ecclesiam, usque ad diem judicii fore. Nam ista ministeria non possunt exerceri, nisi Pastores & oves se mutuó agnoscant; si veró se mutuó agnoscant, tum & mutuó etiam se videant, necesse est; ergo visibilis perpetuó erit Ecclesia. *Respondeo*: 1. Me posse respondere, non hîc promitti, perpetuos fore Pastores, sed ministerii usum fore perpetuum, & perpetuó necessarium. Dat quidem Deus Pastores & Doctores, sed quos, & quales, & quando vult: non ergo ex hoc sequitur, fore perpetuam illorum in hac vel illa sede, in hoc vel illo loco, successionem. Sic quoq; Reges promisit Deus fore nutricios, & Reginas nutrices Ecclesiæ: tamen hoc non perpetuó verum esse nec fuisse intelligimus. Sic ex tribu Levi promisit Sacerdotes & Levitas in perpetuum; tamen sæpe Sacerdotii & Sacrificiorum

ordo interruptus fuit; & nunc cessasse penitus hoc Sacerdotium novimus. Sed non insistam in hac responsione. 2. Igitur *respondeo:* fuisse semper Pastores, & oves, & semper etiam ad finem seculi futuros esse Pastores, qui oves habeant, quas pascant, & á quibus noscantur: non tamẽ sequitur, has oves & hos Pastores conspicuos semper fore & manifestos, in visibili successione. Nõ est hoc necessariũ. Possunt hi Pastores esse non omnibus, sed paucis noti, ita ut notitiam plurimorum fugiant. Exempli causâ. Tempore Apostolorum erat Hierosolymis ecclesia in principio, eaque verissima, & purissima; sed num visibilis erat? quis dixerit? Nam ex illa celeberrima civitate Hierosolymitana omnes Christiani exceptis Apostolis fugere coacti sunt, ut in Actis Lucas ostendit. Pastores igitur remanserunt, Apostoli scilicet; sed num illi sine ovibus erant? non est hoc existimandum. Habuerunt enim oves, sed hæ paucæ fuerunt, & solis Apostolis notæ; aliorum verò aspectum latuerunt. Nam si Scribis, & Pharisæis, & Sacerdotibus, notæ fuissent, illi eas cõtinuó excommunicassent, & morte mulctandas curavissent. Etsi ergo nos scimus fuisse tunc Ecclesiam, & Episcoporum etiam nomina tenemus: tamen non toti civitati nota illa Ecclesia fuit. Postea Apostoli etiam omnes discesserunt, præter Jacobum. Num Ecclesia tunc visibilis fuit? nequaquam. Remansit quidem Ecclesia, verúm occulta. Episcopi enim & Pastores illorũm temporum noti non erant. Quód verò nos jam eorum nomina novimus, illud historiæ totum debemus. Sed veniamus ad ea tempora, quæ nostræ ætati propiora sunt. In temporibus Marianis, & priús, Ecclesiæ fuerunt, Pastores & oves fuerunt, etiam in iis locis, in quibus

Adver-

Adversarii minimé putabant, ut Londini, & alibi. Et hos nunc scimus, qui fuerunt; sed non omnes tunc illos nôrant. Ipsi etiam tyranni & Episcopi intelligebant tum esse Ecclesiam; sed ubi lateret, aut ubi eam invenire possent, nesciebãt. Latuit igitur eo tempore Ecclesia, nec fuit manifesta; tum enim extincta fuisset. Inciderunt aliquando in unum aut alterum hominem, quem flammis statim tradiderunt; non potuerunt tamen Ecclesiam funditus tollere: at si visibilis fuisset, sustulissent. Sic temporibus Henrici octavi, & Henrici quarti, & temporibus anteactis, multi Pastores fuerunt, ac multæ oves; & historiæ eorum aliquos commemorârunt, ac recensuerunt, sed non omnes; nam procul dubio plures fuerunt. Historiæ enim de omnibus meminisse non potuerunt. Similiter hodie in Gallia sunt Pastores Lutetiæ, qui quanquam inter se noti sunt, non sunt tamen noti aliis; nam tunc facilé perirent. Est enim hoc Ecclesiæ salutare, ut lateat aliquando. Nam hoc modo servat Deus Ecclesiam; alioqui totus mundus in eam irrueret, si videret; eamq; é medio tolleret. Tantum est hominum odium adversus eam. Itaque paucitas, obscuritas, & infrequentia Ecclesiæ, quæ Adversarii argumento esse dicunt, non esse ecclesiam, maximé faciunt, ut sit Ecclesia. Nam salva esse non posset aliquando, nisi lateret. Itaq; 3. *respondeo*, Pastores semper fuisse, & aliquibus, id est, suis ovibus notos fuisse, nõ autem propterea aliis omnibus fuisse notos. Hoc est, quod ille putat, Ecclesiam deficere, nisi sit visibilis aliis. Sed debuit ille probare, fore semper in terris talem Ecclesiam, in qua Pastores omnibus noti & manifesti futuri sint. Atqui hoc non probant, nec evincunt hæc testimonia. Tantúm esse probant Ec-

clesiam semper, & aliquibus notam; quod nos concedimus. Ita Apostolorum temporibus fuit Ecclesia in domo Neronis; & ii, in quibus erat hæc Ecclesia, se mutuó noverunt, & viderunt; sed num Nero hoc novit? num aulici ejus viderunt? nihil minus. si enim nôssent & vidissent illi, nunquam certé id tulissent. Fuit tamen. Ita hodie sunt Ecclesiæ Parisiis, sunt Pastores, sunt oves; etsi non noti Adversariis, tamen inter se. Quanquam ne hoc quidem omni ex parte verum est, illos non esse Adversariis notos. Etsi enim ipsis de facie non sint noti, aliqua tamen notitia & consuetudo inter hos & illos intercedit. Ita hodie non dubitamus esse Ecclesiam in media Roma, & tamen Antichristus eam non novit; atque hæc quidem causa est, quód sit Ecclesia; nam si illi nota esset, eam continuó penitus extingueret.

Tertium Scripturæ testimonium, á Bellarmino citatum, sumitur ex Psal. 47. 7. *Deus fundavit eam in æternum*, hoc est, Ecclesiam suam. Nam totus Psalmus (inquit Bellarminus) est de fundatione Ecclesiæ Christianæ, tanquam novæ & visibilis civitatis. *Respondeo:* 1. Qui negat aut dubitat Ecclesiam esse in æternum fundatam, & perpetuó duraturam esse, is non est Christianus. Sed quid ex hoc sequitur? num omnibus semper, & toti mundo fore visibilem? nequaquam. Nam tempus esse potest, in quo nulla videatur Ecclesia esse, & tamen est. Stupor est putare, non fundatam esse Ecclesiam in æternum, si forte aliquando non claré resplendeat. Non enim ideo defecit Ecclesia, quia ab omnibus non conspicitur; ut tempore Eliæ é terra Israël non defecit Ecclesia, sed tamen visibilis eo tempore non erat. 2. Dico, Prophetam loqui de Ecclesia & civitate Hierosolymitana;

na; quæ sæpiús quidem oppugnata fuerat, sed divinitus tamen liberata. Hoc beneficium laudat Propheta hoc in Psalmo, & liberationem istam celebrat, & una felicem illius urbis & Ecclesiæ statum graphicé describit; quód Deum haberet custodem perpetuum; unde factum est, ut licet hostes eam sæpe oppugnassent, nunquam tamen expugnare possent; & licet aliarum urbium eversiones indies evenirent, hæc tamen perpetuó staret. Ergo & hæc verba, *Fundavit eam in æternum*, de illa etiam civitate & Ecclesia intelliguntur. Hic ergo sensus est, Hæc Dei civitas Hierusalem contra omnium hostiũ multitudinem, & post aliarum Rerum publicarum conversiones, firma stabit. Et tamen non obstante hoc promisso, populus ille in exilium abductus est, & in Babyloniam transportatus. Num propterea Deus fidem fefellit? nequaquam. nam eundem etiam populum postea ab exilio reduxit, & domum revocavit, atque ita fidem servavit. Hæc enim Ecclesiæ restitutio facit, ut Dei promissio vera sit. Sic etsi Deus permittat Ecclesiam aliquando obfuscari, & latere, & in angustias redigi: tamen é latebris postea educit, atque ita promissis suis stat, & fidem Ecclesiæ datam non magis fallit, quám olim civitati Hierosolymitanæ. Hæc itaque & hujusmodi promissa Ecclesiæ facta, non sunt ita intelligenda, ut Ecclesiam semper fore glorioſam, sed ut semper fore salvam significent. Hodie veró populus ille dispersus est, mons ille Sion non extat, nec illa Hierusalem, totus denique illius populi & urbis status eversus est. Num ergo Dei promissiones irritæ sunt? num promissis suis Deus non stetit? nequaquam veró. Sed Deus per Christum, spiritualem quandam Hierusalem ædificavit, & spiritualem

Sionem per omnes mundi plagas diffudit, & per totum terrarum orbem propagavit; cujus illa Hierusalem, & ille Sion typus fuit. Debem⁹ ergo typum cum re conjungere; & sic inveniemus, hanc promissionem veram esse, & suam divinis promissis fidem constare. Civitas illa, Ecclesiæ typus fuit. Ut illam civitatem Deus defendit: sic Ecclesiam semper conservat. Quid hoc nunc ad Ecclesiæ visibilis gloriam? 3. *Respondeo:* promissionem istam non simpliciter intelligendam esse, ut vult Adversarius, sed cum conditione. Ita sæpe Deus Sioni & populo illi statum æternum promisit, se fore illorum Deum, se in Sione habitaturum in seculum, oculos Dei semper illuc respecturos: & tamen hæ promissiones Judæis nihil nunc prosunt. Non est enim nunc Dominus populi illius Deus, nō habitat nunc in Sione; quia nulla jam ibi Ecclesia est, in qua habitet; oculi ejus nunc illuc non respiciunt. Si veró Papistico more velimus istas promissiones interpretari; aut dicemus, Deum fidem fefelliſſe, aut esse jam Deum illius populi, & jam etiam in Sione habitare: quorum alterum sine blasphemia dici non potest, alterum veró falsum esse omnes intelligunt.

Quartum Scripturæ testimonium, á Bellarmino citatum, sumitur ex Isai. 61. 8. 9. *Et fœdus perpetuum feriam cum eis, & scietur in Gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum; omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Locus hic tam perspicuus est (inquit Adversarius) ut expositione non egeat. Quomodo enim invisibilis erit ille cœtus, de quo dicitur, *omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus?* Et hoc caput ad Ecclesiam novi Testamenti referri,

Chri-

Christus docuit Luc. 4. cúm initium hujus capitis de suo adventu exposuit. *Respondeo* 1. Non esse dubium, quin de Ecclesia verba ista intelligantur, cum qua Dominus perpetuum fœdus percussit. Hoc nos concedimus. 2. Esse quoq; Ecclesiam sæpenumero gloriosam in multis visibilibus cœtibus, fatemur; sed non propterea sequitur, perpetuó fore talem Ecclesiæ statum. Hoc est, quod nos negamus, Ecclesiam perpetuó glorioſam fore. Nec hîc quidem fit mentio aliqua gloriæ vel splendoris ipsius Ecclesiæ. Prædicit tantúm Propheta, Ecclesiam in Gentibus propagandam esse ministerio Apostolorum; quod sic futurum esset, ut omnes qui viderint, hoc esse semen cui Deus benedixerit, intelligerent. Et hoc quidem manifestum est, Ecclesiæ á Deo benedici, Ecclesiam á Deo diligi. Sic enim Deus Ecclesiam auxit & conservavit, ut eam esse Deo charissimam, omnibus innotescat. At diligit Deus Ecclesiam, eiq; bene vult, non modó cúm glorioſam facit, & multitudine illustrem; verumetiam cúm eandem obscurari patitur, & ad paucos redigi. Quare hoc argumentum non sequitur: Diligit Deus Ecclesiam, eiq; benedicit: ergo est semper idem status & splendor Ecclesiæ; vel, ergo semper eádem externa amoris signa in Ecclesiam confert. 3. Propheta non ait, omnes videbunt cognoscentq;, hoc esse semen, cui Dominus benedixit; sed, omnes, qui videbunt, cognoscent. Et sic nos concedimus, Ecclesiam posse ab iis, qui illam viderint, agnosci. Sed non omnes vident. Et hoc quidē, quod Propheta hîc ait, verum esse potest, licet in paucis sit Ecclesia; nam quia illos paucos Deus defendit: ergo hi pauci se á Deo diligi intelligunt. Imó hi pauci tam mirificé conservantur, & tandem au-

gentur, & vires acquirunt, ut illos fuisse veram Ecclesiam alii intelligant. Sic hodie apparet, reliquias illas in Papatu, fuisse veram Ecclesiam, quód Deus illas tam mirificé servaverit, & ex tenebris illorum temporum eripuerit; & ita benedixerit, ut in magnam jam multitudinem creverint. Et de hoc secundo Bellarmini argumento hactenus.

Tertium Bellarmini argumentum sequitur, quod complectitur testimonia illa, quæ ex parabolis sumuntur, quibus omnium consensu Ecclesia significatur. Area enim (inquit Bellarminus) in qua sunt grana & paleę; & rete, in quo sunt boni & mali pisces; & ager, in quo sunt frumenta & zizania; & convivium, in quo sunt boni & mali discumbentes; & ovile, in quo sunt oves & hœdi, Ecclesiam visibilem significant, ut etiam hæretici (inquit) fatentur: nam invisibilis Ecclesia non habet malos & bonos, sed tantúm bonos (inquit) secundúm eorum sententiam. Sed hæ parabolæ docent, istam visibilem Ecclesiam nunquam interituram usque ad diem judicii. Nam Christus ait Matth. 3.12. *Ipse perpurgabit aream suam, & triticum congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Hoc autem sine dubio non fiet ante diem judicii. Et Matth. 13.30. dicitur, *Sinite utraq; crescere usq; ad messem:* & infrá in eodem capite, *Messis autem, consummatio seculi est:* & adhuc infrá, *Sic erit in cōsummatione seculi; exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum &c.* *Respondeo:* Videtur hoc esse præclarum argumentum; sed ex nullo argumento magis apparet, quám inepté contra nos Jesuita disputet. Nam *primó* non attendit, cur nos Ecclesiam esse invisibilem dicamus. Non enim hoc dicimus, quód nulli professores fidei videantur.

Nam

Nam etsi totus mundus esset plenus Ecclesiarum & professorum: tamen esset eo modo Ecclesia invisibilis, quo nos esse dicimus. Sed illam distinctionem visibilis & invisibilis Ecclesiæ proponimus, ut hypocritas ab electis distinguamus, non ut nostram Ecclesiam invisibilem esse, aut fuisse defendamus. Ergo *secundó* dico, Jesuitam in eo peccare, quod ipse in aliis reprehendit. Tempus enim terit; quia probare conatur id, quod nemo nostrûm unquam negavit. Illas quidem Ecclesias, quæ areæ, reti, agro, convivio, & ovili comparantur, visibiles esse nos fatemur; & semper tales aliquas in mundo fuisse dicimus, & futuras etiam esse usque ad mundi finem: sed non ut Adversarii volunt, omnibus notas ac visibiles, in hac vel illa sede semper, aut in hac vel illa successione. De modo ergo disputamus, quo Ecclesia visibilis sit. Nos enim non sic Ecclesiam deficere dicimus, ut nulli omnino supersint, qui ad eam pertineant; sed ut tam pauci supersint, ut præ aliorum multitudine nulli esse videantur, & in nullo plané numero habeantur. Erit ergo semper visibilis Ecclesia, sed non sic visibilis, ut illi volunt; sic nimirum, ut omnes eam videant, quemadmodum hodie Papam cũ suis Cardinalibus omnes videre possunt. Non est ergo hoc argumentum ad causam accommodatum; quia non modó illi probandum fuit, Ecclesiam semper esse visibilem: verumetiam semper esse laté & glorioſé visibilem.

Quartum Bellarmini argumentum sumitur ex iis Scripturæ locis, in quibus mentio fit de Regno Christi, ut Psal. 88. 36. *Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in aternum, & testis in cœlo fidelis.* Et in eodem Psalmo vers. 29. *Ponam in seculum*

seculi semen ejus, & thronum ejus, sicut dies cœli. Eodem modo Daniel.2.44. *In diebus Regnorum illorum, suscitabit Deus cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, & Regnum ejus alteri populo non tradetur.* Et Luc.1.33. *Regni ejus non erit finis.* Ista loca (inquit Bellarminus) non possunt intelligi, nisi de vera & visibili Christi Ecclesia, in terris nunquam interitura. Nam Regnum Christi sine dubio est vera ejus Ecclesia. Neque Regnum dici possunt aliquot homines occulti, & dispersi, & separati ab invicem, qui se non noverunt; qualis est (inquit) Ecclesia invisibilis Lutheranorum. Regnum enim est multitudo hominum congregatorum, qui se invicem noverunt. *Respondeo* 1. hæc nihil ad causam facere. Probant enim tantúm, Regnum Christi esse æternum; quod verum est, & á nobis non negatur. Nos hæc omnia concedimus de Christi Regno; sed hîc nihil de externa Ecclesiæ gloria habetur. Nam potest Christi Ecclesia durare, & tamen gloriam illustrem non habere. Probat ergo Adversarius, quod probare non debuit. 2. Quod subjungit, Christi Regnum non posse esse in paucis hominibus dispersis & disjectis, sed in multis tantúm in unum locum congregatis: hoc Christi gloriæ & Regno injuriosum est. Nam CHRISTI Regnum non est aliis Regnis simile. Hæc enim Regna non possunt in paucis disjectis consistere, sed multitudinem & splendorem necessarió requirunt. At Christi Regnum non est de hoc mundo; potest ergo Christus per Spiritum suum etiam in dispersis regnare, iisq; paucis; qui quamvis corpore á se invicem disjungantur, spiritu tamen & inter se colligantur, & cum CHRISTO. Id constat ex Psal.110.2. ubi Propheta de Christi Regno loquens, ait, eum *in medio inimico-*

inimicorum suorum dominaturum. Hæc non est natura aliorum Regnorum; non sic alius quisquam Rex præter Christum dominatur. Nam alii Reges dominantur in medio subditorum suorum; at suum Christus dominatum etiam in mediis hostibus exercet. Sic Christus olim etiam in medio Papatu regnavit, in quo multos semper pios & fideles subditos habuit. Sic in initio post primum Christi adventum, Regnum Christi erat in Maria, Josepho, Simeone, Zacharia, & aliis perpaucis; post ascensionem verò ejus paulò plures accesserunt; sed tamen erant illi occulti, & in uno conclavi abditi. Nullus splendor externus fuit hujus Ecclesiæ; & tamen hoc Christi Regnum fuit, sed spirituale, in divitiis & gloria Spiritus positum. Ergo falsum & impium illud est, quod ait Bellarminus, Christi Regnum non posse in paucis & dispersis consistere; cùm hujus Regni longé alia sit natura, quàm aliorum Regnorum. Quod verò ait, hæc testimonia non intelligi de invisibili Ecclesia, sed visibili: hoc nihil ad rem. Nos enim fatemur, ut priùs dictum est, visibiles Ecclesias semper in mundo fore; sed non eodem semper modo, nec in una semper sede visibiles. Sed quomodò probat, hæc testimonia de Ecclesia visibili, non autem de Ecclesia electorum intelligenda esse? Nimirum quia in Psal. 88. ubi dicitur Christi Regnum æternum, dicitur etiam quòd in eo sint boni & mali, ac proinde quòd Ecclesia sit visibilis. Nam ait Deus per Prophetam in eodem Psalmo, *Si autem dereliquerint filii ejus Legem meam, & justitias meas non custodierint, &c. visitabo virgâ iniquitatem eorum, & verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non auferam ab eo.* *Respondeo*: Quasi verò illi etiam non peccent, qui ad Ecclesiam electo-

rum pertinent. Hæc quidem præcipué de Chriſto Rege, ejusq; ſubditis intelligenda ſunt, qui pii omnes ſunt. Hi peccare quidem poſſunt, & legem Dei trãsgredi, ſed tamen non propterea penitus á gratia excidunt. Ergo locus hic nihil ad rem facit. Non enim ait, quoddam Chriſti viſibile regnum fore in terris perpetuum; ſed quos Chriſto filios Deus dat, hos illum velle punire quidem peccantes, ſed non prorſus abdicare. Hic locus de Eccleſiæ flagellis loquitur, ut Cyprianus veriſſimé in ſermone de lapſis. Et hæc ſunt omnia Scripturæ teſtimonia, quæ Bellarminus attulit. Alii multó plura afferunt; ſed nihil ad rem, ut ipſe fatetur Bellarminus; quia non probant, Eccleſiam viſibilem non poſſe deficere: ergo illi tempus terunt, ut ait ille. Et ipſe certé non minús tempus trivit, dum eſſe ſemper aliquam in terris viſibilem eccleſiam probat, (nam nos quoque id dicimus:) cúm probare deberet, eandem eſſe ſemper glorioſam, ſic ut propter perpetuam & minimé interruptam ſucceſſionem ab omnibus videri poſſit.

Quinto loco proponit Bellarminus teſtimonia quædam veterum, Auguſtini, Bernardi, & Vincentii Lirinenſis. Auguſtinus in Pſalm. 101. concione 2. Donatiſtas reprehendit, quód *Eccleſiam omnium Gentium periiſſe dicerent*. Et poſtea in eodem loco ait, *Eccleſiam non apoſtatâſſe, aut periiſſe*. Similia habet in Pſalm. 147. & in lib. de unitate Eccleſiæ cap. 13. 20. & alibi. *Reſpondeo*: hæc nos non attingere, aut cauſam noſtrã. Auguſtini contra Donatiſtas teſtimonia nihil contra nos faciunt. Nos enim non dicimus, eccleſiam omniũ Gentiũ aut apoſtatâſſe, aut periiſſe, ac proinde Donatiſtis ſimiles non ſumus. Magna inter nos ac illos diſſimilitudo eſt. Injuriam igitur nobis faciunt

Adver-

Adversarii, qui nos cum* Donatistis comparant. Quod quia faciunt sæpius; ostendam paucis, quid inter nos ac illos intersit. *Primó*, Donatistæ Catholicis crimen objecerunt, quod probare non potuerunt; Cæcilianum nempe, catholicum Episcopum, fuisse sacrorum librorum proditorem, hoc est, tradidisse sacros libros hostibus comburendos. Acta res est coram Imperatore Constantino. Illi causâ ceciderunt; Catholici se Cæciliano adjunxerunt; & tamen Donatistæ nõ Cæcilianum modó, verumetiam omnes, qui cum illo communicabãt, Episcopos, nec Ecclesiarũ tantũ Episcopos, verumetiam Ecclesias ipsas damnârũt. Nos nihil Papisticæ Ecclesiæ objicim°, quod non probare facile sit. Et si illa valerent crimina, atq; alicujus apud Adversarios momenti essent, quæ objicimus; multó nos plura & atrociora illis objicimus, quám Donatistę Catholicis objicere potuerunt. *Secundó*, Catholicis Donatistæ nullam in doctrina, aut religione falsitatem objiciebant; sed hoc tantúm, quód persecutionis tempore libros sacros hæreticis tradidissent; alia veró omnia habere fatebantur, quæ ad Ecclesiã pertinebãt: at nos á Papistis doctrinam inprimis corruptã esse clamamus, & illos esse veros sacrorũ codicum proditores affirmamus. Non. n. tam folia comburere, est sacros codices prodere, quám sententiã Dominici Testamenti corrumpere, & magnos ac capitales in religione errores defendere. Nos non reprobamus mores tantúm Papistarũ, ut Donatistę Catholicorũ, quanq̃ id jure possumus: sed illorũ etiam doctrinã. Et certé falsã illis doctrinam, multó magis quám vitia objicimus; & quia illorũ Ecclesiæ Christi doctrinã & Evãgeliũ pessimé corruperũt; ergo non esse pro Christi Ecclesiis habendas dicimus.

Tertió, nos non dicimus cum Donatistis, Ecclesiam ex toto orbe periisse, aut posse perire; quicquid aut Diabolus egerit, aut tyranni hujus mundi. Hoc Donatistæ dicebant, propter communionem aliarum Ecclesiarum cum Cæciliano. Nósne tale aliquid dicimus? Nequaquam. Sed dicimus, Ecclesiam permansisse semper, & permansuram esse; nec in uno angulo orbis latere, ut ajebant Donatistæ, sed per totum terrarum orbem diffusam esse: imó fuisse dicimus Ecclesiam, etiam in perditissimis temporibus, in Anglia, in Germania, in Scotia, in aliis locis, sed eam minús frequentem aut visibilem, quám temporibus aliis. Cúm ergo nos Donatistis tam dissimiles simus, sine causa certé, & sine ratione cum illis comparamur. Ita refelluntur facilé omnia illa testimonia, quæ Papistæ ex Augustino contra Donatistas sumunt, nobisque objiciunt. Bernardi testimonium ex sermone 79. in Cantic. alienum est á causa. Id enim unum agit Bernardus in illo loco, ut doceat, Ecclesiá non posse omnino interire. *Non deficit* (inquit) *genus Christianum, nec fides de terra, nec charitas de Ecclesia.* Et quis quæso nostrûm aliter unquam aut sensit, aut dixit? Subjungit Bernardus: *Venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in eam* (scilicet Ecclesiam) *& non cecidit, eó quód fundata esset super petram; petra autem erat Christus.* Ubi electorum Ecclesiam describi constat, quę sola in petra fundata est. Et hîc Bernardus petrã, in qua fundata est Ecclesia, non Papam, aut Petrum, sed Christum esse affirmat. Sed videamus quomodo probet Bellarminus, non loqui Bernardum de invisibili Ecclesia electorum. Quia scilicet subjungit: *Itaq; nec verbositate Philosophorum, nec cavillationibus hereticorum, nec gladiis persecutorum, potuit ista, aut poterit aliquando,*

quando, separari á charitate Dei. Quasi veró non hoc sit de electis, iisque solis verum! Nam veros Christianos non dicimus ita esse invisibiles, ut gladios tyrannorũ aut persecutorum fugiant; sed ut pro bonis Christianis nõ agnoscantur, quemadmodum in Papatu fieri novimus. *Tertium* testimonium ab Adversario allatum, est Vincentii Lirinensis, qui Nestorii sententiam redarguit, quód diceret, *totam Ecclesiam errâsse in mysterio incarnationis, cæcos doctores sequutam.* *Respondeo:* Et quidni Nestorium meritó reprehenderet? Sed quid hoc ad rem? Miseré certé cum Adversario actũ est, cúm hujusmodi testimonium corradere coactus fuerit. Ecclesia olim non erravit in mysterio incarnationis. Quid hinc colligit? ergóne status Ecclesiæ non est unquam mutatus? Quám hoc frivolum argumentum est? cum nos ne in Papatu quidem hunc articulum corruptum esse dicamus. Vera Ecclesia nunquam erravit, aut in hoc, aut in simili articulo: & tamen vera Ecclesia potest ad pauciſſimos redigi, & in illis conservari, & ita obscurari aliquando, ut ejus aspectus omnibus visibilis non sit.

Postremo loco á ratione præsidium petit Bellarmin⁹. Ratione veró triplici utitur. *Prima* hæc est. Si aliquãdo sola maneret in mũdo Ecclesia invisibilis; aliquãdo etiam esset impossibilis salus iis, qui sunt extra Ecclesiam; quia salvari non possunt, nisi in Ecclesiã ingrediantur; quemadmodum perierunt olim omnes, qui non sunt Arcam ingressi: at in Ecclesiam ingredi non possunt, si eam ignorant: ergo nullum erit iis remedium, qui sunt extra Ecclesiam, si modó Ecclesia invisibilis sit. *Respondeo:* Adversarius non rectè interpretatur illam propositionem, *Extra Ecclesiam nulla est salus.* Nam putat ille, de hac aut illa particu-

lari & visibili Ecclesia intelligi; ut sensus sit, non posse quenquam salvum esse, nisi in particulari aliqua & visibili Ecclesia fuerit. At Elias in statu gratiæ & salutis fuit, etiam tum, cúm de nulla particulari visibili ecclesia esset: & septẽ illa millia hominum, quæ Deus sibi reservavit tempore Eliæ, salva fuerunt; licét nec Eliæ nota erant, nec in aliqua particulari visibili ecclesia vivebant. Sensus verus illius propositionis est, non posse quenquam esse salutis participem, nisi sit in corpore Christi, & in numero membrorũ corporis Christi. Debemus nos quidem, quemadmodum priús docuimus, ad visibilem aliquam particularem ecclesiã nosmet adjungere, si modó talis aliqua nota fuerit, & si hoc commodé fieri potest; alioqui non tenemur sub periculo salutis id facere. Adversarius Quæstiones confundit, hanc scilicet cum priori, & neutram intelligit. Ecclesia Catholica invisibilis est, etiã cúm frequentissimæ particulares Ecclesiæ sunt, ut sæpiús diximus; & Ecclesiæ Christi particulares in eas possunt angustias compingi, ut nulla palám appareat, cui se quivis possit adjungere; & tum certé esse extra particularem Ecclesiam, non facit hominem esse extra spẽ salutis. *Secunda* Bellarmini ratio est hujusmodi. De ratione unius verę Ecclesiæ est, ut sit visibilis: ergo si Ecclesia visibilis perit, nulla vera Ecclesia remanet. Hanc ille rationem sic nudé proposuit sine aliqua probatione; quæ tamen facilé infringi potest. Nam *respondeo*: 1. esse de natura & ratione ecclesiæ catholicæ, ut credatur, non ut videatur. Et illi certé novam sibi Ecclesiam fingunt; Catholicam veró Ecclesiam non intelligunt, qui eam oculis subjiciunt. 2. Etsi sit de ratione & natura particularis ecclesiæ, ut sit visibilis, & sic semper aliqua fuit visibilis

sibilis in terris Ecclesia; non est tamen de illius natura aut ratione, ut semper eodem modo sit visibilis. Aliquando enim glorioſé visibilis esse potest, aliquãdo obscuré; nam & obscura Ecclesia videri potest: aliquando ab omnibus, aliquando non nisi á paucis potest conspici. Ergo non de re, sed de modo rei inter nos controvertitur. Nam & illi dicunt, Ecclesiam semper visibilem esse, & nos: sed illi claré semper & ab omnibus videri; nos obscuré aliquando, & non nisi á paucis. Calumniantur igitur Adversarii, & operam omnino ludunt, cúm dicunt, nos talem ecclesiam constituere, quę aliquando nusquam sit, & á nullis videri possit. Nos quidem in paucis Ecclesiam aliquando consistere dicimus, qui tamen alicubi sunt, & videri possunt: illi veró in illustri semper sede tanquam in monte positam esse contendunt, adeó ut á quovis aspici possit. Ergo nos concedimus, hoc esse de natura ecclesiæ, ut sint aliqui semper in mũdo superstites, qui ad Ecclesiam pertineant; sed horum nõ semper unum statum esse dicimus. Nam ne Romanæ quidem Ecclesiæ, quam illi maximé visibilem esse volunt, est idem status nunc, qui fuit olim; hoc est, non tam glorioſa & ampla nunc est, quám aliquando fuit. *Tertia* Bellarmini ratio in hunc modum se habet. Implicat contradictionẽ (inquit,) ecclesiam esse, & esse invisibilem; nisi ponatur extra mundũ. Sic ille jocatur nobiscum. Sed quid ita quęso? Quia homines illi occulti (inquit) qui ecclesiã invisibilem cõstituunt, aut profitẽtur palám fidẽ suã, & abstinent ab idolorũ cultu, aut nõ. Sic ille cornuto argumẽto nos oppugnat. Sed concedimus disjunctionem; quid tũ? Si profitentur (inquit:) tum Ecclesia nõ est invisibilis, sed maximé visibilis, sicut erat tempore martyrũ.

Si non profitentur: tum hæc non est Ecclesia vera, quia non confitetur fidem; sed eâ in corde retentâ, exteriús profitetur perfidiam & idololatriam, cúm ad Roman.10.10.dicat Apostolus, *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* & Christus Matthe.10.33. *Omnis qui negaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo, qui est in cœlis.* Stapletonus lib.3.de princip.doctrin.cap.9.hoc idem argumentũ tractat. Et hoc quidem Adversariis pulchrum videtur argumentum. Sed *respondeo* 1. Nos non esse Ecclesiam invisibilem dicimus, quód nulli videri possint, qui ad veram Ecclesiam pertineant (semper enim erit hujusmodi hominum numerus aliquis visibilis:) sed quód hi non semper palám & ab omnibus videantur. 2. Dico, & hos quoque suam fidem profiteri (est enim hoc necessarium:) sed hoc tamen illos omnibus notos esse non facit. Non enim requiritur, ut ubique, & semper, fidem profiteamur (id enim esset nosmet hostibus prodere:) sed quando res, & occasio, & tempus postulat. Possunt se pii aliquando silentio tueri, ita tamen ut iis non liceat, impiis sacris interesse; nec falsam religionem simulare, aut veram dissimulare; nec quid de religione sentiant celare, si ab iis examinati fuerint, qui fidei professionem ab illis exigendi potestatem habent. Et hoc quidem nostri semper fecerunt, ut historiæ testantur. Professi sunt fidem suam inter se semper, & palám etiam ac publicé, cum necesse fuit, cumque id ad Dei gloriam maximé faceret. Nam pessimis etiam temporibus, exempli gratiâ, Marianis, quotidie aliqui deprehensi sunt, qui fidem non modó voce professi sunt, verumetiam sanguine suo consignârunt. Sic etiam in temporibus præcedentibus. Quid quód multis etiam

ante

ante mortem Deus fidem in Papatu dederit; quam & ipsi in articulo mortis, si non antea, professi sunt. Semper ergo professa est ecclesia nostra fidem, licét non semper eodem modo; quemadmodum semper visibilis fuit, licét non semper eodem modo visibilis. Sed quám hoc sit ridiculum & infirmum argumentum, ex alio simili argumento ostendam, ex quo apparebit, Bellarminum & Stapletonum, non tam nos, quám Deum ipsum refellere. Constat, Eliæ nullum suo tempore professorem notum fuisse, præter seipsum, cúm Deo diceret, *Ego solus relictus sum.* Respondit tamen illi Deus: *Reliqui mihi septem millia hominum, qui non flexerunt genua Baali.* Jam veró si Elias fuisset Bellarminus, aut Stapletonus, sic potuisset cõtra Deum ratiocinari. Quid hoc est? septem millia tibi reliquisti? tum illi aut palám profitentur fidem, aut non profitentur. Si profitentur, tum quare ego illos non video, & cognosco? Si non profitentur, tum non sunt tui servi, aut tua vera Ecclesia. Ergo falsum est, quod tu dicis, & non sunt septem millia hominum tibi reservata. Ut Deus Eliæ, sic nos Bellarmino & Stapletono respondemus; Dominum etiam pessimis temporibus reliquisse sibi septem millia hominum, qui genua non flexerunt Antichristo, nec eum adorârunt; atque ita esse posse Ecclesiam, eandemque tamen non esse notam aliquando, etiam iis qui sunt de Ecclesia. Hæc omnia Bellarmini argumenta sunt, atque ita quidem proposita, quemadmodum ipse proponit. Nulla pars alicujus argumẽti, quæ aliquam in se vim haberet, prætermissa est. In his duplex error fuit. *Prior* est, quód non intelligat, aut saltem intelligere nolit, cur nos ecclesiam invisibilem dicamus. Non. n. ideo Ecclesiam invisibilẽ esse

dicimus, ut locum quæramus nostræ olim Ecclesiæ, quasi nostræ Ecclesiæ olim invisibiles fuerint: sed ut in particularibus ecclesiis hypocritas á veré piis & fidelibus distinguamus. Si ergo totus mundus professorum plenus esset, & ecclesiarum: Ecclesia tamen esset invisibilis. Hic error est περὶ τὴν ἄγνοιαν τῆς ἐλέγχου. *Alter* verò error est, quòd deficere interpretatur, non visibilem esse: & non visibilem esse, non palám, gloriosé, & omnibus visibilem esse: cúm multa sint, & videantur, quæ tamen aperté & publicé non conspiciuntur. Atque ita tergiversatur, & subterfugium quærit. Hic enim error illorum, nostram sententiam penitus occultat. Potest ecclesia esse non glorioſa, & tamen visibilis. Sic nos fuisse semper Ecclesiam visibilem dicimus, quemadmodum Campianus in colloquio secundi diei antemeridiano nostris respondit. Cúm enim ille urgeretur argumento ducto ab illo loco, *Percutiam Pastorem, & oves dispergentur*: fatebatur, non necesse esse, ut ecclesia semper externam illam pompam & gloriam habeat, hoc est, ut semper gloriosé sit visibilis. Nunquam ad majores angustias redacta est Ecclesia nostra, quám tum Ecclesia redacta est, cúm hoc vaticinium impletum fuit. Idem ergo dixit & tenuit Campianus, quod nos nunc dicimus & tenemus. Et hic secundus Bellarmini error est περὶ τὸ ἑπόμενον. Et de Bellarmini quidem argumẽtis hactenus. Jam verò aliorũ alia quædã argumenta sunt, quę á nobis breviter sũt perstringẽda.

Stapletonus, verbosus inprimis Papista, hanc causam copiosé tractavit. Ille habet argumenta quædam non contemnenda, quibus necessarió respondendũ est. In lib. 3. de princip. doctrin. cap. 9. contra nos disputat, qui dicimus, antecactis temporibus Ecclesiam laten-

latentem fuisse, & reliquias quasdam servatas esse. Unus (inquit) Apostoli locus probat, commentitios istos electos nullo modo extare potuisse. Locus autem ille habetur 1. Cor. 11.19. *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant.* Si illi (inquit) erant probati illi electi (de quibus Apostolus) & Romana Ecclesia illa hæresis, tum oportebat illos manifestos esse toti orbi: quia Apostolus ait, *Ut qui probati sunt, manifesti fiant. Respondeo:* Præclarum argumentum. Num Apostolus ait, ut fiant manifesti toti orbi? nequaquam, sed tantúm ἵνα φανεροὶ γένωνται, *ut manifesti fiant*, atque ut distinguantur, & probentur, tanquam aurũ in fornace. Pii exorta hæresi in Ecclesia constantes permanent, & sic φανεροὶ fiunt, non omnib. quidem, sed iis tantúm, quibuscum rem habent, & qui rectè de religione judicare possunt. Nam hæreticis grassantibus, qui perseverant in fide, ii non omnibus noti sunt, sed iis tantũ, qui sano judicio prædíti sunt. Et quanquam hæretici vident illos perseverare, tamen illos non probant; nec illorum fidem, constantiamque agnoscunt. Ita nos dicimus, nostros omnibus Ecclesiæ temporibus fuisse manifestos, etsi non toti orbi, tamen iis quibuscũ rem habuerunt, & qui rectè de religione judicare potuerunt. Nam constantes in fide perstiterunt, ad mortem usque, quando examinati, & judicati, & damnati fuerunt. Qui ergo rectè de religione potuerũt judicare, eos veros esse ꝓfessores viderũt. Alii veró, etsi illorũ ꝓfessionẽ nõ probarũt: tamen viderũt eos cõstãtes esse in fide illa, quã profitebãtur. Si vera esset hęc Stapletoniana hujꝰ loci interpretatio, tũ singuli, qui sunt de Ecclesia, essẽt toti mundo noti ac manifesti, quod fieri non potest.

Venio nunc ad aliud Stapletoni argumentũ, quod

tractatur lib. 3. cap. 8. quo loco vult probare, etiamſi fuiſſent tales olim reliquiæ, quales nos dicimus, Calvinus nempe, & alii é noſtris, eæque ſatis notæ & visibiles: non tamen potuiſſe ad Ecclesiam veram pertinere. Videtur hoc rem attingere. Videamus ergo quomodo id confirmat. Utitur veró duobus argumentis. *Primum* eſt hujusmodi. Si veri electi fuiſſent (inquit) tum nulla falſa Eccleſia eos opprimere potuiſſet, quia hoc eſt contra verba Chriſti, qui ait, *Portæ inferorum non prævalebunt adverſus eam*, hoc eſt, adverſus Eccleſiam Chriſti. *Reſpondeo*: Non opprimitur Eccleſia, quoties premitur, & in anguſtias compellitur; nec portæ inferorum prævalent adverſus eam, cum profeſſores interficiuntur. Nam hoc erat probandum Stapletono. Sed hoc non probat. Imó ſecũ ipſe pugnat. Nam primó ſupponit, fuiſſe quasdam reliquias perpetuó ſervatas, ut nos dicimus, & easdem etiam fuiſſe notas & visibiles: & poſtea has probat non fuiſſe verã Eccleſiam, quia tum oppreſſa fuiſſet vera Ecclesia á falſa. At ſi fuerunt ſemper reliquiæ, tum non erant oppreſſæ; ſi oppreſſæ ſunt, tum non ſervatæ. Hæc enim ſunt ἀνῳφαπκὰ. Ut cum Iſaias ait, Deum reſervâſſe ſemen & reliquias; certé hæ reliquiæ non ſunt oppreſſæ; & cúm Deus ait Eliæ, ſe reſervâſſe sibi ſeptem millia hominum, non ſunt hæc ſeptem millia oppreſſa. Et cúm tam multi martyres occisi ſunt, nunquam prævalebant tamen hoſtes contra eccleſiam, imó non contra unum fidelem: Nam prevalere, eſt illorum fidem evertere, & Satanæ in ſervitutem eos addicere. Si ergo Satanas non prævalet contra pium, quem occidit: nec prævalet contra Ecclesiam, quando eam perſequitur. *Secundum* Stapletoni argumentum, quo hoc in capite utitur,

tur, eſt, hæreſes non eſſe diuturnas; & hoc probat ex 2. Tim. 3. 8. Ubi Apoſtolus ait, quosdã reſtitiſſe veritati, quemadmodum Jannes & Jambres reſtiterunt Moysi. Sed addit verſu nono, *Ultrá non proficient; inſipientia enim eorum erit omnibus manifeſta, ſicut & illorum fuit.* Atsi credimus Proteſtantibus (inquit:) tales in Eccleſia mille quingentis annis prævaluerunt. *Reſpondeo*: 1. Quod ait, hæreſes non eſſe diuturnas, ſed brevi tantúm durare: in eo fallit & fallitur. Nam Apoſtolus ait, ut priús accepimus, 1. Cor. 11. 19. *Oportet hæreſes eſſe*; & ratio annexa oſtendit, fore hoc in Eccleſia perpetuum, *ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται, ut electi qui ſunt*, tanquam in fornace *probati, manifeſti fiant.* Et idem Apoſtolus 2. Theſſ. 2. 3. ait, non venturum eſſe Chriſtum, niſi priús defectio veniat. Sed quando incepit hæc defectio? fuítne brevis? Imó, ait Apoſtolus verſ. 7. *ἤδη ἐνεργεῖται τὸ μυστήριον τῆς ἀνομίας. Jam myſterium iniquitatis operatur.* Ubi docet, jacta eſſe eo ipſo tempore ſemina quædam Antichriſtianiſmi, quæ poſtea radices egerunt, germinârunt, & accreverũt, uſque dum tandem ſuo tempore revelatus eſt ille Antichriſtus. Atque hunc Chriſtus ipſe ſolus *ſpiritu oris ſui conficiet, & illuſtri adventu ſuo abolebit*, ut ſequitur poſtea verſ. 8. Quibus verbis oſtendit Apoſtolus, á Chriſti aſcenſu, ad ejus ſecundum adventum duraturum eſſe Antichriſtianiſmum. Et Joannes ait 1. Epiſt. cap. 2. verſ. 18. multos tunc Antichriſtos fuiſſe. Et Matth. 7. 15. Chriſtus ait, *Cavete á Pſeudoprophetis.* & idem Matth. 24. ait, *multos fore Pſeudochriſtos, & Pſeudoprophetas, adeŏ ut, ſi poſſibile eſſet, ipſos etiam electos ſeducant.* Sic Petrus 2. epiſt. 2. 1. multos futuros eſſe *ψευδοδιδασκάλους* affirmat. Et Matth. 13. 30. Chriſtus tum de hæreticis, tum de veris profeſſoribus

loquens, ait, *Sinite utraq;*, zizania ſcilicet, & triticum, *uſq; ad meſſem creſcere*, hoc eſt, uſque ad conſummationem ſeculi. Præterea manifeſtum eſt, multas hæreſes & falſas religiones diu duraſſe, & diuturnas admodum fuiſſe; exempli gratiâ, Arianiſmum, Montaniſmum, Mahometiſmum, Judaiſmũ. Has omnes hereſes antiquas eſſe conſtat, & diu duraviſſe, etiam ex ipſis Chronologiis Papiſtarum. Quid quód ipſi etiã Papiſtæ perpetuam hæreticorum ſucceſſionem in Eccleſia futuram eſſe agnoſcunt? Præterea multa, quæ nos nunc docemus, diuturna eſſe, non poſſunt negare; ut contra cultum imaginum, de Sacramento cœnæ, & alia nonnulla. Si hæ ſint hæreſes, certé valde diuturnæ hæreſes ſunt. Nullis enim temporibus defuerunt, qui has hæreſes tenuerunt. Non eſt ergo hæreſis tam citó extincta, quám putat Stapletonus. Sic Papiſmus antiquus eſt, & diu duravit, etſi contra Eccleſiam non prævaluit. 2. Quod Apoſtolus ait, ὑ προκόψουσιν, *non proficient*, hoc non ita intelligendum eſt, quaſi nihil effecturi ſint in ullis, nec aliquos á vero Dei cultu, & á verâ religione averſuri: ſed quód pii & fideles illorum ſtatim inſcitiam agnoſcent, illorum amentiam perſpicient, illorum denique errores & hæreſes percipient, ab iisque declinabunt. Nam verſ. 13. ejusdem capitis Apoſtolus ait, πονηροὶ δὲ ἄνθρωποι καὶ γόητες προκόψουσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον, *Improbi homines & impoſtores procedent in pejus*; non quód ipſi in ſe tantúm pejores erunt, & alios á fide non avertent, ſed ſubjungit proximis verbis, πλανῶντες, καὶ πλανώμενοι, *tum ſeducentes alios, tum ipſi etiam ſeducti*. Itaq; erga alios etiam proficient.

Aliud argumentũ affert Stapletonus in eodem lib. cap. 10. Ait, Calvinum & nos dicere, Eccleſiam veram fuiſſe

fuisse in Papatu, sed Papatū non fuisse ecclesiam. Id quidē nos dicimus. Hanc assertionē ille ridet, & ait, hoc fieri nō posse, & esse hic multa absurda & contradictoria affirmat. Sic autē diluere conatur Si in Papatu fuerūt (inquit) tum in eius cōmunione fuerūt; aliās nō in Papatu, sed extra Papatū, vel juxta Papatū fuerunt. Ergo monstrū hoc est (inquit) & idolum proprium Calvini, esse Ecclesiam in Papatu, sed Papatum non esse Ecclesiā *Respondeo*: Nos dicimus, Ecclesiam fuisse in Papatu dupliciter. *Primó*, quia dubiū nō est, quin in Papatu nōnulli fuerunt, qui cum Papistis vixerunt, & versati sunt, quiq; etiam cūiis communicārunt. qui tamē ante mortē, illorū falsa dogmata respuerūt, quosq; vitæ anteactæ in superstitione pœnituit. Neq; hoc factū est extraordinariâ aliquâ revelatione, sed mediis ordinariis: partim scilicet audiendo á suis doctoribus vera quædā: partim ab aliis piis doctorib. verā fidem & doctrinā hauriendo; cui etsi non statim assensi sunt, tamen nō sunt ejusdē in posterum obliti: partim deniq; legēdo scripturas, & de iis tū per se meditādo, tū cum aliis conferendo; & sic freti Dei misericordia, & abjudicantes errores suos, servati sunt. Habebant. n. Papistę quædc, quę ad verā ecclesiam pertinēt, Baptismū scilicet, etsi non omni ex parte rectē administratū, Scripturas etiā, & quoddam itē ministeriū. *Secundó*, Ecclesiā in Papatu fuisse dicimus, quia in medio Ecclesiarū Papisticarum fuerunt semper ecclesiæ nostræ, communione & professione á Papistis disjunctæ; pauciores quidē numero, & obscuriores, sed aliquę tamē. Ergo nō dicimus, nostras Ecclesias in cōmunione Papatus pmānsisse, fuisse tñ in Papatu. Quod fieri potuisse exēplo quodā docebo. Ecclesia Israëlitica post defectionē Jeroboami,

qui vitulos aureos in Dan & Bethel erexit, præsertim veró tempore Achabi, non erat vera Ecclesia, sed apostatica; quia non erant ibi legitimi Sacerdotes, non Templum, non Sacrificia; illic tamen erat vera Ecclesia. Fuit enim illic Elias, fuit Elizæus, fuerunt septem illa millia hominum, quorũ Deus meminit, cum est Eliam allocutus, & quos se sibi reliquisse ait. Ergo in hac falsa Ecclesia, erat vera Ecclesia, sed latebat illa quidem. Dicat nunc Stapletonus Deo: Si septem illa millia in Ecclesia illa fuerunt, tum in ejus communione fuerunt: at non fuerunt in ejus communione; quia reliqui omnes curvabant genua Baal, illi veró non curvabant: ergo in illa ecclesia non fuerunt. Sic vel hoc monstrum erit, quod Deus Eliæ dixit: vel non erit monstrum, quod Calvinus ait. Nam quemadmodum Eliæ Deus dixit, fuisse in Ecclesia illa Israëlitica septem millia hominum, qui nó curvârunt genua Baali: similiter & eodem plané modo Calvinus & nos dicimus, fuisse olim in Ecclesia Papistica septem millia hominum, qui genua Antichristo non flexerunt, nec ejus errores & superstitiones amplexi sunt. Et de Adversariorum argumentis hactenus.

CAPUT TERTIUM.

In quo argumenta nostra proponuntur.

QUis verus sit Quæstionis hujus status, in qua nunc versamur, antea accepimus. Adversarii affirmant, non modó remanere semper Ecclesiam; sed & claram semper esse, ac glorioſam. Nos veró dicimus, Ecclesiam quidem semper in terris superstitem esse, sed interdum amittere externum splẽdorem, & latêre oculos hominum, & in latebras se abdere, & in paucis hominibus consistere, si modó reliquam multi-

multitudinem spectemus. Hoc illi sic interpretantur, ac si nos Ecclesiam deficere diceremus; quasi verò non sit Ecclesia omnino, nisi clara & glorioſa sit. In hoc cardo controversiæ vertitur. Adversariorum argumenta, quibus in hac causa uti solent, diluimus: nunc sequitur, ut nostra argumenta proponamus.

Et *primò* quidem illa proponemus, quibus Bellarminus cap. 16. conatur respondere, quæq; nobis vult eripere. Quorum hoc *primum* est. In initio mundi, in solis Adamo & Eva Ecclesia tota consistebat, saltem in virtute (inquit:) at uterque fidem amisit, & á Deo apostatavit, ut patet tum ex Genes. 3. tum ex Patribus, Ambrosio lib. de Paradiso, cap. 6. Augustino in Enchirid. cap. 45. & Prospero lib. de gratia Dei, contra collatorem, ante medium: ergo Ecclesia potest deficere. *Respondeo:* Injuriam nobis faciunt Adversarii, cúm ea nobis argumenta ascribunt, quæ nos pro nostris minimé agnoscimus. Hoc enim nostrum argumentum non est, & est á causa plané alienum. Nos enim non dicimus, Ecclesiam veram posse aut deficere, aut apostatare; nec eos qui habent veram fidem, posse eam amittere: sed dicimus, veram Ecclesiam posse in paucitate conservari, atque adeó in tanta paucitate, ut mundo non appareat; nec requiri necessarió hominum multitudinem ad illam constituendam. Equidem fateor, Ecclesiam tum in paucis fuisse; & Adamum ac Evam quodam modo á Deo apostatasse, id est, in obedientia non perstitisse, sed se suosq; damnationi obnoxios fecisse, & peccata gravissima perpetrasse. De quibus peccatis Augustinus in Enchirid. cap. 45. & Tertullian. in lib. contra Judæos verissimé & integerrimé scribunt, multó quidem veriús, & integriús, quám Scholastici. Sed

quid si illi graviſſimé peccarunt? quid hoc ad rem? num ideo ſequitur, eos penitus á Deo defeciſſe, & Eccleſiam Dei penitus extinctam eſſe? Nequaquam. Nam pii, qui ſunt Eccleſia, ſæpe peccant graviſſimé, & tamen interim non deſinunt ad Eccleſiam pertinere: grave ergo peccatum hoc non efficit, ut quis de Eccleſia eſſe deſinat. Et ſic Adamus & Eva erant Eccleſia, & ante lapſum, & in lapſu, & poſt lapſum. Sed videamus quid Bellarminus huic qualicunque argumento reſpondeat. Ait ille, eos tum non fuiſſe Eccleſiam; quia duo tantúm fuerunt; & duo tantúm homines Eccleſiam non conſtituunt. *Reſpondeo.* Eſt hoc falliſſimum. Adamum & Evam fuiſſe Eccleſiam conſtat; & in iis quidem eo tempore tota Dei Eccleſia fuit; etſi id fortaſſe Adverſarii negabunt. Erant enim pii, erant fideles, Deum colebant; ex quo ſequitur, fuiſſe Eccleſiam. Numerus enim hominum colentium Deum Eccleſia eſt, quamvis illi homines pauciſſimi ſint. Etſi ergo illi pauci fuerunt, quia tamen Deum colebant, & in Deum credebant, Eccleſia erant. Eccleſia incepit ab Adamo, quod ipſi etiam concedunt; ſed ſic ut ille cum Eva non origo tantúm Eccleſiæ, ſed & pars etiam eſſet. Quod verò duos homines non poſſe eſſe Eccleſiam affirmat, illud falſum eſſe hoc exemplo conſtabit. In Arca Noachi non niſi octo fuerunt, nec illi quidem omnes pii. Quid ſi ſeptem tantúm fuiſſent? quid ſi ſex? quid ſi pauciores? certé ſi duo tantúm ſervati fuiſſent, illi fuiſſent Eccleſia. Chriſtus ait in Evangelio, *Ubi duo aut tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.* At Chriſtus nuſquam eſt, eo de quo loquitur modo, niſi in Eccleſia ſua. Tertullianus in lib. de pœnitentia ait, *in uno aut altero Eccleſiam eſſe.* Et in exhor-

exhortat. ad caſtitat. ſic ſcribit: *Ubi tres ſunt, Eccleſia eſt; licet laici fuerint.* Quid quód Papiſtæ etiam aliqui dicunt, cúm Chriſtus paſſus eſt, Eccleſiam in ſola Maria ſervatam fuiſſe? Et omnes Patres Eccleſiam Catholicam ab Adamo incepiſſe, & ad finem duraturam eſſe affirmant. Epiphanius in lib. 1. contra hæreſ. ſic ſcribit: *Sancta & Catholica Eccleſia principium omnium eſt.* ubi etiam Prophetam fuiſſe Adamum ait. Sed ſi illi duo non fuerunt Eccleſia, quid tandem erant? Non erant Eccleſia (inquit:) ſed tantúm initium Eccleſiæ, & initium tam materiale, quám formale. Nam Adamus (inquit) fuit principiũ Eccleſiæ materiale, quia primus omnium fuit de Eccleſia: fuit etiam formale principium, quia fuit caput, ſive Doctor & Rector populi Dei, dum vixit. *Reſpondeo:* Hæc nihil ad rem faciunt. Fateor ego fuiſſe Adamum primum omnium, qui de Eccleſia fuerunt, ex quo nati ſunt omnes, qui ad Eccleſiam pertinent, & hoc ſenſu principium Eccleſiæ dici poteſt. Sed materia Eccleſiæ non aliter fuit, quám cæteri pii, niſi quód prima quaſi materia fuit, quia primus fuit ex Eccleſia. Fuit unus lapis in ædificio, non ædificii fundamentum. Formale veró principium dici, quia tum Doctor fuit, abſurdum eſt. Sic enim omnes Doctores & formæ & principia Ecclesiæ erunt, atque ita plures erunt Ecclesiæ formæ: at una tantúm eſt forma Ecclesiæ. Sed quia hoc argumentum, & noſtrum non eſt, & á cauſa eſt alienum, prætermittam.

Secundum noſtrum argumentum eſt hujusmodi. Tempore Moſis tota Eccleſia á Deo apoſtatavit. Nam Aaron ſummus Pontifex, propoſuit vitulum adorandum, & totus populus clamavit, *Hi ſunt dii tui Iſraël,* Exod. 32. Sed hoc argumentum ad aliam

potius Quæstionem pertinere videtur, num Ecclesia scilicet errare possit. Excutiamus tamen, quia Adversarius hoc loco tractavit. *Respondet* Bellarminus; neque caput, neque corpus Ecclesiæ defeciſſe. Non caput; quia solus Moyses tum caput fuit; quem certum est non erraſſe. Aaron siquidem nondum unctus & consecratus erat summus Pontifex: nam postea factus est, ut patet Exod. 40. Neque corpus totum Ecclesiæ tum defecit, quia Levitæ omnes ab illo peccato immunes erant, quemadmodum patet ex eodem 32. cap. ubi Moyses dicit: *Si quis est Domini, jungatur mihi; congregatiq; sunt ad eum omnes filii Levi.* Hæc eadem est responsio Cani, lib. 4. loc. com. cap. 6. in initio. Sed in hac causa nullus nostrûm hoc argumento utitur; quia non defeciſſe tunc Ecclesiam illam dicimus, sed erraſſe. Aliud veró est deficere, aliud errare. Quivis enim error, non est defectio á Deo. Erat igitur hoc argumentum, alio loco, ut dixi, tractandum. Et quanquam hic error graviſſimus fuit: tamen non totam Ecclesiæ naturam sustulit. Non enim illi in animo habebant, Deum prorsus deserere, & penitus abjicere, qui eos ex Ægypto eduxerat, (neque enim tam amentes erant, ut crederent, vitulum illum eos eduxiſſe; quia ille tum non fuit in rerum natura, quando ipsi sunt ex Ægypto educti:) sed voluerunt tantúm Deum per imagines quasdam colere, & per externa quædã simulachra adorare, quemadmodum Ægyptios feciſſe viderant. Sine judicio igitur hîc propositum fuit hoc argumentum. Sed Bellarmini responsionem examinemus. *Primó* igitur, quod ait, caput non defeciſſe, quia Moyses tum caput fuit: hoc nihil ad rem. Nam Moyses in montem seceſſerat, quasi in alium orbem, & alia capita reliquе-

reliquerat, & suo loco constituerat, quibus populum parêre voluit, nempe Aaronem & Hur, ut patet Exod.24.14. Ergo populus dixit, *De Moyse illo, qui eduxit nos é terra AEgypti, quid factum sit, ignoramus.* Cúm ergo Aaron defecit, caput defecit. Illum autem defeciſſe constat, quia unus ex præcipuis erat in illo negotio. De Hur veró nihil legimus, ex quo constare possit, an defecerit nécne. Quod ad corpus quidem attinet, fateor me non putare, totum populum defeciſſe. Non enim omnes hanc idololatriam amplexi sunt, sed quidam tantúm. Id efficit Apostolus ut credam, qui 1. Cor.10.7. sic scribit: *Ne sitis idololatræ, καθώς τινες αὐτῶν, sicut quidam eorum.* Non ergo ait, totum populum fuiſſe idololatricum, sed quosdam tantúm ex populo idololatras fuiſſe. Sed tamen laté patuiſſe peccatum illud, & paucos ab eo immunes fuiſſe, ex eodem Apostolo constat, qui ait, *populum sediſſe ad manducandum & bibendum, & surrexiſſe ad ludendum.* Et Exod.32.3. legimus, totum populum obtuliſſe inaures suas Aaroni. & vers. 10. Deum iratum fuiſſe toti populo, & totum delere voluiſſe, & ex Moyse alium populum magnum suscitare. Et v.17. cum Moyses ac Josua é monte redirent, Josua ait, se audiviſſe sonum, tanquam magni exercitus. Sed de hac re non quæram solicité. Quod veró affirmat Bellarminus, omnes Levitas ab hoc peccato liberos & immunes fuiſſe: quis id credet, cúm sciat, Aaronem, qui princeps Levitarum fuit, principem etiam illius sceleris extitiſſe? Et vers. 27. & 29. Moyses jubet Levitas consecrare manus suas, in cæde filiorum & fratrum suorum. Quod veró in contextu legimus, congregatos fuiſſe ad Moysen omnes filios Levi: id non ita intelligendum est, quasi omnes Levitæ ad Moysen vene-

runt, sed quód omnes qui venerunt, Levitæ erant. De hoc argumento plura non dicemus; & hæc quæ diximus, extra locum dicta sunt.

Tertium nostrum argumentum tale est. Tempore Eliæ, tota Ecclesia visibilis defecerat. Nam 3. Reg. 19. Elias affirmat, se solum relictum esse verum Dei servum. Sic enim conqueritur in illo capite. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum; quia dereliquerunt pactum Domini filii Israël; altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt; & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, ut auferant eam.* Respondit verò Dominus ad eum: *Reliqui mihi septem millia hominum in Israël, qui non flexerunt genua ante Baal.* Hos autem occultos fuisse non dubium est, cúm eos ne Elias quidem cognosceret. Hoc fateor esse nostrum argumentum, & urgeri á nostris cum summa ratione. Attingit enim causam vel maximé. Jam quid ille huic argumento respondeat, videamus. Bellarmini responsio ad hoc argumentum duplex est. *Primó* ait, non esse eandem rationem populi Judæorum, & populi Christianorum. Quæ quidem fallax est responsio. Fateor certé, non esse simpliciter & per omnia eandem utriusque populi rationem. Sed hac in re tamen maximé conveniunt, quód si Ecclesia illa obscurari potuit, tum & hæc etiam ecclesia potest obscurari: si illis temporibus ecclesia Dei ad paucitatem redigi potuit, & tamen conservata est, tum & his etiam temporibus potest ad paucitatem redigi. Sed quare non est eadem ratio hujus & illius populi? Quia populus Judæorum (inquit) non erat ecclesia universalis, ut est populus Christianorum, sed particularis. Et hoc probat, quia extra illum populum inveniebantur multi fideles, & justi, ut Melchisedech, Job, & postea

Corne-

Cornelius Centurio, Eunuchus Candacis Reginæ, & alii nonnulli. Itaq; etiamsi universa Synagoga Judæorum defeciſſet (inquit:) tamen non continuó omnis Eccleſia Dei in terris defeciſſet. *Reſpondeo:* in hac reſponſione multa abſurda eſſe. Nam *primó*, conſtat, illam universalem fuiſſe Eccleſiam, quia nullam Deus præter illam habuit. At ſi ille populus fuit particularis tantúm ecclesia, tum Deus habuit alias illo tempore particulares eccleſias. Sed non habuit. Si dicant habuiſſe, tum proferant illas, & doceant, quæ fuerunt, & ubi fuerunt. Iraſcuntur enim nobis, quód non poſſumus oſtendere, & digito quaſi demonſtrare, ubi noſtra ecclesia olim fuit. Sed poſtquam Deus illam ecclesiam ex Ægypto eduxit: certum eſt, nullam fuiſſe aliam visibilem Ecclesiam ad tempora Chriſti. Quod etiam Scriptura docet Pſal. 147. v. ult. Ubi Propheta ait, *Dominum annunciaſſe verbum ſuum Jacob, & juſtitias ac judicia ſua Iſraël; non ita feciſſe ulli genti; ideoque judicia ejus non noverunt*, id eſt, verbum ejus. Atque hoc eſt, quod Apoſtolus Paulus docet Rom. 3. 2. hoc fuiſſe περισσὸν τῦ ἰυδαίυ, *privilegium Judæi*, quód ibi fuit Ecclesia Dei, & quód Judæis ſolis concredita ſunt τὰ λόγια τῦ θεῦ, *eloquia Dei*. *Præterea* omnes etiam Papiſtæ, omnes Patres, & omnes denique authores, nullam aliam ante Chriſtum Ecclesiam agnoſcunt, præterquam Synagogam illam Judæorum. Qui veró pii erant, & fideles in Gentibus, ad hanc ecclesiam pertinebant. Nuſquam alibi Sacrificia, nullum alibi Sacerdotium: ergo nuſquam alibi eccleſia Dei. Nam eccleſia conjuncta fuit cum Sacerdotio Aaronico, poſtquam ſemel inſtitutum erat, uſque ad Chriſti Sacerdotium. Reliqui omnes veri DEI cultores præter Judæos, proſelyti dicti

ſunt. *Secundó*, quod ait, Melchiſedechum & Jobum fuiſſe extra particularem Eccleſiam Judæorum: illud rectè dici non poteſt. Nam illi vixerunt, antequam Eccleſia Judæorum conſtituta fuit. Melchiſedech enim vixit tempore Abrahami. Job verò quo tempore vixit, incertum eſt. Vixiſſe autem ante Eccleſiæ illius conſtitutionem, omnes conſentiunt. *Tertiò*, quòd Cornelium Centurionem, & Eunuchum memorat: illos proſelytos fuiſſe dicimus, & ſe ad Eccleſiam Judæorum adjunxiſſe. Eunuchus verò etiam ad Templum Hieroſolymitanum vênit, ut adoraret. *Quartò*, quod probare vult, iſtis paucorum hominum exemplis, Eccleſiam illam Judæorum non fuiſſe univerſalem, ſed particularem tantummodo Eccleſiam Dei: cum illorum defenſione conſtare non poteſt. Quid enim? num illi ſinguli homines ſingulæ Eccleſiæ fuerunt? At cùm nos ſimiliter reſpondemus, non acquieſcunt illi, ſed multitudinem requirunt. Imò deridēt nos, cum ſic reſpondemus; & iſtiusmodi reſponſionem non ferunt, niſi plures proferamus. Verùm ſi hæc vera reſponſio ſit Bellarmini: tum nos non minùs aptè & probabiliter, imò aptiùs multò & probabiliùs reſpondemus; cum homines multos ſingulis ſeculis fuiſſe dicimus, qui fidem & doctrinam noſtram amplexi ſunt, & in his Eccleſiam ſalvam eſſe potuiſſe. Nam ſi illi, quos memorat Bellarminus, Eccleſia erant, etſi Eccleſiæ Iſraëliticæ ſe non adjunxerunt: quidni & hi etiam Eccleſia fuerunt, etſi cum Romano Pontifice non communicabant? *Quintò*, & ultimò, quod ait, etſi univerſa Synagoga Judæorum defeciſſet, non ſequi tamen continuò, omnem Dei Eccleſiam viſibilem in terris defeciſſe, abſurdiſſimum eſt: cùm nullam poſſint nominare

minare Dei Ecclesiam visibilem, præter illam Synagogam: ergo si illa defecit, omnis certé visibilis Dei in terris Ecclesia defecit. Erant forsan pauci aliqui extra hanc Synagogam, quos Deus extraordinarié vocavit, & servavit: sed Ecclesiæ ratio & successio nusquam alibi fuit, nisi in hac Synagoga. Quód si hæc Synagoga potuit deficere: certé & Christianorum Ecclesia deficere potest. At nunquam omnino deficere potuit illa Judæorum Ecclesia; etsi ad illam aliquando paucitatem redacta fuit, ut vix externa aliqua Ecclesiæ facies appareret, & pauciſſimi essent, qui veram religionem profiterentur; quemadmodum nos postea ostendemus. Nunquam enim permisit Deus populũ illum ita opprimi, quin aliquam semper Ecclesiæ & Reipublicæ formam retineret. Ratio veró, cur voluit Deus populum illum conservari, hæc fuit, quód oporteret Christum in eo populo ex certa tribu & familia nasci: ergo omnino necessarium fuit, illum populum durare. At nunc Deus magis liber & solutus est, quám olim fuit. Erat enim tunc quodam modo alligatus, ut illam ecclesiam servaret; at nunc nulli populo obstrictus est, nedum Ecclesiæ Romanæ, quin possit ex hoc vel illo populo, ex hac vel illa Gente, Ecclesiam excitare. Quare sic concludo contra Adversarium: Si erant tunc pii & fideles extra Ecclesiam Judæorum, quidni & nunc esse possunt extra Ecclesiam Romanam? Et hæc fuit prima Bellarmini responsio. Sed postea ille secundam subjungit responsionem; cui magis quám huic confidit. Videamus ergo, quænam illa sit. *Secundó* respondet Bellarminus in hunc modum. Ad illud de Elia (inquit) dico, Eliam loqui, non de omni populo Judæorum, sed solúm de illa parte, quæ subjecta erat

Regi Samariæ. Nam constat (inquit) ex eodem lib. 3. Reg. tempore Eliæ regnasse in Hierusalem Asam, & post eum Josaphat, optimos Reges, & sub ipsis fuisse in Hierusalem populum & Sacerdotes manifestissimé in vera religione persistentes. De Israëlitis ergo loquitur Elias, & ait se solum relictum fuisse inter illos; at alii fuerunt multi eodem tempore inter Judæos. Hæc est responsio Sanderi lib. 8. & Stapletoni lib. 2. cap. 13. & omnium pené Papistarum. Itaque eam examinare debemus, & nostrum argumentum communire. *Respondeo* veró duo. *Primó*, me non esse valde solicitum, qualis tum fuerit Ecclesiæ status Hierosolymis inter Judæos, nec velle admodum contendere, an de illis quoque Elias locutus sit, cúm dixit, *Ego solus relictus sum.* Concedi potest, fuisse tum Ecclesiam ibi; sed tamen non tam claram & sincerum, quám illi arbitrantur. Nam videtur Elias de illa quoque Ecclesia loqui; quod ego his rationibus confirmo. *Prima*, quando Eliæ Jezabel mortem minata est, fugit ille é terra sua. Quó? in Judæam. Sed num ibi substitit? certé si ibi vera Ecclesia fuisset, qualem ille cupiebat, non necesse fuisset illi longiús fugere: sed fugit (inquit contextus) in desertum, ut ibi tutus esse posset; & postea longiús profectus est, spatio quadraginta continuorum dierum; nec antea fecit finem proficiscendi, & pergendi, & fugiendi, donec ad Horebum montem vênit, in quo Moysi Deus apparuit, qui certé mons tum á Samaria, tum ab Hierosolymis longissimé disjunctus fuit. Certé si tutum locum inter Judæos reperire potuisset, nunquam tam longum iter suscepisset. Unde videamus, quám inscité Campianus responderit, fugisse eum in Judæam, ut cum illa Ecclesia communicaret, & sese conjun-

conjungeret. *Secunda* mea ratio hæc est. Quando Elias populi peccata exponit & commemorat, inter alia hoc recenset, quód altaria evertissent. Quæ illa (quæso) altaria fuerunt, quæ diruta sunt? num Jeroboami? nequaquam. Nam idololatricorum altarium eversionem non deploravit Elias, sed legitimorum: nullibi verò legitimum Dei altare fuit, nisi Hierosolymis. Non placet illa horum verborum expositio, quam afferunt nonnulli, qui per altaria cultum Dei intelligi volunt. *Tertia* mea ratio, eaq; firmissima, sumitur ex authoritate Apostoli Rom. 11. in principio, ubi Apostolus locutum esse Eliam generaliter docet. Vult enim probare, sicut tempore Eliæ videbatur nulla inter Judæos relicta Ecclesia, cúm Elias diceret, *Ego solus relictus sum*, & tamen erant eodem tempore multa millia, quæ sibi Deus reservaverat: ita nec tunc quidem abjeciisse Deum populum suum, nec Ecclesiam prorsus inter Judæos defeciisse, sed reliquias quasdam servatas esse. Jam verò nisi Elias putavisset totam Ecclesiam fidelium suo tempore defeciisse, non fuisset hoc exemplum Apostoli instituto satis accommodatum. Nam objicere potuissent Judæi contra Paulum, quemadmodum nunc Papistæ contra nos; totum populum, totamque Ecclesiam, tempore Eliæ non defeciisse, sed Israëlitas tantúm: in Judæa tunc Ecclesiam fuisse, etsi nulla in Israële esset: at nunc totum populum defeciisse. Sed voluit Apostolus hoc exemplo docere, quód sicut illo tempore Deus non fefellit fidem, nec promissiones suas abrogavit, cúm Elias nullum præter se supereſſe crederet: ita nunc etsi nulli aut pauci inter Judæos veri fideles apparerent, Deus tamen plures novit, quám nos unquam suspicaremur. Loquitur ergo

Apostolus de omnibus iis, qui erant filii Abrahæ. Et sic hunc locum Chrysostomus exponit in comment. in Rom. 11. & in comment. in Matth. homil. 22. Et Hieronymus in eundem locum (si illi commentarii Hieronymi sint) sic scribit. *His verbis Elias, praeterse esse aliquos, qui Deum colerent, ignoravit.* Loquitur generaliter. Licet igitur Asa Eliæ tempore regnavit Hierosolymis, & post illum Jehosaphat, quorum uterq; pius Rex fuit: tamen videtur cultus Dei ne ibi quidem adeó purus fuisse, sed admodum corruptus, ut de illa quoque Ecclesia Elias loqui posset, cúm diceret, *Ego solus relictus sum.* Sed *secundó* respondeo per concessionem. Demus enim, tum fuisse in Judæa Ecclesiam, & floruisse illo tempore Hierosolymis verum cultum Dei, quod Adversarii volunt: tamen nos duo ex hoc loco contra illos concludimus, quorum neutrum attingit vel Bellarminus, vel Sanderus, vel Stapletonus, vel alii Papistæ; & tamen hæc sunt in hoc argumento præcipua, & quorum causâ nostri potissimúm hoc argumentum urgent. *Primum* est, Ecclesiam sic posse deficere, ut ubi fuit vera Ecclesia, eaque ampla, & illustris, ibi nulla vera Ecclesia appareat, sed falsa duntaxat Ecclesia; quæ tamen nomen veræ Ecclesiæ falsó prætexat. Talis fuit status Ecclesiæ Israëliticæ tempore Eliæ. Cui per omnia hodie similis est Ecclesia Papistica, ut non immeritó cum illa comparari possit. Sustulerunt enim Papistæ verum Dei cultum, eumque in idololatriam verterunt, Prophetas Dei occiderunt, Deum verum deseruerunt, & nullum sinunt verum Dei servum vivere, quem possunt interficere; & tamen Ecclesiæ nomen sibi vendicant, & assumunt. *Alterum* illud, quod ex verbis Eliæ contra Adversarios

rios colligimus, hoc est; veram Christi Ecclesiam ibi posse latêre, & conservari, ubi minimé putemus, ut non modó non pleriq; agnoscant, sed ne pii quidem ipsi. Nam Elias se solum relictum putabat, non quidem solum Prophetam, ut Campianus respondit, sed solum Dei verum cultorem. Nam sic Deus illi respondit, *Reliqui mihi septem millia*, non Prophetarum, sed verorum cultorum, *qui genua Baali non flexerunt*. Et sic Paulus interpretatur Rom. 11. Unde obiter, quales Adversarii sint Scripturæ interpretes, videamus. Ex his septem millibus hominum, ne unus quidem Eliæ notus fuit. Ex quo sequitur, non requiri semper talem cognitionem inter Pastores & populum, qualem Adversarii volunt; cúm Elias, qui pastor fuit illius populi, ne unum tamen in toto illo populo verum Dei servum noverit. Sic ergo latêre potest Ecclesia aliquando, ut ne piis quidem nota sit. Elias non potuit unum nominare verum Dei cultorem, prêter seipsum; & tamen Deus affirmat se reservasse sibi septem millia hominum, qui illius veri cultores fuerunt. Ita in Papatu multa olim hominũ millia fuisse dicimus, qui fidem nostram professi sunt, quiq; bestiã non adorarunt; quos etsi nos nominare non possumus: Deus tamen novit, & sibi illos reservavit. Itaque hoc exemplum nunquam possunt Adversarii eludere, qui Ecclesiam semper glorioſam, & omnibus publicé notam esse volunt. Nunc ad quartum argumentum pergamus.

Quartum nostrum argumentum sumitur ex certis quibusdam Scripturæ testimoniis, quę partim in veteri, partim in novo Testamento occurrunt. *Primum* testimonium habetur Isa. 1. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israël autem me non co-*

gnovit, & populus meus non intellexit. Et pauló póſt in eodem capite, *A planta pedis uſq; ad verticem capitis, non eſt in eo ſanitas. Secundum* eſt Jeremiæ in cap. 2. v. 26. 27. huic conſimile: *Confuſi ſunt domus Iſraël, ipſi & Reges eorum, & Principes eorum, & Sacerdotes, & Prophetæ eorum, dicentes ligno, Pater meus es tu.* Et poſtea verſ. 29. *Quid vultis mecum judicio contendere? omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus. Reſpondet* Adverſarius, ſolere Prophetas & Apoſtolos interdum reprehendere univerſum populum, quaſi nemo ibi ſit bonus, cúm tamen permulti ſint boni: & é contrario interdum conſolari omnes, quaſi omnes ſint boni, cúm conſtet ibi multos eſſe malos; & exempla ex aliis Scripturæ locis producit ad utrumque confirmandum. Vult enim nos, ut hoc meliús intelligamus, comparare Ezech. 3. 7. cum Ezech. 9. 4. & Galat. 3. 1. cum Galat. 6. 1. *Reſpondeo:* Nos hoc damus. Sic enim Auguſtinus in lib. de unitate Eccleſiæ cap. 12. & in libro, quem edidit poſt collationem cum Donatiſtis, cap. 20. ubi affirmat, non Prophetas modó, verumetiam Apoſtolos, *ſic arguere ſolere reprehenſibiles in aliquo populo, quaſi omnes in eo populo arguantur, & ſic alloqui laudabiles, quaſi omnes ibi laudentur.* Sed argumentũ tamen noſtrum ex his locis nihilominus concludimus. Nos enim non dicimus, nullum omnino bonum in Papatu olim reliquum fuiſſe, ſed tam paucos, ut non apparerent. Sic nec Iſaias, nec Jeremias, nullos omnino bonos in illo populo remanſiſſe ait, ſed paucos; nec omnes fuiſſe malos, ſed plerosque. Nam Iſaias cap. 1. verſ. 9. ait, relictos eſſe ſuperſtites paucos. *Niſi Dominus exercituum* (inquit) *reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & Gomorrhæ ſimiles.* Sed hoc eſt, quod Prophetæ dicunt, Iſaias nempe & Jeremi-

Jeremias, eos qui præcipuum in externa Ecclesiæ facie locum tenuerunt, & totum feré populum, á vera pietate desciviſſe, nec fuiſſe membra Eccleſiæ, ſed Apoſtatas. Hoc eſt, quod Iſaias ait, *á planta pedis uſque ad verticem capitis, non fuiſſe in toto corpore ſanitatem.* Sic Jeremiæ capite quinto, verſu primo, Propheta ait: *Circumite vias Hieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem; & propitius ero ei.* Pervaſerat igitur impietas totum corpus Eccleſiæ, & Reipublicæ, plebem, Principes, Sacerdotes, & omnes. Hoc veró á Jeremia dictum eſt, quód pauci remanerent boni, non quód nulli eſſent. Atque hæc quidem Eccleſia á Deo ipſo plantata fuit, & hujus Eccleſiæ ſtatus ab eodem fuit inſtitutus; & tamen tam miſeré defecerat, & degeneraverat, quám accepimus. Ex quo colligimus, nullius Eccleſiæ tam eſſe firmum & ſtabilem ſtatum, quin mutari poſſit; adeó ut qui maximé in Eccleſia emineant, non ſint Eccleſia, ſed in paucis reliquiis Eccleſia ſit; quemadmodum tum fuit. Ubi tum erat externa illius Eccleſiæ gloria, cúm Propheta clamaret, *Omne caput agrum, & omne cor languidum:* &, *Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis?* &, *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aqua?* Sed tamen affirmat idem Prophéta, pauculos remanſiſſe, & in his paucis fuit Eccleſia. Conſtat ergo, hoc tempore nullam fuiſſe externam Eccleſiæ amplitudinem, claritatem, & ſplendorem. Et quemadmodum in hoc perdito Eccleſiæ ſtatu, DEUS ſibi aliquam Eccleſiam reſervavit: ita non eſt dubium, quin in Papatu etiam ſimiliter aliquas reliquias habuerit. *Tertium* teſtimonium ſumitur ex 2. Paralip. 15. 3.

Transibunt dies multi in Israël, sine Deo vero, sine Sacerdote, & Doctore, & sine Lege. Respondet Bellarminus, hæc verba intelligi de regno Israël, non de regno Judæ. *Respondeo:* Fateor hoc ita esse. Sunt enim verba Hazariæ ad Asam regem, & nominatim loquitur de Ecclesia Israëlitica. Itaq; non tantum probat hic locus, quantum primo aspectu videtur. Sed ostēdam, hoc ipsum quoq; Ecclesiæ Judæorum accidisse. Rex impius Achaz, qui fuit Rex Judæ, de quo legimus 2. Chron. 28. 24. occlusisse dicitur fores domus Domini, hoc est, publicam religionis professionem impedivisse, & effeciſſe, ut non liceret cuiquam publicé religionem profiteri. Præterea ille locum & angulum quemque urbis Hierosolymitanæ altaribus complevit, & in singulis civitatibus Judæ excelsa diis alienis extruxit. Itaque status Ecclesiæ Judaicæ fuit hoc tempore perditissimus. Non solúm enim prohibuit Rex ille impius veram religionem: verum etiam falsam religionem in Ecclesiam induxit. Idem legimus de eodem Achazo, 2. Regum 16; ubi vers. 10. & 11. Urias sacerdos jussu Regis dicitur *amovisse æneum altare Salomonis, & novum extruxisse, ad formam altaris Damasceni.* Sic Templum pollutum fuit, Sacerdotium contaminatum, Sacrificia sublata, turbata denique omnia, adeó ut nulla veræ Ecclesiæ facies esset. Et hæc apud Judæos facta sunt. Videmus ergò, statum Ecclesiæ miserè mutari posse. Sed tempore Manassis deterior adhuc multó Ecclesiæ status fuit. Deus quidem tunc Ecclesiam habuit, sed pii nulli palám apparuerunt. Venio nunc ad testimonia novi Testamenti. Quorum primum habetur Luc. 18. 8. Ubi Christus ait, *Filius hominis cum venerit, nunquid putas eum fidem reperturum esse in terra?* Hic locus á nostris vehe-

vchementer urgetur,& quidem appoſité. Itaque videamus,quid reſpondeat Adverſarius. Bellarminus *reſpondet*,Chriſtum loqui non de fide ſimpliciter,ſed de eximia quadam fide,quæ etiam in optimis Eccleſiæ temporibus in paucis reperitur,& in pauciſſimis reperietur in ultimis diebus. Sic Rhemenſes de rara quadam fide,miraculorum effectrice,hunc locum intelligi volunt,de fide nimirum illa,qua montes moventur; quæ rara quidem eſt,etiam cùm Eccleſia maximé floret. *Reſpondeo:* nulli dubium eſſe poſſe, Chriſtum hoc in loco de vera & communi Chriſtianorum fide loqui,qua nos ex Deo pendemus, illi confidimus,ab eoq́; vitam & ſalutem æternam ſperamus atque expectamus. Nam parabolæ de vidua, iniquum judicem aſſiduis precibus ſolicitante,hæc verba ſubjunguntur;quaſi diceret Chriſtus, Verum certé eſt,fore ut Deus tandem ſuos vindicet & liberet,qui die & nocte ad ipſum clamant,quemadmodũ hic impius judex viduam illam ſibi continuó moleſtiam exhibentem vindicavit: ſed poſtremis temporibus pauci erunt huic viduæ ſimiles,qui Deum precibus aſſiduis veré & inſtanter invocabunt; quia fidẽ veram,quæ mater invocationis eſt,pauci tunc habebunt. Ex quibus verbis ſic poſſumus contra Adverſarios concludere: Pauci erunt ante ſecundum Chriſti adventum veré fideles,pauci veré colentes & invocantes Deum: ergo Eccleſia tunc paucorum erit. Non vult Chriſtus nullos omnino fore illo tempore fideles;ſed exiguum fore illorum numerum, præ reliquorum multitudine. Hoc evertit Papiſtarum opinionem de multitudine credentiũ. Chriſtus paucos fore ait,illi multos. Hieronymus quidem (fateor) in dialogo contra Luciferianos,& Auguſtinus in

lib. de unitate Eccleſiæ cap. 13. de rara quadam & perfecta fide hunc locum interpretantur, ſed nullâ certé ratione. Video tamen, quid illos impulerit, ut ſic interpretarentur. Rem ſcilicet cum hęreticis quibusdam habebant, qui tum periiſſe Eccleſiam dixerunt; idque ex hoc loco probare voluerunt. Itaq; ut illorum argumentum eluderent, de rara quadam & perfecta fide hunc locum interpretati ſunt. Sed verus loci ſenſus eſt, futuram eſſe paucitatem veré fidelium. Nam Chriſtus aperté prædicit, qualia ſint circa finem mundi futura ſecula, nempe ἀποστασίαν laté diffuſum iri, etiam inter eos qui fidem profitentur, adeó ut cúm ille venerit, in paucis veram fidem ſit inventurus. Hunc veró eſſe hujus loci ſenſum, apparet ex Matth. 24. 11. Ubi Chriſtus ait, ſtatim ante illa tempora futurũ eſſe, ut multi Pſeudoprophetæ & ψευδοδιδάσκαλοι in Eccleſia oriantur, qui multos fallent ac ſeducent, imó qui tantum proficient ac prævalebunt, ut omnes fallant, etiam electos, ſi fieri poſſet, ut habetur verſ. 24. ejusdem capitis. Ergo fidei tũcerit generalis corruptio, & hæreſes ac pravæ opiniones paſſim obtinebunt; quia omnes præter electos ſeducentur. Sed perpendenda eſt hæc Bellarmini reſponſio. At de fide rara & eximia hæc verba intelligi, & eandem eſſe Rhemenſium ſententiam docuimus. At alii Papiſtæ pauló mitiús loquuntur, & de fide tantúm formata hunc locum intelligi volunt. Atque illi fatentur, fidem formatam tum fore paucorum; at Catholicam fidem informem, & profeſſionem publicam, fore multorum, ita ut fidei non futurus ſit tum defectus ſecundúm illos, ſed formatæ fidei. At Chriſtus dicit fore, ut omnes præter electos, qui ſoli formata fide prædiți ſunt, fallantur. Si

fallentur,

fallentur, tum veram Catholicam fidem non profitebũtur. Ecclesia ergo vera & Catholica in electis tãtúm remanebit. Hoc magis adhuc patet ex eo, quod Christus ait vers. 12. *Quoniam iniquitas tum abundabit, charitas multorum refrigescet.* Ergo de vera fide loquitur Christus, quæ semper est cum charitate conjuncta. Rara erit tum fides, rara etiam erit charitas. Et cúm Christi grex præ multitudine impiorum pusillus semper sit, cumque verum semper illud sit, *multi vocati, pauci electi:* tum præcipué postremis temporibus, propter Satanæ malitiam, & impiorum multitudinem, horum utrumque verissimum erit. Atque hæc quidem interpretatio nostra ita vera est, ut Augustinus etiam ipse eodem in loco, nostram sententiam approbet. Cúm enim hunc locum de fidei perfectione interpretatus fuisset, aliam statim interpretationem subjungit, nimirum quód tum erit paucitas bonorum. *Vel* (inquit) *propter illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum,* Christus dicitur vix fidem in terris reperturus. Ergo Ecclesia tum erit in paucis. Idem Augustinus in Psalm. 60. postquam mẽtionem fecisset horum verborum, *Quoniam iniquitas abundabit, charitas multorum frigescet:* statim subjungit: *Sed illa Ecclesia, quæ clamat á finib. terræ, in his est, de quib. sequitur, dicens, Qui autem perseveraverit usq; in finẽ, hic salvus erit.* Ex quo constat, Augustinũ illa Christi verba, *putásne inveniet fidem in terra?* &, *refrigescet charitas multorum,* de Ecclesiæ Catholicæ exiguo numero interpretari. Nam Ecclesia Catholica est, quæ clamat á finibus terræ, & hæc est in iis tantúm, qui perseverant; qui veró perseverant, admodum pauci tunc erunt. nam Christus ait, *refrigescet charitas multorum.* &, *cúm venerit filius hominis, putásne inveniet fidem in terris?*

ergo Ecclesia Catholica tum in paucis erit. Ita Cyprianus in lib. de Unitate Ecclesiæ, sive de simplicitate prælatorum, de illa communi fide sanctorum hunc locum interpretatur. Verba ejus hæc sunt: *In nobis vigor fidei emarcuit, credentium robur elangüit; & idcirco Dominus tempora nostra respiciens in Evangelio suo dicit, Filius hominis cúm venerit, putas inveniet fidem in terra? Videmus fieri, quod ille prædixit. In Dei timore, in lege justitiæ, in dilectione, in opere, fides nulla est.* Et Beda in hũc locum hæc verba habet: *Tanta erit raritas electorum, ut non tam ob clamorem fidelium injustè damnatorum, quám ob eorum torporem justè damnatorum, totius jam mundi sit acceleranda ruina.* Et Theophylactus hoc interpretatur de temporibus Antichristi, quando fore πάριον τῆς πίστεως ait, *raritatem fidelium*, & Christum venientem ἐν νεφέλαις, *in nubibus*, οὐχ ἁπλῶς ἐν τῇ πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς, εἰ μὴ ὀλίγοις, *non inventurum esse fidem in terra, nisi in paucis.* Et ibidem ait, Christum significare, ὅτι ὀλίγων ἔσται καὶ τὸ προσεύχεσθαι τότε, ἐπειδὴ καὶ πίστις ὀλίγοις διεφθάρται, *quód paucorum erit tunc precari, quia fides in paucis invenietur.* Quid quod ipsi etiam Adversarii hanc nostram interpretationem concedere coguntur? Nam *secundó* fatetur Bellarminus, posse hũc locum de fide absolutè intelligi; quasi velit Christus dicere, paucos futuros esse fideles, tẽpore Antichristi, non tamen nullos (inquit) nec tam paucos, ut nõ faciant Ecclesiam. Sic eó tandem descendit, quó nos eum cupimus deducere. Quis enim nostrûm hoc unquam dixit, vel nullos aliquando fore fideles, vel tam paucos, ut Ecclesiam non constituerent? Sed quare non docet Bellarminus, quám pauci futuri sint, ut ecclesia interim salva & incolumis maneat? Certé ex hac interpretatione, Ecclesia potest esse in tribus

tribus vel quatuor, vel saltem in decem. Nisi ergo velint illi definire, quám pauci ad Ecclesiam constituendam sufficiant, non possunt nostram sententiam negare; posse nimirum fieri, ut ecclesia aliquando paucorum hominum sit. Tertullianus in lib. de pœnitentia ait, *in uno aut altero posse esse Ecclesiam.* Ergo si in perditissimis ecclesiæ temporibus, unus tantúm aut alter fuerit fidelis Dei servus, sufficit. *Aliud* testimonium novi Testamenti sumitur ex 2. Thess. 2. 3. ubi Apostolus docet, non venturum esse Christum ad judicium, *nisi venerit defectio primúm, & revelatus fuerit homo peccati.* Ecclesiæ ergo status mutandus est, nec futurus est semper illustris & glorioſus. Et quanquam Patres aliqui hunc locum de defectione á Romano imperio interpretantur, ut Ambrosius, Sedulius, Primasius, Tertullianus etiam in lib. de resurrectione carnis, & Hieronymus in Quæstione undecima ad Algasiam, & Bellarminus ait, hanc esse valde probabilem sententiam: tamen constat, hanc defectionem non intelligi. Nam loquitur Apostolus de illa ἀποστασίᾳ, quæ futura erat per Antichristum: at Antichristus fidem & religionem oppugnaturus erat, non politiam; Christo se, non Imperatori oppositurus; Ecclesiæ & religionis, non Regnorum & Rerumpublicarum statum mutaturus: ergo manifestũ est, Apostolum non de politica aliqua, sed de Ecclesiastica defectione loqui. Præterea Apostolus ait, τὸ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, *mysterium iniquitatis nunc operatur*: at Romanum imperium non cœpit tum ne nutare quidem, sed diu postea floruit. Ergo de illa ἀποστασίᾳ intelligendus hic locus est, de qua idem Apostolus 1. Tim. 4. 1. τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, προσέ-

χοντες πνεύμασι πλάνοις, καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων. *Spiritus manifeſtè dicit, fore ut in noviſſimis temporibus deſciſcant quidam á fide, ſpiritibus deceptoribus animum attendentes, & doctrinis dæmoniorum.* Quare nomine ἀποστασίας ipſum Antichriſtum μετωνυμικῶς intelligi volunt Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, OEcumenius in hunc locum, & Auguſtinus etiam in lib. 20. de civitate Dei, cap. 19. quód Antichriſtus cauſa foret hujus ἀποστασίας, quia effecturus erat, ut multi á Chriſto deficerent. Sic enim OEcumenius: ἀποστασίαν αὐτὸν λέγει τὸν ἀντίχριστον, ὡς ἀφιστᾶν μέλλοντα πολλοὺς ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, *Apoſtaſiam vocat ipſum Antichriſtum, quia multos averſurus erat á Chriſto.* Et Bellarminus ipſe poſtea de fidei ἀποστασίᾳ hunc locum interpretatur. Sed quomodo deficiet fides? de modo enim & ratione hujus ἀποστασίας Adverſarii nec nobiscum, nec inter ſe conſentiunt. Bellarminus cauté & ſcité non generalem diſceſſionem intelligi vult, ſed particularem, id eſt, non omnium, ſed multorum; vel omnium quidem, ſed occultorum hæreticorum, qui veniente Antichriſto ab Eccleſia discedent, & Antichriſto ſe adjungent. Sed hoc ridiculum eſt. Nam tum etiam, cúm Apoſtolus hæc ſcripſit, hæretici multi ab Eccleſia diſceſſerunt. Loquitur ergo Apoſtolus de communiori quadam & univerſaliori defectione, qualis tum in eccleſia nondum contigerat, ſed temporibus Antichriſti futura erat. Atque hoc quidem adeó clarum eſt, ut Adverſarii eam ipſi victi vi & luce veritatis fateri cogantur. Rhemenſes enim in hunc locum duo ſigna ultimi diei, & ſecundi adventus Chriſti ad judicium, conſtituunt; quorum primum eſt ἀποστασία generalis, alterum verò adventus Antichriſti. Sed illi ſecum incredibiliter pugnant. Nã primó

mó dicunt, hæc duo signa re eodem pertinere, & vicina futura esse: ergo Augustinus (inquiunt) hæc duo unum facit. Et statim Calvinum reprehendũt, quód non de defectione ab imperio Romano, sed de generali defectione visibilis Ecclesiæ á fide, hunc locũ interpretetur. Et tamẽ hoc ipsi statuũt, cúm dicũt, generalẽ fore hanc defectionẽ, & conjunctã cum Antichristi adventu. Nam illi nondum venisse Antichristũ affirmant: at Romanũ imperiũ jamdudũ laceratum, imó eversum plané est, ut nihil jã præter imperii nomen & titulũ maneat. Ergo necesse est hãc esse defectionem fidei, quæ ipsorũ etiã confessione generalis futura erat. Sed illorũ adhuc stupor magis apparet, cúm addũt postea, hanc magnã ἀποστασίαν, nõ modó ab imperio Romano, sed præcipué á Romana ecclesia, & á religione Christiana futurã esse. Hæc veró fidei ἀποστασία est, eademq; generalis. Et subjungunt tandem idem feré, quod nos dicimus. Sic. n. scribunt: Paulo ante mundi finem externus status ecclesiæ Romanæ cessabit, & publicũ fidelium cum eadem commercium; & ἀποστασία passim obtinebit; & tamen tũc pii corde & animo cum Papa & Ecclesia Romana communicabunt. Hæc illi, quæ palám contra ipsos faciũt. Nam hinc sequitur, Ecclesiæ Romanæ faciem sic esse obscurandam, ut Petri cathedra tollatur, & communio externa nulla relinquatur: quod cúm evenerit, ubi erit gloria, ubi majestas, ubi dignitas illius ecclesiæ? Desinant ergo Adversarii nos accusare, quód externum ecclesiæ statum cessare aliquãdo dicimus, & pios ac fideles ita dissipari posse, ut in unum locum convenire, & veram religionem publicé profiteri nequeant, sed corde tantúm & animo Deum colant. Nam hoc idem Rhemenses dicunt.

Poteſt ergo, etiam ex Adverſariorum confeſſione, tanta in Eccleſia vaſtitas eſſe, ut nulla ſit externa religionis profeſſio: & quidni etiam evenire poteſt, ut nulla ſit Epiſcoporum ſucceſſio? Ita vicit veritas, quia magna eſt, & prævalebit. Atque hanc ſanè generalem ἀποστασίαν, Spiritus ſanctus non hîc tantúm, verumetiam alibi prædixit. Apocalyp. 13. 3. Joannes ait, ὅλη τῆ γῆ, *totam terram, cum admiratione quadam ſecutam eſſe beſtiam.* Quod quidem veriſſimé de ſtatu Eccleſiæ ſub Romano Pontifice affirmari poteſt. Omnes enim eum ſecuti ſunt. Videmus ergo hîc generalem defectionem prædici. Sed verſ. 7. ſubjungit, datam eſſe poteſtatem beſtiæ. quam? num exiguam? imó longé maximam, *in omnem tribum, & linguam, & Gentem.* Et verſ. 8. *Adorabunt* (inquit) *eam omnes incolæ terræ.* quid? num omnes? ſanè, inquit. Ubi igitur erit eccleſia? *omnes*, ait, *quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ*, hoc eſt, omnes præter electos. In ſolis ergo electis remanebit tum Eccleſia. Atque hoc eſt quod Chriſtus ait, *Quando veniet filius hominis, num inveniet fidem in terris?* Inveniet quidem, ſed in paucis, hoc eſt, in electis tantúm: nam reliqui omnes adorabunt Antichriſtum. Non ergo tunc erit talis Eccleſia, in qua multi fidem Catholicam profitebuntur; ſed illá omnes, præterquam electi, abjudicabunt. Sed progreditur adhuc Apoſtolus, & docet fore, ut omnes ſeducantur, & Antichriſti characterem accipiant; quod ille per distributionem explicat verſ. 16. *Faciet* (inquit) *ut omnes, parvi & magni, divites & pauperes, liberi & ſervi, accipiant charactêrem in manu ſua dextra, aut in frontibus ſuis.* Et verſ. 17. ſubjungit, fore etiam, *ut nemo poſſit emere aut vendere, niſi qui habet charactêrem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus.* Quare quando poſtre-

postremis temporibus regnante Antichristo generalis ἀποστασία tam laté se diffundet, & tam pauci erunt veré fideles: quid Adversarii nobis paucitatem objiciunt? Hæc cum evenerint, ubi tum Ecclesia erit? erit quidem fateor; sed ubi, & qualis erit? non sané retinebit visibilem gloriam in una successione, cúm illam successionem ipsi concedant tollendam esse. Et quidem ἀποστασία generalis successioni contraria est. Hic veró locus docet, sub Antichristo fore generalem ἀποστασίαν: at in generali ἀποστασίᾳ externus splendor Ecclesiæ cessat: ergo Ecclesiæ status non semper splendidus & glorioſus erit. Sunt alia ejusmodi in Apocalypsi testimonia; quæ hoc idem testantur. Apoc. 12. 6. illustre est illud testimonium de muliere, qua Ecclesia significatur, ut omnes interpretantur. Illa in solitudinem fugere dicitur, & ibi ad tempus permanere, propter furores Antichristi. Unde intelligere possumus, cogi Ecclesiam aliquando aspectũ hominũ fugere, & in latebras sese abdere. Qui enim in solitudine sunt, ii non sunt omnibus noti & manifesti: at Ecclesia aliquando est in solitudine: ergo nõ est omnibus semper conspicua & manifesta. Nec somnianda hîc est fuga aliqua localis: sed de persecutione Antichristi intelligendum hoc est; quam tantam futuram esse prædicit Spiritus sanctus, ut Ecclesia cogatur saluti suæ latendo consulere, adeó ut non magis appareat, quám si é societate hominum prorsus excludatur. Tanta Antichristi potentia erit. Hæc aperté declarant, Ecclesiã non fore tum illustrem. Illi ergo contra Scripturas, & contra Spiritum sanctum sentiunt & loquuntur, qui talem nobis Ecclesiæ statum describunt, qui semper futurus sit glorioſus. Quod si verum sit, tum nunquam fugiet Ecclesia in

ſolitudinem; ſed, ut illi volunt, Soli ſemper ſplendeſcenti, aut civitati in monte poſitæ ſimilis erit. Hoc ita manifeſtum eſt, ut Rhemenſes in hunc locum fateantur, fieri poſſe, ut Ecclesia aliquando non habeat publicum ſplendorem, publicum ſtatum, & regimen, nec libera ſanctorum munerum exercitia. Et tamen illi noſtram Eccleſiam nuſquam fuiſſe dicunt, quia his rebus aliquando carebat. Nunc ipſi dãt, Eccleſiam ſub Antichriſto his omnibus privandam eſſe. Sed interim (inquiunt) non carebit Dei præſidio, non veris Paſtoribus. Hoc nos quoq; dicimus, & talẽ ſemper fuiſſe noſtram Eccleſiam affirmamus: ſed illi Paſtores non erunt aperti. Hęc interim abundé probant, externum Eccleſiæ ſtatum mutabilem eſſe, ſic ut non appareat ſemper, ubi & quæ ſit Chriſti vera Eccleſia; atq; ita contra Adverſarios vel maximé faciunt, qui Eccleſiam ſemper uni ſedi alligatã, & manifeſtam ſemper ac conſpicuam eſſe volunt. Quando ergo quærunt á nobis Adverſarii, ubi Eccleſia noſtra fuerit olim tam multis ſeculis: nos Prophetiæ hujus Apoſtolicæ memores reſpondemus fuiſſe, ubi illam fore Joannes prædixit ſub Antichriſto, nempe in ſolitudine ſecreta, hoc eſt, obſcuram fuiſſe, latuiſſe, fugiſſe conſpectum hominum; dignitate deniq; amplitudine, ſplendore, & gloria illa, quam fingunt Adverſarii, caruiſſe. Sic igitur argumentum noſtrum ex hoc loco inſtituimus. Si fieri poteſt, ut Eccleſia aliquando é ſua ſede in ſolitudinem migrare cogatur, ut externa jurisdictione privetur, ut publico ſtatu & regimine careat, ut ſacras functiones liberé non exerceat; tum non eſt ſemper illuſtris & omnibus aſpectabilis. nam propter hæc Adverſarii Eccleſiam viſibilem eſſe dicunt, & noſtram non fuiſſe olim viſibilem

lem affirmant, quia hæc non habuit: At verum primum: ergo & secundum. Jam alium locum proferã ex hoc ipso libro, qui horrendam illam caliginem, quæ futura esset tempore Antichristi, apertiús adhuc & luculentiús declarat. Apoc. 9. in principio, scribit Joannes, postquam quintus angelus clanxisset, *cecidisse magnam stellam de cœlo, cui data est clavis putei abyssi.* Quo puteo aperto, *ascendit fumus ex puteo, ut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol & aër á fumo putei, & ex fumo exierunt locustæ in terram.* Hæc ejusmodi sunt, ut statum Papatus, & Ecclesiæ Pontificiæ, & ἀποστασίαν illam generalem, quæ sub Antichristo futura erat, clarissimé describant, & vivis coloribus nobis depingant. Stella hæc Papam significat, non unum hominem, sed ipsam personam Episcopi Romani, & sedẽ illam, hoc est, totam omnium Antichristianorum Paparum seriem. Stellis enim Pastores in Scripturis comparari notissimum est. Et erant olim hîc egregiæ stellæ, sed hæ tandem é cœlo in terram deciderunt. De cœlo veró decidisse dicuntur, quando abjectâ cœlesti doctrinâ, terrenam & hæreticam doctrinam amplexi sunt; Illisq; tum data est clavis inferorum, & potestas aperiendi abyssum, hoc est, facultas expromendi & docendi diabolicas opiniones. Authorem fore harum tenebrarum non alium Spiritus sanctus designat & prædicit, quã qui Pastoris locũ teneat, ex eo quód stella appellatur. Tũ hujus Regni propagatio significatur, cũ fumus é puteo exiisse dicitur, id est, errorũ & superstitionum quasi nubes, & nox quædam; & hic fumus solem atq; aërem obscurâsse dicitur; quia futurũ erat, ut hæc errorũ & superstitionũ nubes laté per omnia fusa esset. Ex hoc fumo locustæ prodiisse dicũtur; quę q.d aliud significãt,

quám ordines illos & greges religioſorũ, fraterculorum ſcilicet,& monachorum, qui errorum alumni & patroni extiterunt? De his multa dici poſſent; ſed quia avertunt hæc omnia á ſe Adverſarii, & ad ſe iſta pertinere negant, non pergam in hac hujus loci interpretatione. Jam veró quicunque ſit Antichriſtus, & quemcunque tandem hæc Stella deſignet, argumentum noſtrum ex hoc loco ductum, firmiſſimum erit. Sequitur enim ex hoc loco, tempore Antichriſti tantam futuram eſſe caliginem, & lucis eclipſin, in Eccleſia, ut ſol & aër obſcurentur. Per ſolem intelligo cum Aquinate Doctores, quorum eſt alios illuminare; per aërem Eccleſiam longé lateq; diffuſam, quæ lumen aliunde á ſuis Doctoribus mutuatur. Dionyſius Carthuſianus per ſolem prælatos, per aërem plebem intelligit, *quæ á prælatis* (inquit) *ſuſcipit ſcientiæ lumen, quemadmodum á ſole aër fulgorem.* Erit ergo regnante Antichriſto generalis quædam eclipſis; quod cauſam noſtram vel maximé confirmat. Nam & Paſtores, veræ doctrinæ lucem amittent, & plebs á Paſtoribus decipietur ac ſeducetur. Atque hoc diſerté Spiritus ſanctus affirmat. Palám veró eſt, hæc ad nulla tempora accommodari poſſe, præterquam ad ea, in quibus Papiſmus olim paſſim obtinuit; & nulli certé ſunt recto judicio prædíti, quin hæc de Papa ſtatuque Eccleſiæ ſub Papatu, intelligenda eſſe fatebuntur. Utcunque ſit, noſtrum ex hoc loco argumẽtum optimé ſequetur. Auguſtinus in homil. 7. in Apocalyp. ait, *tantum fere numerum malorum, ut aliquoties vix inter eos appareant juſti.* Rhemenſes per hanc Stellam, quem vis hæreſiarcham intelligi volunt, ut Arium, Lutherum, aut Calvinum. Sed Joannes nos doceat, quæ qualisq; hæc Stella ſit. Quod ille quidem ſatis

satis luculenter facit vers. 11. Ibi enim vocat eum, Angelum abyssi, quem priús Stellam appellaverat, & Regem esse harum locustarum affirmat. Locustæ verò sectas illas significant, & greges innumerabiles, fraterculorum, monachorum, clericorum, omniúq; religiosorum inter Papistas, ut priús dictum est; qui omnes Papam pro suo Rege agnoscunt. Imó Papa Papistis omnibus Rex spiritualis est, idemq; potentissimus. At nulli unquam vel Arium, vel Lutherum, vel Calvinum pro Rege suo habuerunt: ergo de illis hic locus intelligi non potest. Quin & idem ille Angelus Abyssi, & Rex locustarum, appellatur postea *Abaddon* & Ἀπολλύων, id est, perdens & vastans infinitas hominum animas, & secum in infernum detrudens, quæ in neminem meliús quám in Papam quadrare possunt. Hæc etsi Prophetica sint, tamen jam nobis aperta sunt; ut errare nisi sponte nostrâ non possimus.

Quintum nostrum argumentum sumitur á temporibus illis, in quibus Christus vixit. Erat tum Ecclesia in Christo, & paucis obscuris hominibus, in Josepho, Maria, Simeone, pastoribus paucis, piscatorib', publicanis, aliisq;, qui ex infima fece populi fuerunt. At Pontifices, Scribæ, Pharisæi, Principes sacerdotũ, & seniores, qui dignitate, gloria, authoritate, potentia, & eruditione præcellebant, Christum & ejus comites contemnebant, & tamen Ecclesiæ titulum & authoritatem sibi vendicabant, & illos ut ecclesiæ hostes pro authoritate sua persequebantur. Exemplum hoc, maximũ est nostræ causæ argumentum, & eam vel maximé confirmat; Adversarios verò refellit, & eorum causam destruit; qui Ecclesiam semp in splendore & majestate statuunt, ejusque statum

semper fore glorioſum affirmant. Quod ſi verũ ſit, tum Chriſtus cum ſuis Eccleſia non erat; ſed Pontifices, Scribæ, & Phariſæi, quiq́ue ſe illis adjunxerunt. De hoc argumento nihil ait Bellarminus. Sed Stapletonus lib. 2. de princip. doctrin. cap. 11. dupliciter diluere conatur. *Primó* ait, illos paucos & obſcuros homines, qui in Chriſtum crediderunt, eumq́; ſecuti ſunt, non fuiſſe Eccleſiam, ſed totam illam populi multitudinem, quæ Synagogam & Templum venerabatur, & quæ Pontificibus, Scribis & Phariſæis, in doctrina fidei & morum obtemperabat. Nã & Chriſtus (inquit) & ejus comites Synagogam celebrabãt frequentabantq́;: Eccleſia veró Chriſti, quæ ſic dicitur, inquit, non niſi Chriſto jam aſſumto, & glorificato, eſſe cœpit. *Reſpondeo*: Video hoc argumentum Adverſarios exercere, & quó magis illud avertere conantur, eó magis illos eodem implicari. Hæret enim in illorum medullis. Nam quęrimus, ubi Eccleſia fuerit tempore Chriſti, & quænam hoc tempore fuerit Dei vera Eccleſia? num Pontifices, Scribæ & Phariſæi, & multitudo illa glorioſa, quæ ipſos ſecuta eſt: an plebs illa obſcura, quæ ſecuta eſt Chriſtum? Stapletonus ait, glorioſam illam & frequentem multitudinem fuiſſe Eccleſiam: nondum enim CHRISTI Eccleſiam cœpiſſe; quo nihil abſurdius, nihil horrendum magis & Antichriſtianum dici potuit. Falſum enim illud eſſe, his argumentis oſtendam. *Primó*, qui Chriſti inimici & adverſarii fuerunt, qui Chriſtum oderunt & perſecuti ſunt, qui Chriſto deniq; & ejus Evangelio reſtiterunt, & utrumque damnârunt, ii nullo modo Eccleſia eſſe potuerunt, non jam dico Chriſti, ſed nõ Dei, nec omnino vera Eccleſia; at illa multitudo glorioſa, quæ Synagogã & Templum

plum venerabatur, hęc omnia fecit: ergo vera Ecclesia nullo modo esse potuit. *Secundó* econtra sic arguo. Qui Christum audiverunt, in eum crediderunt, illũ secuti sunt, & illius veri discipuli fuerunt, ii fuerunt vera Ecclesia: at illi pauci & obscuri homines, qui Christũ comitabantur, eiq; adhæresebant, tales fuerũt: ergo illi vera Ecclesia fuerunt. Sed forsan dicet quispiã, hos omnes simul fuisse Ecclesiam, tum illos multos, tum hos paucos. At hoc ἀδύνατον est. Nam tũ Ecclesia ex iis, qui contrariã fidẽ & religionem profitentur, cõstare potest. At hoc falsum. Cõsequentia patet. Nam qui Christo se adjungebant, ii Christũ sequebantur, & illum verum esse Messiã, & mundi servatorẽ credebant. Hæc illorũ fides, hæc religio illorũ fuit. At Pontifices, Scribæ, & Pharisæi, quiq; illorum partibus favebant, eum impostorẽ & præstigiatorem esse, Pseudoprophetam, blasphemũ, & morte etiam dignum affirmabant. Ex tam disjunctis & dissimilib. membris Ecclesia nullo modo constare potest. Stapletonus defendit, eos qui Christũ blasphemũ esse, Diabolo plenum, πλάνον, morte dignum dixerunt, Ecclesiã fuisse: ergo Christus cũ suis Ecclesia non fuit. Patronus Papâ dignus. Nam sic certé Papistæ sunt Ecclesia, ut tũ Pontifices erant. At Patres & Papistæ etiam quidã, sumunt ab his temporib. exempla duarũ ecclesiarũ, falsæ & veræ, persequentis & ejus, quæ persecutionẽ patitur. Ergo illa falsa Ecclesia fuit. Sed alio adhuc argumento id evincam, quod volo. *Tertió* igitur, Pontifices illi, & multitudo illa Scribarũ, Phariseorũ, & Sacerdotũ, habito Cõcilio Christũ damnârunt, eumq; morti adjudicârunt, tanquã maleficum, ut patet Joan. 11. quod satis arguit, illos nõ fuisse Ecclesiam; nam vera Ecclesia hoc non potest facere.

Qui enim Christum cum suo Evangelio é medio tollendum esse judicant, ii non sunt vera Ecclesia: at Pontifices, Scribæ, Pharisæi, & Sacerdotes hoc judicabant: ergo vera Ecclesia non fuerunt. De hoc argumento, atque adeó de hoc Pontificum & Sacerdotum judicio, respondet Stapletonus lib. 2. cap. 12. Et *primó* ipse improbat illorum opinionem, qui hoc Concilium non errâsse affirmant, & Sacerdotes istos fuisse veram Ecclesiam dicunt, & sedisse in cathedra Moysis, quod est, veré Propheticam doctrinam tradidisse; quia si hoc verum fuit, tum revera damnandus Christus fuit. Et tamen hanc ait esse opinionem doctissimorum hominum, insulsissimorũ potiús diceret, & insaniissimorum. Est quidem hæc Hosii Cardinalis opnio, in lib. 2. contra Brentium, ubi affirmat, non modó hos fuisse Ecclesiam, & hoc fuisse legitimum Concilium: verumetiam Spiritum sanctum eidem & interfuisse, & præfuisse. Hoc horrendum certé & blasphemum est. Illíne erant Ecclesia, qui contra Christum conjurabant? Sic omnino Romanenses sunt ecclesia. Nec aliquas in se vires habent rationes illæ, quas Hosius ad suæ opinionis cõfirmationem affert. Nam quid si hæc sententia fuit utilis? ergóne vera fuit illa ecclesia, quæ hanc sententiam pronunciavit? Non sequitur. Fuit enim utilis per accidens tantúm, si illorum intentionem spectemus; quia illi hanc utilitatem nunquã intẽdebãt, imó nihil tale cogitabãt. Illi veró boni viri sunt, nõ qui præter suã opinionẽ, non qui nihil tale cogitãtes prosunt, ut Pontifices, Scribę, Pharisęi & Sacerdotes, in hoc Cõcilio cõgregati; sed q scientes, & volentes, & de industria id faciũt. Prętera quid si Cajaphas prophetavit? Nõne Deus sæpe pessimis instrumentis

mentis, & pessimorũ hominũ ministeriis utitur? Ille necessarium esse duxit, ut Christus moreretur, tanquam maleficus, ne illi perirent omnes. Hoc, si Cajaphæ mentem spectemus, falsissimum fuit: si Dei cõsilium, verissimum, de quo Cajaphas nihil cogitavit. Nam Deus sic linguas hominum moderatur sæpe, ut quæ illi animo perversissimo ac malitiosissimo faciunt, ea Dei consilio inserviant maximé, utque temere etiam interdum ea proferant, quæ vera sunt in se, sed nihil tale cogitantes. Verum hoc quidem fuit, sed non veré ab illis dicebatur. Mori sané Christum oportebat, sed non illa de causa, de qua ipsi illum mori voluerunt. Illi enim eum é medio tollendum esse putabant, tanquam hominem nequam & nefarium, ne Romanorum offensionem incurrerent; at Deus morti tradi voluit, ut mundum redimeret. Illi ergo nõ excusandi sunt, nec ulla illis danda est venia, utcunq; illorum sententia & in nostram utilitatem cessit, & Dei consilio atq; decreto inservivit. Sed redeamus ad Stapletonum, & attendamus tum ejus stuporem, tum vim & impetum veritatis, quæ in illo prævaluit. *Postea* enim suam de hoc Concilio sententiam proponit. Ait ille, Pontifices in hoc Concilio, & Sacerdotes, maximamq; populi turbam, plané á veritate aberrasse; nec Dei Ecclesiam, sed Satanæ Synagogam fuisse; ex mera invidia, ac malitia, apertam veritatem cernere nolentes, Christumq; perfidé & obstinaté repellentes. Ex quibus verbis tria contra ipsum Stapletonum, & pro veritate colligo. *Primó*, Pontifices & Sacerdotes illos, non fuisse Ecclesiam. Hoc ille antea in cap. II. defendit, nunc veró negat. Ergo Ecclesia fuit in paucis illis, qui Christum secuti sunt, non in Sacerdotibus, & multitudine. Ni-

hil unquam magis contrarium, dictum est, aut dicí quoquam potuit. Dixit antea, Ecclesiam fuisse in iis, qui Synagogam & Templum venerabantur, quique Pontificibus, Scribis, & Pharisæis, in doctrina fidei & morum obtemperabant; & addit, Ecclesiam non fuisse in turba discipulorum & comitum Christi. Nunc contrariam ᾠδὴν canit, hanc non fuisse Ecclesiam Dei, sed Satanæ Synagogam, & Ecclesiam cum Christo fuisse. Nónne hæc inter se acerrimé pugnant? *Secundó* colligo, Ecclesiam Christi non tum cœpisse, quando eam antea Stapletonus, aliique Papistæ cœpisse statuunt, nempe non nisi post mortem & passionem Christi. Nam aut antea Ecclesia Christi fuit, aut nulla omnino Ecclesia fuit. Hæc enim Synagoga fuit Satanæ, ut Stapletonus ipse fatetur: ergo hæc Synagoga desierat jam Ecclesia esse. Et sané impium est, principium Ecclesiæ statuere in morte Christi. Nam Ecclesia Christi fuit in Synagoga; quia nulla est Ecclesia vera, nisi Christi. Nec illud aliquid est, quod dicit Stapletonus, Ecclesiam Christi, veré & proprié dictam, non cœpisse ante Christi passionem. Cujus enim, quæso, Ecclesia illa fuit, quæ & ante Christi incarnationē fuit, & illo tempore, quo Christus in terris vixit, si Christi non fuit? Illi falsó Ecclesiam Christi tum demum incepisse statuunt, cum legalium ceremoniarum finis fuit, & cum Gentes ad Ecclesiam sese adjungere cœperunt. At una semper Ecclesiæ substantia fuit; hæc veró ceremoniarum cessatio, & Gentium accessio, Ecclesiæ tantum accidentia fuerunt. Ipsa ergo Christi Ecclesia semper fuit. *Tertió*, colligo ex his verbis Stapletoni, falsum esse illud, quod antea dixit, Pontifices & Sacerdotes sedisse in cathedra Moysis, ob eamque causam

sam Christum cum illis communicasse, quód publica Synagogæ doctrina sana esset. Nam quomodo sana fuit illorum doctrina, cúm hoc tam insanum illorum de Christo judicium fuit? quomodo illi in Moysis Cathedra tunc sedebant, cum erant Satanæ Synagoga? Nam sedere in Cathedra Moysis, est doctrinam Moysis docere. Christus quidem dixit, illos sedere in cathedra Moysis, non quód omnis illorum doctrina sana esset, sed quód quædam adhuc dogmata tenebant veritati consentanea. Illos enim multa falsa docuisse, & præcipua doctrinę capita corrupisse, patet ex Matth. 5. & 6. & 15. Quám veri illi Scripturarum interpretes fuerint, ex eo patet, quód per traditiones suas, *ἠκύρωσαν, irritam fecerunt*, Dei legem, ut loquitur Christus Matth. 15. & perversissimé quintum Decalogi præceptum de honorandis parentibus, interpretati sunt, quemadmodum in eodem capite apparet, ac si liberi essent homines ab hujus præcepti observatione, modó Templo aliquid donarent, & in illorum Corban aliquid conjicerent. Itaque Matth. 16. 6. Christus jubet discipulos suos ab eorum fermento cavere. Illud ergo de iis verissimé dici potuit, quod habetur apud Ezechiel. 7. 26. *Lex peribit á Sacerdote, & consilium á senibus.* & quod Micheas ait cap. 3. v. 6. *Nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro divinatione, & occumbet sol super Prophetas, & obtenebrabitur super eos dies.* Tamen quædam rectè docuerunt, ideo audiendos eos esse dixit Christus, cúm sic docerent. Et Christus ad Templum sæpe & sacrificia ibat, non quód Sacerdotes aut illam multitudinem Ecclesiam esse putaret (nam erant illi ex Diabolo:) sed propter institutas á DEO ceremonias, quibus illi utebantur, licet aliter quám

Deus præceperat. At Christus recté illis usus est. Hæc illa sunt, in quibus Stapletonus sibi non constat. Atque hæc illius prima responsio fuit. *Secundó*, respondet, in primordiis & incunabulis Ecclesiæ, paucorum fortasse illam fuisse, & obscuram, quia tum cœpta est propagari; & tunc Paganismus & Græcismus obtinuerunt: at jam propagata Ecclesia est, itaque nunc paucorum esse non potest. Et sic Campianus respondit in colloquio secundi diei, hanc Ecclesiam fuisse inchoatam, non perfectam. *Respondeo* 1. Ecclesiam tum primúm cœpisse, falsum est. Quod ad Gentes quidem attinet, tum primúm inter illas cœpit, at omnino & simpliciter non tum cœpit; nam á principio mundi fuit, & ad finē mundi durabit. 2. Quod ait, jam propagatam esse Ecclesiam, fateor. Sed meminisse debuit, quemadmodum propaganda erat Ecclesia, sic etiam futuram esse post ejus propagationem ἀποστασίαν generalem, quæ Ecclesiam propagatam obscuraret. Et quemadmodum ante Christum Græcismus & Paganismus passim obtinuerunt: ita postea Mahometismus, Judaismus, Atheismus, & alii plures hæreses, falsæque religiones, & quod præcipuum est, & caput omnium, Papismus, id est, Antichristianismus, Ecclesiam feré ad nihilum redegerunt. Hæc Stapletonó in mentem venire debuerunt, cúm ista scriberet, & hoc modo responderet; sed ille de his ne cogitavit quidem unquam. Atque hoc idem feré respondere coguntur, de tempore, quo Christus passus est. Ecclesia tum in paucis fuit. Illa Pontificum Synagoga Christum crucifixit, populus illis assensus est: ergo Ecclesia in illis esse non potuit. Apostoli & discipuli Christi fugêrunt, latuerunt, Christum deseruerunt, quidam etiam illorum

eum

eum abjurarunt, omnes veró scandalizati sunt. Solus latro eum Regem confessus est. Joseph Arimathæensis, & Nicodemus aliquid fecerunt; sed se esse Christi discipulos non ausi sunt publicé profiteri. Num illi pauci populus Dei nuncupabantur? nequaquam; sed Pontifices, Scribæ, Pharisæi, Sacerdotes, & qui illos secuti sunt, iisque adhæserunt. *Pastor percussus est, oves dissipatæ.* Ubi tunc Ecclesia? Ubi tunc gloria & splendor Ecclesiæ? Ecclesiam aliqui, etiam ex Papistis, in sola Maria tunc temporis aliquandiu servatam esse fatentur; dicuntque, ideo candelam unam, tribus noctibus ante Pascha, reliquis extinctis, in Ecclesia ardere solere. Nullus certé tunc splendor, & manifesta gloria Ecclesiæ fuit. Sic etiam paulò póst, cúm Christus resurrexit, Ecclesia non minús latebat, quám priús. Conveniebant quidem pii in unum locum, sed timidé, & occultè, ut nemo aspiceret. Coacti sunt enim latebras quærere, propter metum Judæorum. Interim Pontifices, Scribæ, Pharisæi, & Sacerdotes, gloriabantur, lætabantur, & triumphabant maximé. Illi veró pii & fideles, sibi singulis momentis metuebant. Itaq; minimé miremur, Ecclesiam aliquando ad paucitatem redigi posse. De hoc exemplo Ecclesiæ sub Christo, satis multa diximus; quod claritatem tolli posse ab Ecclesia, manifestè arguit, contra Papistas.

Nunc veniemus ad tempora illa, quæ Christum proximé secuta sunt, & *sextum* nostrum argumentum proponemus, de Gentium Ecclesia, inter quas postea Evangelium propagatum est. Sic igitur disputamus. Ecclesia etiam inter Gentes propagata, sæpe obscurata fuit: ergo non est hoc peculiare Ecclesiæ inchoatæ, obscurari, & in paucis consistere.

Antecedentis veritas tum aliis temporibus, tum maximé tempore decem perſecutionum manifeſta fuit. In hoc igitur argumento oſtendendum eſt, qualis Eccleſiæ ſtatus fuit ſub Diocletiano, Maximiano, Valeriano,& Galieno,& reliquis illis crudeliſſimis tyrannis, & acerrimis Eccleſiæ hoſtibus, qui decem illarum perſecutionum authores extiterunt; quarũ decima & ultima, tum immanitate, tum diuturnitate ſæviſſima fuit,& reliquas omnes ſuperavit, ut docet Euſebius lib. 8. Si illum Euſebii librum legamus, reperiemus ubique templa everſa, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos interfectos, Chriſtianos veró reliquos magna cæde mactatos, omnes denique profeſſores variis ſuppliciis affectos fuiſſe. Huc etiam acceſſit, quód libri ſacri veteris & novi Teſtamenti diligentiſſimé tunc temporis conquiſiti ſunt,& ignibus exuſti, nihilque prætermiſſum ab illis perſecutoribus fuit, quod ad Eccleſiam vaſtandam & penitus extinguendam faceret, ſi id fieri potuiſſet;ut jam nulla in terris Eccleſia ſupereſſe videretur. Et tamen hoc tempore Deus Eccleſiam habuit, ſed ea fuit obſcura, & externum nullum ſplendorem habuit, quæ tamen poſtea ex latebris emerſit. Non fuit tum aliqua ſedes Epiſcopalis, non fuit illo tempore Eccleſia glorioſa, non fuit in illuſtri quadam ſede conſtituta, non fuit ſimilis civitati in monte poſitæ, ut eam omnes videre poſſent, cujusmodi eam ſemper eſſe volunt Adverſarii. Simul inventi Chriſtiani, & accuſati ſunt: ſi quis deprehenſus eſt, ſtatim eſt é medio ſublatus: nemo denique permiſſus eſt vivere, qui fidem publicé profiteri auſus eſt. Et qualis tunc fuit Eccleſiæ ſtatus, obſcurus nimirum & oppreſſus; talis poſtea fuit ſub Antichriſto. Adverſarii nihil habent,

quod

quod de his temporibus respondeant, nisi fuisse tamen tunc Ecclesiam aliquam; quod nos nunquam negavimus, sed libenter fatemur. Nam & nos quoque fuisse Ecclesiam semper dicimus; sed non claram semper & glorioſam. Et sic Ecclesia horum temporum obscura fuit, non clara, & glorioſa. Similiter in perditissimis Ecclesiæ temporibus sub Antichristo multi fuerunt, qui cum Papa non communicarunt, & in iis Ecclesia fuit. Status ergo illorum temporum ejusmodi fuit, ut nullus remaneret palám Christianus.

De sexto noſtro argumento satis multa diximus; sequitur nunc *septimum*. Postquam ab his persecutionibus Ecclesiam suam Dominus liberasset, num deinceps semper clara fuit? Nequaquam sané. Nam postea hæresis quasi densa quadam caligine Ecclesiam obfuscavit, longé lateque pervasit, sedes etiam ipsas Episcoporum invasit, & omnes feré Ecclesiæ partes vastavit; Ariana hæresis orbem pené universum occupavit, omnesq; Ecclesias, quemadmodum ex historiis patet; ut multó plures essent illo tempore Ariani, quám Christiani. Ergo claritas & amplitudo possunt ab Ecclesia separari. De illo seculo constat, caliginem quandam generalem fuisse laté per Ecclesias diffusam, de quo Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos sic scribit: *Ingemuit totus orbis, & se Arianum esse miratus est.* Totus ergo orbis Arianus fuit. Vix quinque erant illis temporibus Episcopi Catholici, & veré Christiani, in toto orbe, Athanasius, Hilarius, Eusebius Vercellensis, & pauci alii; qui omnes é sedibus suis ejecti exulârunt. Nulla Ecclesia eo tempore Orthodoxum Episcopum habuit, quia ἀριανισμὸς passim regnavit. Et hoc

Adverſarii concedunt eſſe verum. Stapletonus lib. 2. cap. 18. hoc argumentum tractat, & in eo quidem multus eſt. Conatur ille quidem eludere, ſed fruſtra. Summa reſponſionis Stapletonianæ, quæ in illo loco habetur, quemadmodum & Bellarminianę etiam hoc in loco, hæc eſt; etiamſi maxima tunc fuit Eccleſiæ perturbatio, tamen fidem Catholicam & Orthodoxam ab hominibus non minús multis ſervatam fuiſſe, & non minús fuiſſe claram, quám fuit hæreſis Ariana. *Reſpondeo:* Hoc eſſe falſum, tribus teſtimoniis clariſſimis probabo. *Primum* teſtimonium eſt Hilarii in lib. contra Auxentium circa finem, ubi ſic ſcribit: *Unum moneo, cavete Auxentium: malé vos parietum amor cepit, malé Eccleſiam Dei in tectis ædificiisq; veneramini, malè ſub his pacis nomen ingeritis. Montes mihi, & lacus, & carceres, & voragines ſunt tutiores.* Ubi ſic fuiſſe ſuo tempore obſcuratam Eccleſiam affirmat Hilarius, ut ſi quis eam invenire voluiſſet, non in tectis, non in templis, non in civitatibus; ſed in carceribus, in montibus, in voraginibus, hoc eſt, in latebris, & cavernis quærere debuiſſet. *Reſpondet* Bellarminus, Hilarium non loqui de Eccleſia omnium locorum, ſive de Eccleſia univerſa; ſed de ſola Eccleſia Mediolanenſi, in qua multi Auxentium pro Catholico Epiſcopo habuerunt, cúm eſſet Arianus. *Reſpondeo:* Hoc falſum eſſe, ex eoden loco facilé cuivis conſtare poteſt, qui locum ipſum diligenter examinabit. Nam cúm ait, Eccleſiam non eſſe in parietibus, in tectis, in ædificiis quærendam, ſed tutius in montibus, in carceribus, in voraginibus: manifeſtum eſt, eum non de illa una Eccleſia loqui. Sed falſiſſimum hoc eſſe, ex alio ejusdem Authoris teſtimonio in libro de Synodis, luce clariús apparet. Ait enim

enim in illo libro, decem provincias Asianas, ubi exulabat, Deum nesciviſſe: Chriſtum ſcilicet & religionem Chriſtianam profitebantur, ſed erant reverâ Ariani. Et hæ decem provinciæ erant in Oriente, Mediolanum veró in Italia. Addit deinceps Hilarius, *rarum esse apud Orientales, invenire aut Episcopum, aut populum Catholicum, sed ubiq; (fuisse) scandala, ubiq; schismata, ubiq; perfidias.* Miſerum ergo Eccleſiæ ſtatum deplorat Hilarius, non Mediolani tantúm, ſed per totum Orientem. *Secundum* teſtimonium eſt Athanaſii in libro vel Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, ubi ſic ſcribit. *Quæ nunc Ecclesia Christum liberé adorat? Siquidem ea si pia est, periculo subjacet. Nam si alicubi sunt pii, & Christi studiosi (sunt autem ubiq; tales permulti:) illi itidem, ut magnus ille Propheta Elias, abscondunturs, & in spelunças & cavernas terræ sese abstrudunt, aut in solitudine oberrantes commorantur.* In quibus verbis duo obſervanda ſunt. *Primum* eſt, Chriſtum nuſquam tum liberé & veré adoratum fuiſſe. *Secundum* eſt, etſi pii cultores multi ſupereſſent; tamen non apparuiſſe, ſed in latebris & cavernis ſe abdidiſſe, ut olim Elias. Atque idem etiam Athanaſius in oratione 1. contra Arianos, affirmat, in illis, qui in cavernis tunc temporis latebant, *servatum esse puerulum illum, quem Herodes interficere volebat.* *Tertium* teſtimonium eſt Auguſtini in epiſt. 48. ad Vincentium, quo in loco de his iisdem temporibus loquitur Auguſtinus, de quibus Hilarium & Athanaſium antea conqueſtos eſſe audivimus. Et hoc teſtimonium eó libentiús affero, quód Stapletonus ait, illud Hilarii teſtimonium, de quo diximus, fuiſſe Auguſtino á Vincentio objectum. Audiamus ergo Auguſtinum in hac Epiſtola ad Vincentium. Ait ille, *Catho-*

licos fuisse paucos in comparatione caterorum, sed per se multos fuisse. Hoc Adversarii arripiunt, quod Augustinus ait, multos fuisse. Sed & nos quoque similiter de nostris hominibus dicimus, qui regnante olim Antichristo latere coacti sunt; per se multos fuisse, licet aliorum respectu paucos. Verúm hi multi, de quibus Augustinus, erántne clari & illustres, & toti orbi noti, omnibusque manifesti, & in aperta luce constituti? Id doceat Augustinus ipse. *Qui erant firmiores reliquis* (inquit) *illi partim pro fide fortiter exulabant, partim toto orbe latitabāt*. Omnes ergo firmiores Catholici, aut exules erant, aut in latebras se abdebant. Hic status Ecclesiæ fuit illis temporibus. Ergo non fuit Ecclesia tum clara, non ampla, non illustris, non glorioſa, non toti mundo nota, & manifesta. Exules enim in statu illustri & glorioso non sunt; nec qui latent, sunt manifesti. *Et sic tamen* (inquit Augustinus) *Ecclesia in frumentis Dominicis conservata fuit*. Hoc est quod nos dicimus, Ecclesiam posse in iis, qui exulant, & latent, conservari. Et quemadmodum de illorum temporum Ecclesia scribit Augustinus: similiter nos de nostrâ, temporibus Antichristi, dicimus: Aut exulabat, aut latitabat. Interim verò Ecclesia Antichristiana civitates & loca insignia tenuit, ibique dominata est, ut olim Ariani; nec tamen vera Ecclesia fuit. Sed forsan dicent Adversarii, fuisse tunc Romanam Ecclesiam ab Ariana hæresi immunem. At non fuit. Nam illam quoque sedem hæresis invasit, ut testatur Athanasius in libro ad solitariam vitam agentes, ubi de Liberio, qui fuit tunc temporis Episcopus Romanus, in hunc modum scribit. *Liberius, post exactum in exilio biennium, inflexus est, miniq; mortis ad subscriptionem inductus, atq; ita restitutus*

stituens est Ecclesiæ. Ita ne Romana quidem Ecclesia ab hujus hæreseos contagione immunis fuit.

Octavum nostrum argumentum sic instituimus. Si Ecclesia semper clara, & ampla, & glorioſa erit; tum semper immunis erit á persecutione: at falsum secundum: ergo & primum. Majoris consequentia necessaria est. Nam persecutio splendori & claritati Ecclesiæ inimica est. Quis enim (quæso) Ecclesiæ splendor est, cúm Pastores trucidantur, & populus Christianus aut interficitur, aut in exilium ire cogitur? Itaque tempore persecutionis Ecclesia in solitudinem fugere dicitur. Minorem etiam veram esse satis constat, quia persecutioni semper obnoxia est Ecclesia DEI, dum in hoc mundo peregrinatur. Hujus veró persecutionis nulla alia causa est, quám mundi odium. Mundus semper Ecclesiam odit acerrimé: ergo nunquam patitur diu manere splendidam & glorioſam. At Romanam Ecclesiam mundus non odit, sed amavit semper, eamque divitiis & honoribus ornavit, ut illa jam omnium Imperatorum dignitatem longé superet. Hoc satis manifestum argumentum est, non esse illam veram CHRISTI Ecclesiam; quia mundus eam colit. Nam veræ Ecclesiæ comes est persecutio, quæ á mundi semper odio proficiscitur. Lucæ 21.17. CHRISTUS ait discipulis suis: *Vos eritis exosi omnibus, propter nomen meum.* Et Johan. 16. 2. *Ejicient vos ex Synagogis suis; imó veniet tempus, cúm quisquis trucidabit vos, putabit se gratum Deo obsequium præstare.* Persecutio ergo semper est Ecclesiæ comes. Psalm. 129. 1. sic scriptum legimus: *Sæpe expugnaverunt me á juventute mea, dicat nunc Israël, sæpe expugnaverunt me á juventute mea, sed non prævaluerunt*

adverſus me. Super tergum meum araverunt aratores, produxerunt ſulcos ſuos. Hic Pſalmus eſt Eccleſiæ cãtilena. Quare Auguſtinus in Pſal. 39. ſic ſcribit. *Perſecutio, ſive á leone, ſive á dracone, nunquam ceſſat Eccleſia, & magis metuendus eſt* (Diabolus) *cúm fallit, quám cúm ſævit. Illo tempore cogebat Chriſtianos negare Chriſtum, iſto autem tempore docet Chriſtianos negare Chriſtum. Tunc cogebat, nunc docet. Tunc ergo ingerebat violentias, nunc inſidias. Videbatur tunc fremens, lubricus nunc & oberrans difficilé videtur.* Hæc Auguſtinus; ex quibus intelligimus, perſecutionem ſemper Eccleſiam comitari. Quæ vis autem perſecutio externam Eccleſiæ gloriam minuit. Augeri veró ita poteſt interdum Eccleſiæ perſecutio, ut externam ejus claritatem obſcuret, imó prorſus tollat. Atque ita hoc argumentum concluſum eſt.

Nonum noſtrum argumentum ſic ſe habet. Si claritas, & amplitudo, & multitudo, ſint ἴδιον ἀχώριστον, & nota Eccleſiæ (quemadmodum Adverſarii noſtri volunt:) tum incerta nota erunt. Nam infidelium major multitudo eſt, quám Chriſtianorum; ut hæc nota potiús ad alios, quám ad Eccleſiam pertinere videatur. Hac de cauſa Campianus in colloquio ſecundi diei, claritatem dixit eſſe Eccleſiæ qualitatem, non notam; qua in re non conſenſit ille cum ſuis collegis. Nam Bellarminus lib. 4. de Eccleſ. cap. 7. & Stapletonus, & Poſnanienſes, & alii Papiſtæ, notam eſſe dicunt. Sed ſi hæc ſit veræ Eccleſiæ nota, tum ne Eccleſia quidem Papiſtica erit vera Eccleſia; quia non eſt ampliſſima. Nam quid olim Gentiliſmo latius fuit? quid nunc Saraceniſmo, & Mahometiſmo? quibus tamen nihil cum Eccleſia commune eſt. Si latitudo & univerſalitas ſit non modó qualitas, verumetiam

rumetiam nota Ecclesiæ; tum hæ turbæ sunt Ecclesia, quia hæ sunt quavis aliâ in mundo multitudine ampliores. Nos enim non tam numero vincimur á Papistis, quám illi á Saracenis. Hoc igitur argumentum, á claritate sive amplitudine Ecclesiæ ductum, non minús Saracenis contra Papistas, quám Papistis contra nos inservit, ac proinde vitiosum argumentum est. Sed adhuc fortiús Adversarios urgebimus, & iis, qui saltem speciem habent Ecclesiæ, magis convenire aliquando hanc notam docebimus, quám ipsi Ecclesiæ, & iis qui sunt de Ecclesia. Nam si Ecclesia ex multitudine æstimanda ac dijudicanda sit; tum quid impedit, quó minús quadringentos illos Pseudoprophetas, de quibus legimus 1. Reg. 22. Ecclesiam fuisse existimemus, potiús quám unum Micheã, qui illis omnibus sese opponebat? Micheas solus fuit, illi multi; & illi non minús sancti videbantur, quám Micheas: stabat ille solus contra multos, sed tamen utrum Ecclesia fuerit multorum, an ejus, quis dubitat? Omnes vident, majorem partem non fuisse hoc tempore Ecclesiam. Stapletonus l. 2. de princip. fidei doctr. cap. 15. ait, hoc argumentum esse sophisticum, quia quadringenti illi Pseudoprophetæ Ecclesiam Judaicam non repræsentabant, nec ad illam omnino pertinebant; sed ex Samaria erant; & Sacerdotes Baal sub impio Achab Rege Israël, non sub Rege Judæ. *Respondeo:* Fateor quidem, non repræsentasse Ecclesiam Judæorum, nec ad eam pertinuisse: est tamen interim hoc firmum argumentum contra multitudinẽ, quo planissimé evincitur, multitudinem non esse Ecclesiæ notam. Sed pergamus, atq; é Samaria ad Judæam & Hierosolymam migremus, ad veram Ecclesiam, ejusq; Ecclesiæ statum Je-

remiæ temporibus videamus. In illa Ecclesia Pontifices, & Sacerdotes, & populus, Jeremiæ resistebant, qui sané Jeremiæ amicos & fautores numero multúm vincebant. Jerem. 18. conspiratio seu conjuratio generalis omnium contra illum describitur. *Agite* (inquiunt) *cogitemus contra Jeremiam cogitationes; non enim peribit lex á Sacerdote, nec consilium á sapiente, nec sermo á Propheta: agite, percutiamus eum lingua, & ne attendamus ad ulla verba ejus.* Nec sané minus fecerunt, quám minati sunt. Nam Jeremiam accusarunt, damnarunt, in foveam & carcerem conjecerunt. Jeremias fuit Propheta Dei, solus cum paucis infimis hominibus; illi potentes & plures erant: utri Ecclesiæ? Stapletonus in eodem libro & capite, ait, hoc testimonium atque exemplum esse ad speciem probabilius. Sed tamen respondet. Et *primó* quidem ait, hæc nõ tam de persona Jeremiæ intelligi, quám de Christo prædici, & huic potiús convenire, quám illi. Quid ita quæso? quia sequitur apud Jeremiam, *Foderunt foveam animæ meæ*, quod de Christi passione canit Ecclesia. Præclara certé ratio, quia Ecclesia his verbis utitur in cantico de passione Christi, idcirco non esse ista de Jeremia intelligenda. Fateor quidem, similitudinem magnã fuisse inter Jeremiam & Christum, & inter tempora Jeremiæ, & tempora Christi; quia Christus Synagogam adversariam habuit, quemadmodum tunc Jeremias Pontifices & Sacerdotes. Sed hæc de Jeremia proprié intelligantur necesse est, quem illi veré in foveam conjiciebant, & quem opprimere cupiebant. Et historia, hæc de illo vera fuisse, testatur. Sed *secundó*, dat Stapletonus, de Jeremia ista intelligi. Et quomodo, obsecro, tum respondet? Tum, inquit, tripliciter respondeo. Videamus, quæso,

quæso, triplicem istam Stapletoni responsionem. *Primó*, ait, non de toto genere Sacerdotum hæc esse intelligenda. *Respondeo:* Hoc sané probari non potest. Nemo enim ex Sacerdotibus Jeremiæ se adjungebat, eúmve defendebat; sed omnes ei resistebant. Etsi aliquis forte eum defendebat: tamen multitudo adversabatur. Multitudo ergo hoc tempore ecclesia non fuit. Itaq; si non de toto Sacerdotum genere intelligantur ista, at falté de majore & potentiore parte intelligũtur. Nónne enim apertè victus fuit Jeremias numero & potentia? Qui tum plurimum poterant, ii contra Jeremiam erant; pauci ac feré nulli, præcipué Sacerdotum, illi favebant: non enim requiritur ut nulli fuerint, sed ut præ reliquis pauci. At debuit Stapletonus probare, majorem partem cum Jeremia fuisse, illiq; faviſse. Sed hoc ille non probat, nec omnino probare potuit. *Secundó*, ait, Jeremiam non se á Pontificum & Sacerdotum obedientia atq; unitate subtraxisse; sed in illius Ecclesiæ unitate, & in illorum obedientia perstitisse nihilo minus, & permansisse. *Respondeo:* hoc non esse simpliciter & absolutè verum. Nam si Pontificibus & Sacerdotibus per omnia obtemperasset Jeremias, non isto modo tractatus fuisset. Quód veró Templum & Sacrificia frequentabat: non ideo hoc ab illo factum est, quód ii, qui Templum occupabant, essent vera Ecclesia; sed quód ibi exercenda esset Dei religio, & nusquam alibi; & quód oporteret veros DEI cultores, in illo tantúm loco, Sacrificia offerre. *Tertió*, ait Stapletonus, illam Sacerdotum iniquitatem, non fuisse ullam á fide apostasiam, sed morum tantúm impuritatem; & sic Pontificios quantumvis impuros posse esse veram Ecclesiam. *Respondeo:* Sacerdotes isti non impuri

tantúm erant, verumetiam infideles; quia & Dei verbum per Prophetam annunciatum respuebant, eiq; non credebant, & populum etiam avertebant, & in obstinato animo obfirmabant, nec Jeremiam verum Dei Prophetam fuisse agnoscebant. Hæc manifesta infidelitatis signa fuerunt. Perinde enim fecerunt, ac si quis nunc Jeremiæ prophetiam esse verbum Dei negaret. Denique certum est, Ecclesiam non fuisse, cúm Dominus illos per Prophetas rejiciat. Ex his ergo, quæ dicta sunt, satis constat, non esse Ecclesiam ex numero & multitudine æstimandam; nam tum Prophetam Jeremiam jure damnatum fuisse dicamus necesse est; quod certé Adversariis dicēdum est, si sibi constare velint. Atque hoc quidem Scriptura sæpius testatur. Sic enim Christus Matth. 11. 25. *Ago tibi gratias, Domine cœli & terræ, quód hæc occultaveris á sapientibus & intelligentibus, & revelaveris ea parvulis.* Ergo vera Ecclesia in parvulis consistit. Sic Sophoniæ 3. 12. Deus ait: *Relinquam mihi in medio tui populum pauperem & tenuem, qui sperabit in nomine Domini.* Per hunc populum, Ecclesiam suam intelligit. Sic Jesaiæ 1. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & similes Gomorrhæ.* Sic Isaiæ 24. 13. *Ita erit in medio terræ, & in medio populorum, ut si quis paucas olivas, quæ remanserunt, ex olea decutiat, aut racemationem faciat, vindemiâ consummatâ.* Sic Luc. 12. 32. Christus Ecclesiam suam vocat μικρὸν ποίμνιον, *exiguum & pusillum gregem.* Habeant ergo Adversarii nostri sibi suos amplos greges; nos de pusillo Christi grege esse cupimus. Multa sunt hujusmodi loca in Scripturis, quæ Ecclesiæ paucitatem, non multitudinem arguunt. Sed his nos contenti erimus.

Decimum

Decimum noſtrum argumentum eſt hujusmodi. Eccleſia comparatur theſauro in agro abſcondito: ergo non eſt cuivis manifeſta. Matth. 13. 44. *Simile eſt regnum cœlorum theſauro occultato in agro, quem nactus quispiam occuluit, & præ gaudio, quod accipit ex eo, ſubducit ſeſe, & omnia quæ habet, vendit, emitq; agrum illum.* Et ſtatim precioſæ margaritæ comparatur, & reti, quod cũ in aquis eſt, non videtur. Hæ parabolæ indicant, Eccleſiam non eſſe omnibus notam. Non enim quivis videt theſaurum hunc, hancque margaritam, tum enim omnes emerent: ſed ii ſoli, qui oculos habent, quique de hujus theſauri & margaritæ precio rectè judicare poſſunt. Falſum ergo eſt, quod Adverſarii ajunt, Eccleſiam non minús ſplendidam eſſe ac illuſtrem, quám eſt ampla Respublica; exempli gratiâ, Respublica Venetorum, aut Regnum Galliæ, ſeu Hiſpaniæ, & alia hujusmodi Regna & Respublicæ. Nam hujusmodi amplam & illuſtrem Rempublicã omnes vident, & ſe nunc eſſe in ea Republica aut civitate ſentiunt; quia tota Reipublicæ forma externa eſt, & externa ſunt illa omnia, quæ eam continent & conſtituunt. Sed Chriſti Regnum non eſt de hoc mundo, non eſt his hujus mundi Regnis aut Rebuspublicis ſimile, non eſt omnibus notum & manifeſtum; ſed iis tantúm qui oculos internos habent. Ideo theſaurus abſcõditus dicitur. Sive veró per theſaurũ intelligas gratiam Evangelicã, ſive eccleſiam, nihil intereſt ad argumentum. Nam nec theſaurus nobis manifeſtus eſt, nec ager omnibus notus, in quo theſaurus latet. Et ſi per theſaurũ gratiam intelligamus, tum per agrum Eccleſia ſignificatur; quem tum demum emit quispiam, cúm in eo theſaurum eſſe noverit, non antea. Et de hoc argumento hactenus.

Postremum nostrum argumentum, ex Patrum sententiis & testimoniis sumitur. *Primum* testimonium est Chrysostomi in homil. 49. in opere imperfecto in Matth. Ubi Chrysostomus ait, nullam esse Ecclesiæ probationem, nisi per Scripturas, & nullo modo cognosci posse ecclesiam, nisi tantummodo per Scripturas. Verba ejus hæc sunt: *Quare jubet* Christus *hoc tempore omnes Christianos se ad Scripturas conferre?* Respondet Chrysostomus: *Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neq; refugium potest esse Christianorum aliud volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scripturæ divinæ. Antea enim multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi, & quæ Gentilitas; nunc autem nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas.* Hæc Chrysostomus. Ex quibus verbis duo colligo. *Primó*, Scripturas esse certam Ecclesiæ notam. *Secundó*, Ecclesiam non posse ex aspectu dijudicari. Scio, quid respondeant Adversarii; hunc librum non esse Chrysostomi. Sed cujuscunque tandem sit, liber certé egregius est, & nisi quód Arianis alicubi favere videtur, Chrysostomo non indignus. Hunc veró locum nullus præter nostros Adversarios reprehendit. *Secundum* testimonium est Nazianzeni in sermone de seipso contra Arianos in principio, ubi sic scribit: Πῦ ποτε εἰσὶν οἱ τὴν αἱρεσιν ἡμῖν ὀνειδίζοντες, καὶ τὸν πλοῦτον κομπάζοντες, οἱ πλήθει τὴν ἐκκλησίαν ὁρίζοντες, καὶ τὸ βραχὺ διαπτύοντες ποιμνίον; Ubi nunc tandem illi sunt, qui paupertatem nobis objiciunt, spesq; suas insolenter jactant, qui Ecclesiam multitudine definiunt, gregemq; exiguum aspernantur? His plané verbis nos Adversarios nostros affari possumus. *Tertium* testimonium est Hieronymi in comment. in Psalm.

Psalm. 133. ubi hæc verba habentur: *Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate. Ecclesia ibi est, ubi fides vera est. Cæterùm ante annos quindecim aut viginti, parietes omnes hîc Ecclesiarum hæretici posſidebant. Ante viginti. n. annos omnes Ecclesias has hæretici posſidebant. Ecclesia autem vera illic erat, ubi vera fides erat.* Ait ergo Hieronymus duo. *Primò*, hæresin ante annos quindecim aut viginti occupâsse locum illum, in quo tunc vera erat Ecclesia. *Secundò*, in iis, qui veram fidem habebant, Ecclesiam veram tum fuisse; quod idem planè est cum eo, quod á Chrysostomo in loco supra citato affirmatur. Consentit ergo cum Chrysostomo Hieronymus; non successionem, non sedem aliquam, sed fidem veram esse notam Ecclesiæ, ut nos postea luculentiús docebimus. *Quartum* testimonium est Augustini in Epist. 80. ubi Augustinus Ecclesiam Soli, Lunæ, stellis comparat. Unde facilé constare potest, Ecclesiam aliquando latêre. Verba Augustini diserta sunt, & Adversariorum sententiam apertissimé refellunt. *Quando Sol obscurabitur* (inquit) *& Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur: Ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum sævientibus, & remoto timore, tanquam arridente mundi felicitate, dicentibus, Pax & securitas.* Ex his apparet, non posse cum persecutione stare Ecclesiæ claritatem. Pergit Augustinus & subjungit: *Tunc stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur; quoniam multi, qui gratiâ fulgere videbantur, persequentibus cedent & cadent; & quidam fideles firmissimi turbabuntur.* Quid dici potuit apertius? Idem etiam Augustinus in Epistola 48. ad Vincentium hæc verba habet: *Ipsa est* ECCLESIA, *quæ aliquando obscuratur;*

& tanquam obnubilatur multitudine scandalorum. Quid multis opus est? Adversarii ipsi concedunt, temporibus Antichristi persecutionem immanissimam fore, Ecclesiam in solitudine futuram esse, nec posse publicas functiones sacras liberé exercere, aut alia ratione cú Papa, quám corde, communicare. Quod cúm dicunt, fatentur Ecclesiam non semper amplam & splendidam futuram esse. Sic Rhemenses in annotation. in 2. Thes. 2. & in Apoc. 12. ut priús docuimus in quinto nostro argumento. Sed quãdiu sit hoc tempus Antichristi duraturum, quæritur. Illi non nisi per tres annos & dimidium duraturum esse dicunt; nos diutiús, ut postea in alia Quæstione & Controversia patebit. Præterea in Fortalitio fidei lib. 5. sic scribitur: *Et si non nisi duo viri fideles remanerent in mundo; tamen in iis salvaretur Ecclesia, quæ est unitas fidelium.* Satis habemus, quid amplius requirimus? Adversarii nobis assentiuntur. Atq; ita tertiam istam de Ecclesia Quæstionem absolvimus.

Finis tertiæ Quæstionis.

QUÆSTIO QUARTA.

An Ecclesia possit errare.

CAPUT PRIMUM.

De statu Quæstionis.

EXplicatis jam tribus de Ecclesia Quæstionibus, quas satis, uti spero, dilucidé & copiosé tractavimus: ad quartam nunc veniam. *Quarto* igitur loco quæritur, utrúm errare Ecclesia

Ecclesia potest. Hîc quærendus est primó status Quæstionis, quid Adversarii statuant, quid nos.

Adversarii Ecclesiæ nomine, non modó fidelium omnium, verumetiam præcipué omnium Pastorum sive Episcoporum universitatem intelligunt; & verum esse dicunt, quicquid aut omnes fideles credũt, aut omnes Episcopi docent esse verum. Sic Bellarminus in capite 14. hujus tertii libri de Ecclesia. Sic Canus lib. 4. loc. com. cap. 4. Similiter Stapletonus libr. 5. de princip. doctrin. cap. 7. Sic alii Papistæ. Ideoque Stapletonus in eodem capite ait, Ecclesiam proprié dici propter ipsos Pastores, & Regnum Christi proprié in ipsis Pastoribus perpetuum esse. Deinde per Ecclesiam, non antiquam modó ecclesiam intelligunt, sed & eam, quæ nunc est, & quæ ad finem usque mundi futura est. Errorem veró intelligunt, nõ gravem tantúm, qui fundamenta convellit, quem propterea errorem fundamentalem vocare licet; sed quemvis etiam minimum & leviſſimum errorem; nec de fide modó, verumetiam de moribus. Verúm non eâdem ratione. Nam ut Stapletonus ait lib. 3. de princip. doctrin. cap. 6. Ecclesia tolerat peccata, & peccatores; sed in doctrina ne minimum quidem errorem tolerat, aut dissimulat. Et quanquam tolerat peccatores: tamen ait, non minús verum esse, Ecclesiam nõ peccare, quám non errare. Quod quidem veré ab illo dicitur, quia utrumq; facit Ecclesia. Nam & peccat sæpe, & errat aliquando. Sed rationẽ ille subjungit. Quia (inquit) ecclesia, etsi habet carnales multos, quos tanquam paleas tolerat, ut loquitur Augustinus in lib. de vera religione cap. 6. & spirituales quoque in Ecclesia absque peccato nõ sunt: tamen quia Ecclesia peccatum non approbat; ergo

non peccat. At errores (inquit) & errorum patronos non modó non approbat Ecclesia, sed ne tolerat quidem. Atque hinc esse dicit, quód tam multi hæretici ex Ecclesia sint ejecti. Sic juxta Stapletoni sententiam, Ecclesia nec potest peccare quodam sensu, nec errare. De hac sententia Adversariorum nunc non disputabo. Hoc tantúm obiter dicam. Si impii & scelerati homines sint vera membra veræ ecclesiæ, quemadmodum illi tenent, & defendunt: tum certé Ecclesia non modó peccat, verumetiam peccata approbat; nec errat modó, verumetiam errores tolerat. Impii enim utrumque faciunt. Nam & errant illi, & errores tolerant; imó errorum sæpe authores existunt: nec peccant tantúm, verumetiam peccata approbant, & peccantibus συνδοκοῦσι, *patrocinantur*, ut loquitur Apostolus. Quod autem Ecclesia in membris facit, id ipsam facere, dici potest; quemadmodum si manus hominem vel occiderint, vel servaverint, nos ipsi occidisse vel servâsse dicimur. Ita hoc cum superiori illorum dogmate non congruit. Sed inter peccatum & errorem hoc interest (inquit Stapletonus) quód nullum hujusmodi errorem approbat Ecclesia; quia & ipsi carnales in iis quæ ad fidem & doctrinam necessariam pertinent, non errant. Peccant illi quidé, sed non errant. Ergo non prorsus similis est ratio (inquit) in hoc. Alii Papistæ, ut Canus in loco suprá citato, falli & errare posse Ecclesiam dicunt in quibusdam rebus, in iis nempe, quæ non sunt illi á Deo revelatæ. Ajunt enim, Ecclesiam credere posse quædam, quæ illi non revelantur divinitus, & in iis facilé errare posse; sed tamen hujusmodi errore probabili, ut loquuntur, Ecclesiæ nec fidem excuti aut excludi,

excludi, nec veritatem tolli. Nunc verò Papistæ dicunt, nihil esse falsum, quod Ecclesia credit, & credendum proponit, non modò in iis, quæ simpliciter ad salutem necessaria sunt, verumetiam in aliis. Nam in iis, quæ ad fidem non pertinent, errare posse fatetur Alphonsus in lib. 6. contra hæres. & exemplo hoc illustrat; ut in hac re (inquit,) utrúm Carolus quintus unquam fuerit in Italia; & ait, omnes Catholicos fateri, ecclesiam posse errare in iis, quæ non respiciunt jus, sed quæ solam rem gestam concernunt; vel in facto, non autem in jure, aut dogmate. Sic Campianus in colloquio secundi diei dixit, Ecclesiam in facto errare posse, ut Episcopum damnare innocentem, aut nocentem absolvere. Ita hæc est illorum sententia, Ecclesiam non errare vel leviſſimé in iis rebus, quæ aut ad fidem, aut ad bonos mores spectant. Sic enim Bellarminus Adversariorum sententiam breviter proponit. Nostra sententia est, (inquit) Ecclesiã absoluté non posse errare, nec in reb. absoluté necessariis, nec in aliis, q̃ credẽda, vel faciẽda nobis ꝓponit, sive habeãtur expressé in scripturis, sive nõ. Illud verbum, *expreßé*, ambiguè ab illo ponitur. Nũc nostrã sententiã ꝓponam'.

Nos verò dicimus, Ecclesiam hanc aut illam posse errare; ut Ecclesiam Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, & reliquas hujusmodi; nec errare modó, verumetiam obrui tandem erroribus, & deficere; quod ipsa experientia in multis Ecclesiis demonstravit. Et hoc de qualibet ecclesia visibili & particulari verum esse affirmamus. Sed quæ est Christi ecclesia omni modo (nam visibilis ecclesia, etiam quæ veram fidem tenet ac profitetur, non omni ex parte, sed tantúm ex parte electorũ, est vera ecclesia:) eã

posse quidem errare dicimus in rebus quæ non evertunt fundamentum, & variis erroribus laborare, & quædam defendere, ac proponere, quæ falsa sunt, sed in absolutè necessariis non posse errare. Itaq; de erroribus distinguimus. Nam dicimus, errores esse similes morbis in corpore humano, quorum alii sanabiles sunt, alii insanabiles: sic quosdã errores esse lethales & mortiferos dicimus, nempe qui evertunt fundamentum, quosdam verò leviores. Dicimus ergo, veram Christi Ecclesiam Catholicam errare non posse, si errores mortiferos & insanabiles intelligamus; at in levioribus rebus posse errare, nempe quæ non sunt simpliciter & absolutè ad salutem necessariæ, quæque fundamentum non evertunt. In his, inquam, ipsam etiam veram Christi Catholicam Ecclesiam, quæ est electorum tantúm, errare posse affirmamus. Ideoq; dicimus oportere semper Ecclesiam ad Scripturas alligari, á quibus si vel tantillum aberraverit, facillimé potest id quod falsũ est credere, aliisq; etiam credendum proponere. Ecclesiam enim dicimus ex hominibus constare, ac proinde errare posse; sed nunquam tamen id statuere, quod vim, & naturam, & nomen Ecclesiæ tollat. Nam ita prospicit Deus Ecclesiæ suæ, ut eam nunquam aboleri aut interire permittat. Et hoc non modó de populo, sed & de Episcopis ac Pastoribus intelligi volumus; quibus non magis licet á Scripturis discedere, quám populo; & qui non majora privilegia habent, quod ad hoc attinet, quám populus habet. Non enim populus tantúm errare potest, sed Pastores etiam; si aliqd statuerint aliter, quám Scripturæ regula postulat. Ac proinde illos etiam ad Scripturas semper adhærescere oportere affirmamus; quas si Ecclesia semper sequatur,

quatur, nunquam certé aberrabit. Et de ſtatu Quæſtionis hactenus. Nunc ſequitur ut ad ipſam dimicationem veniamus.

CAPUT SECUNDUM.

In quo Adverſariorum argumenta proponuntur ac diluuntur.

PRoponemus primo loco more noſtro Adverſariorum argumenta, quibus in hac cauſa uti ſolēt: tum deinceps ſequentur argumenta noſtra.

Primum Adverſariorum argumentum ſumitur ex 1. Tim. 3. 15. ubi Paulus vocat Eccleſiam Dei *columnam & firmamentum veritatis*; unde concludunt illi, Eccleſiam non poſſe errare. Calvinus reſpondet, Eccleſiam ideo dici στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, *columnam & firmamentum veritatis*, quia tanquam fidiſſima cuſtos veritatem Dei conſervat, non quód in nulla re errare poſſit. Bellarminus hanc reſponſionem tollit, & ait, officinas librariorum eſſe columnas veritatis, hoc modo, quia diligentiſſimé cuſtodiunt omnes Scripturas. Sed hoc inepté ab illo dicitur, quia Calvinus ſubjungit, Eccleſiam miniſterio prædicationis veritatem conſervare. Hoc nullis librariorum officinis tribui aut convenire poteſt. Sed ait præterea Bellarminus, multó eſſe amplius, columnam eſſe, quám ſimplicem cuſtodem. Nam columnæ (inquit) innitur domus, & eâ remotâ, domus cadit: quod tamen non ſemper verum eſt. nã adhiberi ſolent columnæ interdum, non ut firmiora, ſed ut ornatiora ædificia ſint. Sic igitur ille argumentari videtur. Ut domus á columna ſuſtentatur; ita fidei veritas quoad nos, Eccleſiæ authoritate nititur: ergo verum eſt, quicquid Eccleſia probat; falſum, quicquid illa improbat.

Jam particulatim reſpondebo. Et *primó* quidem dico, quód eccleſia hîc columna dicitur, id de quavis vera particulari Eccleſia intelligi poſſe. Quod enim hîc Paulus Timothæo dicit, ut meminerit ſe in Eccleſia & domo Dei verſari, quæ eſt στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας: idem ſingulis ſingularum Eccleſiarum Paſtoribus dici poteſt. At ipſi Adverſarii concedunt, particulares Eccleſias, earumq; Paſtores errare poſſe. *Secundó reſpondeo*: Eccleſiam illam Epheſinam, de qua tamen nominatim Apoſtolus hoc dixit, jam olim non errâſſe modó, verumetiam penitus defeciſſe, & funditus interiiſſe; ut jam neque vim, neq; naturam, neque nomen eccleſiæ retineat. *Tertió* dico, eccleſiam quidem στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας dici, hoc eſt, *columnam & firmamentum veritatis*, ſed tamen non dici θεμέλιον τῆς ἀληθείας, *fundamentum veritatis*. Non ergo ei ut fundamento innititur veritas fidei, ne quoad nos. Nam cui nos innitimur, id fundamẽtum eſt. At Eccleſia non dicitur fundamentum, ſed tantúm στύλος καὶ ἑδραίωμα, *columna & firmamentum veritatis*. Ergo veritas eccleſiæ authoritati non innititur. Atque hîc quidem duplex Adverſariorum ἀνωμαλία notanda eſt. *Primó*, volunt ex hoc loco probare, Eccleſiæ authoritati inniti veritatem fidei, quoad nos; ac proinde quicquid ſtatuit aut docet Eccleſia, id eſſe verum, & recipiendum; quicquid improbat, id falſum eſſe, & rejiciendum; atque ita eum, qui id ſequitur & amplectitur, quod eccleſia ſtatuit, non poſſe falli aut errare. Sed hæc Eccleſia, de qua hîc Apoſtolus loquitur, non illa eſt, quæ habet authoritatem ſtatuendi aliquid, & cujus authoritas, ut illi volunt, eſt fundamentum fidei noſtræ. Nam ea Eccleſia eſt Paſtorum & Epiſcoporum tantúm; at hæc, de qua hîc

hic Apostolus, est corpus fidelium. Non enim loquitur hic Paulus de Pastoribus, sed de populo Ecclesiæ Ephesinæ, & de multitudine credentium, qui Ephesi fuerunt, quibus Timotheus ut Pastor præficiebatur. Jã verò populi non est, ut volunt Adversarii, aliquid approbare, aut sancire, seu statuere aliquid, quod ad fidem pertineat; sed ea recipere, quæ á Pastoribus suis sanciuntur. Alloquitur Paulus Timotheum, qui fuit Ecclesiæ Ephesinæ Pastor, eumq; instruit, qua ratione debeat in illa Ecclesia se gerere: ergo intelligit Ecclesiam, cui ille præfuit, quæ fuit multitudo credentium & fidelium inter Ephesios. *Altera* Adversariorum ἀπλογία hæc est. Si veritas fidei, Ecclesiæ authoritati innititur, quoad nos, id est, quoad populum, ut volunt Adversarii, quia *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis*; tum etiam quoad Pastores, veritas fidei nititur authoritate Ecclesiæ, id est, populi sancti; quia Timotheus fuit Pastor, cui præcepit Apostolus, ut sibi rem esse cũ populo Dei, hoc est, cũ Ecclesia Christi, *columnâ & firmamẽto veritatis*, meminerit. Ita si illorum interpretatio vera sit, Pastorum fides, populi & vulgi authoritate niti debet. Præterea si veritas fidei, Ecclesiæ authoritati innititur, quoad nos: cui tandem innititur veritas Ecclesiæ quoad nos, ejusque authoritas? Hoc explicent, si possunt. De hoc nos antea in alia Controversia diximus. Sané Ecclesia multó magis veritati, quám veritas Ecclesiæ innititur. Ideoq; Chrysostomus in hunc locum Apostoli, propositionẽ cõvertit, & ait, ἡ ἀλήθεια ὅτι τῆς ἐκκλησίας ἐστὶ στύλος καὶ ἑδραίωμα. *Veritas est Ecclesiæ & columna, & firmamẽtũ.* Sic Irenæus lib. 3. c. 1. ait, *scripta Apostolorũ esse columnã & firmamẽtũ fidei nostræ.* Et c. 11. ejusdẽ libri: *Colũna* (inqt) *& firmamentũ Ecclesiæ est Evãgeliũ, & spiritus vitæ.*

Quartó respondeo: in hac oratione esse manifestam metaphoram. Ecclesia enim columna dicitur metaphoricé, quód columnæ similis sit. Est veró columnæ similis hac in re, quód quemadmodum columna structuram totam sustinet, eamque facit multó stabiliorem: ita Ecclesia sustinet & suffulcit veritatem. Nusquam enim sustinetur veritas, nisi in Ecclesia; nec locum uspiam, aut sedem, in qua consistat, reperire potest, nisi inter pios in Ecclesia. At qui sic disputat: Nusquam veritas, nisi in Ecclesia reperitur: ergo quicquid in Ecclesia proponitur, est veritas. vel sic: Sola Ecclesia habet veritatem fidei, nullus alius hominum cœtus: ergo in nulla re errat Ecclesia: ille fallaciâ utitur κατὰ τὸ ἐπόμενον. Nam potest Ecclesia veritatem defendere, & sustinere, & vindicare, quæ tamen nõ est ab omni errore immunis. Veritas enim non simpliciter omnis, sed necessaria tantúm hoc in loco intelligitur. Potest ergo Ecclesia, unà cum veritate, quam tenet, errores aliquos conjungere, & falsa nonnulla commiscere; quia omnia falsa non continuó tollunt prorsus & extinguunt veritatem, nec omnes errores Ecclesiam evertunt. Et de primo Adversariorum argumento hactenus.

Sequitur nunc *secundum*, quod hujusmodi est. Ecclesia (inquit Bellarminus) gubernatur á Christo, tanquam á capite, & sponso suo, & á Spiritu sancto, tanquam ab anima. Hoc probat ex Ephes. 1. 22. 23. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* & ex Ephes. 4. 4. *Unum corpus, & unus spiritus.* & ex Eph. 5. 23. *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Et Joh. 16. 13. Christus ait Apostolis & discipulis suis, *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Ergo (inquit) si Ecclesia in dogmatibus fidei, vel morum erraret,

erraret, Christo & Spiritui sancto error tribueretur, quod certé est blasphemum. *Respondeo* breviter, negando argumentum. Non enim sequitur hoc argumentum: Christus est caput & sponsus Ecclesiæ, & Spiritus sanctus est Ecclesiæ anima, eamq; docet omnem veritatem; ergo Ecclesia non potest errare; aut si erret, hic error Christo aut Spiritui sancto est tribuendus. Nam *primó*, Christum esse Ecclesiæ caput, non magis probat, Ecclesiam non errare, quám non peccare. Atqui fatentur Adversarii Ecclesiam peccare, quia multos carnales habet, & ipsi etiá spirituales in Ecclesia á peccato immunes non sunt. Si autem peccare potest Ecclesia, non obstante hoc, quód Christus illius caput sit: quidni etiá & errare potest? Nullam certé dissimilitudinis rationem ostendere possunt Adversarii, quia Christus cum sit Ecclesiæ suæ caput, non minús debet membra sua á peccato, quám ab errore defendere. *Secundó*, quód Christus Ecclesiæ suæ caput dicitur, id non ita intelligendum est, quód eam ab omni errore liberet, sed quód vitá Ecclesiæ, ut caput membris, præbeat: vitam autem á Christo, ut capite, multi hauriunt, qui tamen errare possunt. Quid ergo hoc ad istam Quæstionem, an Ecclesia possit errare? Probat certé potiús, ecclesiam non peccare, quám non errare, atq; ita ad aliá Quæstionem pertinet. *Tertió* respondeo, Christum & Spiritum sanctum docere ecclesiam omnem veritatem simpliciter necessariam, sed sæpe relinquere errorem nævumque aliquem: & sicut Christo & Spiritui sancto ignorantia non tribuitur, quia ecclesia multa ignorat, quod Adversarii negare non possunt: sic nec error illis tribuendus est, etsi ecclesia sæpe erret. Sed Calvino sic respondenti objicit Bellarmi-

nus in hunc modum. Sicut vir (inquit) qui est caput mulieris, non tenetur removere ab uxore omnem ignorantiam, tenetur tamen removere omnem errorem, ex quo magnum aliquod malum oriatur: ita Christus tenetur removere omnem errorem ab Ecclesia, ex quo magnum oritur malum: talis autem est omnis error circa fidem. *Respondeo*: & quæro, quis hic error malus sit, quem Christus ab Ecclesia removere tenetur? Antea dixit, Ecclesiam ab omni errore simpliciter, tum circa fidem, tum circa mores, immunem esse: nunc ait, Christum ab illa removere omnem malum errorem, ex quo magnū oriatur malum. Sed cujusmodi ille est? Omnis (inquit) error circa fidem. Quid? num ergo Christus omnem ab Ecclesia errorem circa fidem removet? tum certé & ignorantiam omnem removeat necesse est; quia ex ignorantia errores hujusmodi nascuntur. Nos quidem fatemur, Christum tanquam amantissimum sponsum, removere ab Ecclesia sua omnem pestiferum & mortiferum errorem, qui faceret Ecclesiam non esse Ecclesiam, & non esse sponsam suam. Sed ut Ecclesia potest esse sponsa Christi, licet nævos aliquos habeat: ita non desinit esse Ecclesia Christi, licét erroribus quibusdam laboret. Dicimus ergo, Christum damnabilem omnem errorem & hæresin; sed non quemvis omnino errorem, ab Ecclesia sua removere. *Quartó*: affirmo infirmum hoc esse argumentum, quia hac ratione non modó Catholica ecclesia non errabit: verumetiam singuli quoq; fideles ab errore immunes erunt. Nam singulorum etiá fidelium, & Christus caput, & Spiritus sanctus Doctor est. Non tamen removet Christus á singulis fidelibus errorem. nam fatentur Adversarii, singulos

fideles

fideles errare posse: ergo nullum est hoc argumentū. Imó omnes pii sumus θεοδίδακτοι, hoc Propheta Isaas, hoc Christus affirmat. num ergo Deo error tribuetur, si nos forte erramus? Absit. Atqui ille quidem locus, qui habetur Joan. 16. 13. *Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem*, non modó ad Christi Catholicā Ecclesiam, hoc est, ad fidelium universitatem, neque ad Concilium Pastorum tantúm, quod illi vocant Ecclesiam repræsentativam, sed ad singulos etiam fideles pertinet. Hanc enim promissionem singuli etiam fideles possunt vendicare. Adversarii volunt de Ecclesia tantúm Romana intelligi, & Ecclesiam Romanam non posse errare dicunt, propter Romanū Pontificem, qui eam regit; quasi hæc promissio ad unum Petrum, & ejus successores pertineret. Sed certum est ex loci circumstantiis, ad omnes Apostolos ex æquo pertinuisse; quiá Christus hîc non unum Petrum, sed omnes Apostolos allocutus est. Ergo ex hac promissione, non minús reliqui Apostoli, & illorum successores, ab errore liberi futuri erāt, quám Petrus. Præterea promittitur hoc Apostolis, non modó conjunctis, verum etiam separatis: at Pastores & Episcopos separatos errare posse, concedunt Adversarii. Ergo Rhemenses ex hoc loco nihil probare possunt. Verus hujus loci sensus hic est. Spiritus sanctus docebit fideles omnem veritatem, id est, omnem veritatem necessariam. Nemo enim unquam omnem veritatem novit, aut intellexit. Sic duo Adversariorum argumenta tractata jam sunt, & refutata; nunc ad reliqua progrediamur.

Tertium Bellarmini argumentum est hujusmodi. Utar ipsius verbis. Obligamur sub anathematis pœna, credere ecclesiæ in omnib', ut patet Matth. 18. 17.

Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus; & Concilia omnia dicunt anathema, non assentientibus ecclesiæ decretis: at iniquum esset (inquit) sub tam gravi pœna obligari ad assentiendum rebus incertis, & interdū falsis: unde vult efficere, ecclesiæ decreta non esse aut incerta aut falsa, & per consequens Ecclesiam non errare. *Respondeo* 1: Quod ad locum Matthæi attinet, Christus non ibi de doctrina, sed de censuris tantúm Ecclesiasticis loquitur. Et loci sensus hic est: Si quisquam, qui in fratrem peccaverit, cumque injuria aliqua affecerit, post unam & alteram privatam increpationem, ad Ecclesiam delatus, ejus monitis non obtemperaverit, ejusq; censuræ non paruerit: is excommunicetur. Quid hoc ad hanc causam? num ergo in nulla re errare Ecclesia potest? Nihil minus. 2. *Respondeo*: audiendam quidē esse Ecclesiam, juxta illud Christi, *Qui vos audit, me audit*; sed ita tamen, ut ipsa priús Christū audiat, quám se ab aliis audiri postulet. Non ergo est Ecclesia simpliciter in omnibus audienda, sed in iis tantúm, in quibus ipsa Christum audit, eique obtemperat. Et ut Christus de Scribis & Pharisæis dixit, *Quæcunq; dixerint, facite*; non tamen omnia simpliciter facienda esse voluit, quæ illi facere præciperent: ita hîc idem Christus ait, *Qui non audierit Ecclesiam*, non utique in omnibus, sed in iis, quæ sancta, quæ vera, quæ legitima sunt, is pro Ethnico & publicano habeatur. 3. Concilia, cùm anathema denunciant, si pia sint, non tribuunt sibi hanc non errandi facultatem, sed Dei verbo & Scripturis vendicant, quarum authoritate omnis illorum doctrina nititur, omniaque quæ ab illis definiuntur: nec aliter aliquibus anathema denunciant, quám Scripturarum veritati non assentientibus.

entibus. Non enim sibi simpliciter sumunt immunitatem ab errando per omnia, sed in his se non errare sentiunt, quæ verbo Dei consentanea definierint. Volunt ergo sua decreta propterea recipi, quia cum verbo Dei congruunt, non ut sibi hoc modo, sed ut Christo & Deo obtemperetur. Quæ verò sunt Scripturis contraria ἀναθέματα, ea non obligant. Et pius quisque minister potest ἀναθεματίζειν & excommunicare quosdam hæreticos, qui tamen potest etiam in plurimis errare. 4. Affirmo, non de Catholica Ecclesia, sed de quibusvis particularibus Ecclesiis, locum illum Matthæi intelligendum esse, & has qui non audiunt, eos pro Ethnicis & Paganis habendos esse. Particulares verò Ecclesias in errores posse incidere, ipsi Adversarii fatentur. 5. & postremò dico, non attendere Bellarminum, se nunc conari probare, universitatem fidelium errare non posse, & in hunc finem hunc locum Matthæi protulisse; cum tamen hunc locum, & hanc sententiam, ipsi Adversarii verè, non de universitate fidelium, sed Pastorum, & Presbyterorum interpretentur.

Quartum Bellarmini argumentum, in hunc modum se habet. Ecclesiam esse sanctam, docet Symbolum Apostolorum. Ista autem sanctitas propriè (inquit) in professione dogmatùm consistit: ergo Christiana professio nihil continet, nisi sanctum, id est, verum quoad fidei doctrinam, & justum quoad præcepta morum. Unde sequitur, quicquid ut dogma Ecclesia statuit, sive de fide, sive de moribus, in eo errare non posse. *Respondeo* 1. Ecclesiam dici sanctam, propter externam professionem fidei, falsum est. Sancta enim est, & dicitur, propter Spiritum sanctum, qui in ea habitat, & propter sanctificationis

donum, quo prædita est. Nemo enim dicitur sanctus propter aliam qualitatem, quám sanctimoniam. Non ergo quia sancta dicit, vel docet tantúm, sancta dicitur Ecclesia, sed quia sancta facit: alioqui fieri posset, ut nullus esset in Ecclesia sanctus, quia homines impuri & maximé profani, sancta dicere & docere possunt. Non igitur propter sanctam doctrinam, sed propter sanctos mores, & vitam sanctam, Ecclesia sancta dicitur. 2. *Respondeo*: Sicut Ecclesia dicitur sancta, etsi sæpe peccet & labatur: ita custos veritatis dici potest, etsi interdum erret leviús. Sed Ecclesiæ quidem sanctitas multó magis probat, Ecclesiam non peccare, quám non errare; cúm sanctitas morum integritatem proprié significet, quæ in vita & factis apparet, non doctrinæ veritatem, quam ore profitemur, ut antea diximus.

Quintum Bellarmini argumentum hoc modo instituitur. Hæc sententia (Ecclesiam scilicet posse errare in non necessariis) facit ut maxima pars dogmatum fidei in dubium revocetur. Nam multa sunt de fide (inquit) quæ non sunt absolutè necessaria ad salutem, ut credere historias Testamenti veteris, vel Evangelia Marci & Lucæ esse Canonica scripta, imó ullas esse divinas Scripturas credere, non est omnino necessarium ad salutem; nam sine hac fide multi salvati sunt, antequam Scripturæ scriberentur, & postea tempore novi Testamenti multæ barbaræ nationes, de quibus Irenæus lib. 3. cap. 4. at non debemus de Scripturis dubitare: non igitur verum est, in rebus tantúm ad salutem necessariis, Ecclesiam non posse errare. *Respondeo* 1. Non sequitur, quia Ecclesia non potest errare in rebus ad salutem necessariis, ergo in aliis rebus omnibus, quæ non sunt ad salutem necessa-

necessariæ, errare. Est hæc fallacia ἀπὸ τὸ ἐπόμενον. Quod nos dicimus, Ecclesiam in rebus non necessariis errare posse; id sic interpretatur Bellarminus, quasi diceremus, in omnibus hujusmodi rebus errare. At nos hoc non dicimus. 2. Nos non dubitamus de his Scripturis, quas ipse memorat, nec libros illos in dubium vocamus, sed iis credimus: non tamen propter solam Ecclesiæ authoritatem, sed propter multò majorem & certiorem authoritatem, nempe ipsius Spiritus sancti. Et sic omnis vera Ecclesia, quæ Spiritum sanctum habet, non potest non tandem vocem Christi & Spiritus sancti in his libris agnoscere, etsi forsan ad tempus de illis dubitare potest; quemadmodum olim aliquæ Ecclesiæ de nonnullis libris dubitarunt. 3. Quod ait Bellarminus, non esse simpliciter ad salutem necessarium, credere historias Testamenti veteris, vel Evangelia Marci & Lucæ esse Canonica scripta, imò ullas esse divinas Scripturas (hæc enim illius verba sunt:) certè nihil magis contra Scripturas dici potest. Hæretici enim hi sunt, qui aut ullas esse divinas Scripturas, aut historias veteris Testamenti, & Evangelia Marci & Lucæ Canonica scripta esse negant: at hæretici nulli servari possunt: hæc ergo credere, est ad salutem necessarium. Nobis certè omnino necessarium est credere, has esse Canonicas Scripturas, nec potest quisquam verè Catholicus esse, qui aut historias veteris Testamenti, aut hæc Evangelia, Canonica scripta esse negat. Sed objicit Bellarminus, Scripturas aliquando non fuisse editas, & tum multos sine hac fide servatos fuisse, ex quorum etiam numero fuerunt barbaræ illæ nationes, tempore novi Testamenti, de quibus Irenæus lib. 3. cap. 4. unde vult

concludere, quasdam saltem scripturas non esse simpliciter necessarias. *Respondeo:* Antequam hæ Scripturæ erant, non erat necessarium iis credere: sed nunc nobis, qui has habemus & novimus, necessarium est credere, esse Canonicas. Si Adversarius negat hoc ullis esse necessarium: aperté hæreticus est. Ergo hoc argumentum nihil valet. Nam in iis, quæ sunt ullis necessaria, Ecclesia non errat. Sic enim gubernatur á Spiritu sancto, ut non excidat. Nos non dicimus, omnes Scripturas omnibus temporibus necessarias fuisse, sed eas tantúm quæ editæ sunt, in iis temporibus, in quibus sunt editæ, & iis hominibus, quibus editæ sunt. Nos ergo jam tenemur omnibus fidem habere, & omnes veras esse credere, quibus omnes editæ sunt. Etsi ergo omnes Scripturæ non sunt perinde omnibus necessariæ: omnes tamen necessariæ sunt.

Sextum & ultimum Bellarmini argumentum, nititur patrum authoritate, & illorum praxi ac consuetudine; qui præscribunt, in omni controversia de fide, ad Ecclesiam provocandum esse, & ipsi etiam in quæstionibus fidei quibuscunque, ad Ecclesiam provocant; quod certé nullo modo facerent (inquit) si Ecclesiam falli posse existimarent. *Respondeo* 1. Argumentum non sequitur, Ad aliquem provocandum est; ergo ille non potest errare. Nam ad judicem provocatur in re dubia, cúm lis ipsa aliter decidi & dirimi non potest: non tamen ex eo sequitur, judicem errare non posse. Fieri enim potest, ut legem aut ignoret, aut non intelligat, vel ut falsam sententiam pronunciet muneribus corruptus. Idem de Ecclesia dici potest. Ad Ecclesiam enim provocatur & itur, non universam, sed ad quosdam tantum de Ecclesia, ut con-

ut controversiæ tollantur: non quód non errare potest Ecclesia, sed quód sic meliús & certiús ad veri cognitionem perveniamus, & id quod quærimus inveniamus. Ob hanc causam Ecclesiæ judicium quæritur. Cúm enim de aliqua re dubitatur, inquisitio adhibenda est, & quó plures sunt, qui inquirunt, eó melior inquisitio erit. Sed tamen fieri potest, ut interdum errent, aut omnes, aut plures, in iis quæ non magna & necessaria sunt. 2. *Respondeo:* Ecclesiæ judicium non feré rogari, nisi in necessariis, in quibus eam non errare nos concedimus, si vera fuerit Christi Ecclesia. Sed hoc non de Episcopis & prælatis tantúm intelligimus, nedum de Romano Pontifice; sed de iis omnibus, qui simplici animo ad Scripturas accedunt, easq; quærunt, & se illis submittunt. *Primo* loco opponit Tertullianum in lib. de præscript. adverſ. hæret. *Age* (inquit Tertullianus) *omnes Ecclesiæ erraverint, nullam respexerit Spiritus sanctus.* Ex quo loco concludere vult Adversarius, fieri non posse, ut omnes Ecclesiæ errent. *Respondeo* 1. Tertullianum loqui de iis Ecclesiis, quæ ab ipsis Apostolis primó institutæ erant. Hæretici objiciebant, has Ecclesias omnes erravisse, etiam vivis adhuc Apostolis; & proferebant exempla Galatarum & Corinthiorum, ut hinc probarent, nullam Ecclesiam tenuisse veram fidem. Quibus respondens Tertullianus, meminit reprehensionum Apostolicarum, ex quibus verisimile esse concludit, emendationem subsecutam esse. *Cúm correptas Ecclesias opponunt* (inquit,) *credant emendatas.* Et ait, quasdam Ecclesias esse ab Apostolis laudatas. Tum subjungit hæc verba ab Adversario citata, ut illum loqui de illis Apostolicis Ecclesiis facilé intelligamus, quibus Apostoli quidem ipsi veritatem tra-

diderunt. Nos non dicimus, has omnes Ecclesias, vivis Apostolis, erravisse: ergo hoc testimonium nos non attingit. 2. *Respondeo:* fuisse hanc de rebus necessariis contentionem, in quibus nos veras Ecclesias non errare dicimus, quia tum nõ sunt veræ Ecclesiæ. *Secundo* loco profert Augustinum in lib. 1. contra Cresc on. Grammat. cap. 33. ubi ait Augustinus: *Scripturarum á nobis tenetur veritas, cúm id facimus, quod universa jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas; ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Ex quo loco vult Bellarminus concludere, universalem Ecclesiam non posse errare. *Respondeo:* Augustinum loqui non de omni re simpliciter, sed de una illa quæstione, quam tunc in manibus habuit, nempe de non rebaptizandis iis, qui ab hæreticis erant baptizati: *Quamvis* (inquit) *hujus rei de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum: earundem tamen Scripturarum etiam in hac re á nobis tenetur veritas.* Non sequitur ergo ex hoc testimonio, in nulla re Ecclesiam errare posse. *Tertio* loco profert eundem Augustinum in Epist 118. ubi sic scribit: *Disputare contra id, quod universa Ecclesia sentit, insolentissima insaniæ est. Respondeo:* Augustinum in illo loco de rebus adiaphoris loqui, de quibus nos non improbandam esse communem Ecclesiæ consuetudinem concedimus; & eam improbare, insolens & insanum esse dicimus, cum Augustino. Sed priús sciendum est, quę vera Christi Ecclesia sit, ut ejus instituta teneamus. Interim nihil prohibet, quin errare in quibusdam Ecclesia possit.

Jam deinceps Bellarminus proximo loco vult probare,

bare, Ecclesiam repræsentativam, hoc est, omnes Episcopos & Pastores, non posse errare. Qua de re postea commodiús dicetur, cúm ad Controversiam de Conciliis ventum fuerit. Sed Adversarius hoc loco duo hac de re argumenta proponit, quæ nullo modo sunt omittenda. *Primum* ejus argumentum est hujusmodi. Si Episcopi & Pastores omnes errarent: tum tota Ecclesia erraret; quia tenentur populi sequi suos Pastores, dicẽte Domino Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* & Matth. 23. *Quæcunq; dixerint, facite. Respondeo:* Quomodo Ecclesia errare potest, & quomodo non potest, priús diximus. Non opus est, ut hîc denuó repetamus. Sed excutiamus hoc argumentum. Dico igitur *primó*, populum quidem teneri, suos Pastores sequi, non tamen simpliciter & per omnia, sed in iis tantúm, quæ recta & vera sunt. Unum Christum per omnia sequi tenemur: alios veró Pastores non aliter, nisi quatenus illum, Pastorum scilicet Principem, sequuntur. Ideo Matth. 23. 10. Christus ait, ὑμῶν ἐστιν ὁ καθηγητὴς, *unus vester Doctor est* in terris. *Secundó*, quód ex Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit*, & ex Matth. 23. 3. *Quæcunq; dixerint, facite*, probare vult, populum per omnia sequi debere Pastores: affirmo hos locos hoc non evincere. Hæc quidem duo testimonia mutuam sibi lucem afferunt. Nam ut Christus dixit, *Qui vos audit, me audit*: ita etiam idem dixit, *Quæcunq; dixerint, facite.* Prius illud de Apostolis, & illorum veris successoribus dicitur, quorum vera doctrina omnis fuit: posterius veró de Scribis & Pharisæis, quos falsa multa docuisse, & in multis erravisse, dubium non est, etiam ex confessione Adversariorum. Sunt ergo hi loci cum cautione quadam intelligendi, in hunc modum: *Qui vos audit*, scilicet vera

docentes, & recta præscribentes, *me audit*. Et eodem modo posterior etiam locus exponi debet. *Quæcunq; dixerint*, id est, quæcunque vera & recta dixerint, & quæcunque secundúm legem docuerint, ea *facite*. Ideoq; Apostolos jubet Christus Matth. 28. 20. non alia docere, quám quæ ipse mandavit. Ita quemadmodum populo lex audiendi, sic illis loquendi præscripta fuit. *Secundum* Bellarmini argumentum, quo hac in parte utitur, est ex paucis Patrum testimoniis ductum, quæ nullius sunt momenti. Quid enim si Patres Concilii Ephesini Nestorium coëgerunt jurare, se non aliter sentire, quám Episcopi Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ sentiebant? Non hoc fecerunt, quód illi nunquam errare possent, sed quód in hac re non errarunt. Et quid si Augustinus in lib. 1. de Baptism. cap. 18. generalis Concilii decretum, Ecclesiæ universæ consensum vocat? Fateor quidem id verum esse, si aliqui ab omnibus Ecclesiis, quæ in omni parte orbis sunt, ad illud Concilium missi fuerint. Sed non affirmat Augustinus, vel Concilium, vel Ecclesiam non posse errare: imó contrarium alibi statuit, ut postea patebit, cúm ad nostra argumenta ventum fuerit. Sed hac de re in Controversia de Conciliis plura nobis dicenda sunt. Atque de illis argumentis, quæ apud Bellarminum extant, hactenus.

Jam veró Jesuitæ Rhemenses in annotationibus suis in 1. Tim. 3. 15. in hæc verba, *Ecclesia est domus Dei, columna ac firmamentum veritatis*, multa argumenta congerunt & accumulant, ex quibus singulis concludunt, satis confidenter, sed parum accuraté & veré, Ecclesiam non posse errare. *Primó* sic disputant: Ecclesia habet Spiritum Dei, qui ducit eam in omnem veritatem, & cum ea manet ad finem seculi, Joh. 14.

Johan.14.16.17. ergo non potest errare. *Respondeo:* Si hoc verum sit, & si illud ex hoc loco concludi potest, quod ipsi volunt: ex eo sequetur, nullos fideles errare posse, quia omnes fideles habent Spiritum sanctum, qui manet cum iis in æternum, & eos in omnem veritatem ducit. *Nisi enim Spiritum Christi habeamus*, ut inquit Apostolus, *non sumus ejus*, Rom. 8.9. Promissio hæc ad singulos fideles pertinet. Qui enim servãtur, non errant quodam modo, quia in viam salutis á Spiritu sancto ducuntur: interim tamẽ multa nescire possunt. *Secundó* sic argumentãtur, Ecclesia in petra ædificatur, & contra eam ne portæ quidem inferorum possunt prævalere: ergo Ecclesia non potest errare. *Respondeo* 1. non sequi, inferorum portas in Ecclesiam κατισχύειν, si forte in una aut altera re leviori erret. 2. Dico, Christum hoc in loco non intelligere aliquam visibilem in terris Ecclesiam, sed Ecclesiam electorum, etiam singulos electos. *Tertium* illorum argumentum est hujusmodi. Christus est in Ecclesia, & cum Ecclesia, ad finem usq; mundi: ergo non potest errare. *Respondeo:* hoc nequaquam sequi. Nam Christus cum singulis fidelibus est, & eos nunquam deserit: & tamen singuli fideles errare possunt. Christus cum duobus aut tribus est, in ejus nomine congregatis, juxta illud quod habetur Matth. 18. 20. *Ubi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego sum in medio illorum*; & tamen duo aut tres in nomine Christi congregati errare possunt. *Quartum* Rhemensium argumentum sic se habet. Ecclesia habet Apostolos, Doctores, Pastores, & Rectores, ad consummationem totius corporis, ne aures falsis magistris patefaciat, & ne quovis vento falsæ doctrinæ circumferatur: ergo Ecclesia non potest errare. *Re-*

ſpondeo: hoc verum eſſe de ſingulis particularibus Chriſti Eccleſiis; quas tamen errare poſſe ipſi Adverſarii concedunt. *Quintum* illorum argumentum hoc eſt. Chriſtus precatus eſt pro Eccleſia ſua, ut in veritate ſanctificetur: ergo Eccleſia nõ poteſt errare. *Reſpondeo*: Chriſtũ pro piis & electis, & iis quidẽ ſingulis, precatum eſſe, non ut nulla in re errarent, ſed ut in neceſſariis non errarent. Nam Johan. 17. 20. teſtatur Chriſtus ipſe diſertis verbis, ſe non pro Apoſtolis tantúm precatum eſſe, ſed pro omnibus qui illorum miniſterio in eum crediturí erant. *Sextum* Rhemenſium argumentum in hunc modum inſtituitur. Chriſtus precatus eſt, ne fides ſummi Rectoris Eccleſiæ deficeret: ergo Eccleſia non poteſt errare. *Reſpondeo*: Eccleſiam nullum agnoſcere ſummum Rectorem, niſi Chriſtum. Illa veró oratio, de qua Chriſtus, *Rogavi pro te Petre, ne fides tua deficeret*, ad Petrum quidem pertinebat, ad Papas veró nullo modo. *Septimum* Rhemenſium argumentũ tale eſt. Eccleſia eſt Chriſti domus, ſponſa, corpus, ſors, regnũ, hęreditas: ergo non poteſt errare. *Reſpondeo*: hæc omnia de Eccleſia electorum intelligi, quam nos in rebus ad ſalutem neceſſariis non errare fatemur. Sed Adverſarii hæc omnia de viſibili Eccleſia intelligunt, de qua veré & proprié affirmari non poſſunt. *Octavum* illorum argumentum in hunc modum ſe habet. Chriſtus amat, fovet, & nutrit Eccleſiãm, ut carnem ſuam, nec poteſt illa ab eo ſeparari: ergo non poteſt errare. *Reſpondeo*: Chriſtum etiam pium quemq; amare, ſed non propterea ſequitur, pium quemq; eſſe ab errore immunem. Nec ſi erret Eccleſia, á Chriſto continuó ſeparatur, quia quivis error non ſeparat á Chriſto. *Nonum* argumentum ſic colligunt Rhemenſes. Teſtamen-

stamentum novum, Scripturæ, Sacramenta, non possunt mutari, quæ sunt perpetua Ecclesiæ dos, nec uspiam nisi in Catholica Ecclesia rectè usurpantur: ergo Ecclesia non potest errare. *Respondeo:* me non videre hujus consequentiæ vinculum aliquod. Sed fateor hæc omnia in se certa esse, nec posse mutari, quia á Deo profecta sunt: dico tamen, ab hominibus falsó & indigné usurpari posse. Ergo quanquam in se ista non mutantur: tamen qui his utuntur, possunt errare. quid ni? Præterea nos fatemur, Ecclesiã non errare in iis rebus, in quibus sine exitio errari non potest. Sed non omnes errores, ne circa ista quidem, sunt lethales & insanabiles, quemadmodum nec omnes morbi. Postea Rhemenses causam explicare volunt, cur Ecclesia errare non possit. Si quis quærat (inquiunt) quomodo possit ulla societas hominum expers errorũ esse, circa fidem & religionem, cum omnes possint errare; sciat hoc non naturâ fieri (veré hoc quidẽ ab illis dictũ est:) sed privilegio præsentiæ Christi, Spiritus S. auxilio, Christi promissione & prece. *Respondeo:* hæc omnia non minús ad pios singulos, quám ad Ecclesiam pertinere. Nec possunt Adversarii, testimonium aliquod proferre, ex quo probent, ideo non errare Ecclesiam, quia Christus & Spiritus ejus semper Ecclesiæ adsunt. Omnia quidem Ecclesiæ á Christo revelantur, quæ necessaria sunt ad salutem, ita ut non possit in iis errare. Non sequitur autem, Ecclesiam non esse, aut Christum & Spiritum sanctum ei non adesse, si in quibusdam rebus nõ necessariis erret. Hæc sunt omnia Rhemensium argumenta hoc in loco. Sed præter istam hoc in loco argumentorum congeriem, aliis quibusdam Scripturæ testimoniis, in suis annotationibus abutũtur.

Objiciunt enim illud, quod habetur Joh. 14.17. Ubi ex eo quód Spiritus ſanctus Apoſtolis promittitur, & idem Spiritus veritatis vocatur, colligunt, Eccleſiam non poſſe errare. *Reſpondeo:* promiſſionem hanc ad ſingulos fideles pertinere. Qui enim ſervantur, non errant in re aliqua neceſſaria: quia Spiritus ſanctus eos in viam ſalutis ducit. Interim tamen multa neſcire poſſunt. Objiciunt etiam Joh. 16.13. *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* *Reſpondeo:* Id eſt, omnem veritatem neceſſariam. Non enim omnes perinde omnia ſciunt. Objiciunt præterea Joh. 17.17. *Sanctifica eos in veritate tua, ſermo tuus veritas.* *Reſpondeo:* Omnes pii hoc modo ſanctificantur: & tamen nullus pius eſt, qui non errat. Deniq; objiciunt Epheſ. 5. 29. Chriſtus nutrit & fovet Eccleſiam: ergo Eccleſia non poteſt errare. *Reſpondeo:* De hoc argumento antea aliquid reſponſum eſt. Nunc tamen denuó reſpondeo. Apoſtolus hoc in loco electos intelligit: ſed hæc non eſt Eccleſia, quam Adverſarii contendunt non errare. Apoſtolus loquitur de iis, qui ſunt membra corporis Chriſti, ut ex verſu ſequente patet: at ii ſunt ſinguli fideles, quos errare poſſe Adverſarii concedunt. Et de Adverſariorum argumentis hactenus.

CAPUT TERTIUM.

In quo noſtra argumenta proponuntur.

NUnc ad noſtra argumenta veniamus, quæ ut meliús intelligantur, ſtatus Quæſtionis nobis eſt in memoriam revocandus. Eſt igitur hujus Quæſtionis ſtatus, quemadmodum priús á nobis dictum eſt, Eccleſias particulares poſſe in errores etiam graviſſimos incidere: Catholicam veró Chriſti Eccleſiam, & ſingulos fideles, in rebus neceſſariis errare

non

non posse, in rebus veró non necessariis, posse. Non enim omnes errores, aut omnia falsa, Ecclesiam continuó evertunt. Nunc argumenta ipsa proponamus.

Primum nostrum argumentum est hujusmodi. Quorum scientia minimé perfecta est, ii possunt errare: at omnium hominum, qui Ecclesiam constituunt, scientia imperfecta est: ergo Ecclesia errare potest. Major propositio non eget aliquâ confirmatione; quia omnibus notum est, errorem esse scientiæ contrarium, omnisq; erroris matrem ignorantiam esse. Qui enim sciunt, in iis non errant, quæ sciunt; sed in iis quæ ignorant. Minor etiam patet, quia nemo scientiâ perfectâ præditus est, non Episcopi, aut Prælati, non populus, ne Apostoli quidem ipsi, ut patet 1. Cor. 13. 9. Ubi Paulus de se, & reliquis, non fidelibus tantúm, verumetiam Doctoribus ait, *Ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus.* Quis sibi plus audet arrogare, quám Apostolus? Quód veró ille in docendo aut scribendo nunquam erravit: id singulari quodam & extraordinario privilegio factum est, quod nullis nisi illis primis Ecclesiæ Magistris & Doctoribus concessum est. Prophetæ & Apostoli illud privilegium sibi á Deo concessum habuerunt, ut quicquid scriberent, aut dicerent, in publicum Ecclesiæ usum, verum esset: qui postea secuti sunt Pastores & Doctores universi, ea sequi & tenere jussi sunt, quæ illi scripserunt; aliter facilis illis futura esset in errorem prolapsio. Propheta David Psal. 25. 7. ait: *Ignorantiarum mearum ne memineris Domine.* Intelligit veró hujusmodi ignorantias, quas removeri cupiebat. Quód si tantus Propheta multa ignoravit: quis ille est, qui audeat dicere se omnia scire? Ignorari veró multa á nobis, patet etiam ex Heb. 5. 2. ubi Apostolus

ait, *omnem Pontificem ex hominibus assumtum fuisse, & pro hominibus constitutum, in iis quæ apud Deum agenda sunt, ut posset μετριοπαθεῖν τοῖς ἀγνοοῦσι καὶ πλανωμένοις, condolere ignorantibus, & errantibus*: omnes ergo homines ignorantiâ & errore laborant, etiam Pontifices & Episcopi. Subjungit enim Apostolus, *ἐπεὶ καὶ αὐτὸς περίκειται ἀσθένειαν, quód & ipse circumdatus sit infirmitate.* Et Paulus Rom. 3. 4. ait, *Omnis homo mendax.* Ecclesia veró est hominum. Quid quód ipsi Philosophi hoc verum esse concesserunt, quorum unus dixit, *Plura ignoramus, quám scimus?* Et vulgare illud est, *Maxima pars eorum quæ scimus, est minima pars eorum quæ ignoramus.* Quod cúm ita clarum sit, ut negari non possit: hinc prosyllogismum talem possumus colligere. Si singuli homines errare possunt, tum & Ecclesia, quæ ex singulis constat: at primum verum: ergo & secundum. Majoris consequentia clara & firma est. Nam quid est Ecclesia, nisi cœtus singulorum, id est, Pastorum, & aliorum? at hi singuli possunt errare: ergo totus ille cœtus, qui est Ecclesia, errare potest; adeó ut si omnes, qui in mundo sunt, in unum locum congregarentur, argumentum tamen sequeretur. *Respondent* Adversarii, non esse similem rationem singulorum hominum, & universæ Ecclesiæ; quia nulla talis promissio facta est singulis hominibus, ne errent, qualis universæ Ecclesiæ facta est. *Respondeo:* Proferant ergo aliquam talem promissionem factam universæ Ecclesiæ, quæ non est facta singulis fidelibus. At nullam proferre possunt. Nam promissio Spiritus sancti sit singulis fidelibus; qua tamen non obstante, possunt illi in quibusdam errare, ut Adversarii fatentur. Hinc tertium syllogismum instituo. Errare possunt ii, quibus non promisit Deus, fore ut

non

non errarent: at Ecclesiæ hoc non promisit; quia nullus locus ex Scripturis proferri potest, in quo talis sit Ecclesiæ promissio: ergo Ecclesia errare potest. Tum si Ecclesiæ promissum esse dixerint, non errare: hoc etiam de singulis particularibus Ecclesiis intelligi dicimus. Quæ enim illi proferunt hac de re testimonia, ea singulis particularibus Ecclesiis æqué conveniũt, ac Ecclesiæ universali. Nam ista testimonia, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus*, &, *Ecclesia est columna ac firmamentum veritatis*, &, *Qui vos audit, me audit*, & si quæ sunt hujusmodi, de Ecclesiis particularibus intelligenda sunt. At illi fatentur, ecclesias particulares posse errare. Unde nascitur quartus syllogismus. Si particulares Ecclesię singulæ & omnes errare possunt, de quibus Christus Matth. 18. *Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus*, & de quibus Paulus 1. Tim. 3. 15. *Ecclesia est columna ac firmamentum veritatis*, & si Doctores etiam singuli possunt errare, de quibus tamen Christus Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*: tum & universalis Ecclesia errare potest: at verũ primum: ergo & secundum. Majoris consequentia firmissima est. Nam universalis Ecclesia, ut volunt Adversarii, est aggregata ex singularibus & particularibus Ecclesiis; & quod singulis membris convenit, id toti etiam conveniat necesse est. Præterea nihil est universali Ecclesiæ promissum, quòd non similiter singulis particularibus Ecclesiis promittitur. Minorem Adversarii concedunt, singulas particulares Ecclesias posse errare. Unde conclusio sua sponte sequitur, & quidem invictâ necessitate, Ecclesiam etiam universalem errare posse. Et de hoc primo nostro argumento hæc dixisse sufficiat.

Secundum noſtrum argumentum ſequitur, quod in hunc modum inſtituo. Si Eccleſia errare non poteſt, tum hoc ideo fit, quód error cum Eccleſiæ natura ſimul conſiſtere non poteſt, ſed Eccleſiam continuó deſtruit: at hoc ſecundum falſum eſt: ergo & primum. Conſequentia majoris clara eſt, & manifeſta. Nullam enim aliam cauſam poſſunt Adverſarii oſtendere, cur Eccleſia non poſſit errare, niſi hanc, quód error Eccleſiæ naturam tollat ac deſtruat. Minorem etiam veram eſſe ſic docco. Si quivis error Eccleſiam tollit & deſtruit, tum quævis Eccleſiæ particulares errantes in re aliqua, non ſunt ampliús Eccleſiæ Chriſti, ſed deſinunt continuó Eccleſiæ eſſe: At hoc falſum eſt, etiam ex Adverſariorum confeſſione. Nam illi concedunt, particulares Eccleſias poſſe errare. Ex quo ſequitur, errorem non ita cum Eccleſiæ natura pugnare, ut eam tollat. Quód ſi error Eccleſiam particularem non deſtruit, tum nec univerſalem. Non enim magis pugnat cum natura Eccleſiæ univerſalis, quám particularis. Sic igitur hoc argumentum concludo. Quod tollit univerſalem Eccleſiam, id tollit etiam Eccleſias particulares, & econtra: at error non tollit particulares Eccleſias: ergo nec univerſalem, & per conſequens error ſimul cum Eccleſia univerſali conſtare poteſt.

Tertium noſtrum argumentum eſt hujusmodi. Inter Eccleſiam militantem, & triumphantem, hoc intereſt, quód hæc á peccato & errore liberatur, illa veró non. Liberatur (inquam) hæc non tantúm aberrore, ſed & á peccato: ergo antea utroque laborabat, & peccato ſcilicet, & errore. Eccleſia ergo militans non peccare tantúm, verumetiam errare poteſt. Peccare poſſe fatentur Adverſarii, non autem errare,

errare, quod eſt abſurdum. Nam in quamcunq; naturam cadit peccatum, in eandem etiam error cadit; cúm illud ſit in voluntate, hic in intellectu: & quæcunque natura eſt immunis ab errore, eadem etiam á peccato immunis eſt; & citiús quidem á peccato, quám ab errore. Nam Angeli etiam ipſi, qui perfectioris naturæ ſunt, quám homines, non peccant illi quidem, ſed errori affiniores ſunt, quám peccato, quia multa ignorant. Ergo eccleſiam ab errore liberare, quod faciunt Adverſarii, eſt plus illi dare, quám in eccleſiæ natúram cadit, quamque eccleſiæ natura patitur. Peccat veró eccleſia, orat enim quotidie, *Remitte nobis debita noſtra*: Quidni ergo erret etiam? imó ſi peccat, multó magis errat, quia peccatum errore gravius eſt. Qui veró ei obnoxius eſt, quod eſt gravius, eum illi, quod eſt minús grave, obnoxium eſſe neceſſe eſt. Et de hoc argumento iſta ſufficiant.

Quartum noſtrum argumentum in hunc modum inſtituitur. Si omnes eccleſiarum Paſtores & Epiſcopi errare poſſunt, tum tota eccleſia poteſt errare: at primum verum eſt: ergo & ſecundum. Conſequentiam majoris non erit nobis neceſſe probare; nam Adverſarii concedunt. Probant enim, eccleſias hoc vel illud ſenſiſſe, quia harum eccleſiarum epiſcopi ſic ſenſerunt, & dicunt populum ſequi debere Paſtores, & præterea per eccleſiam in hac cauſa Paſtores intelligunt. Minor veró patet, quia non poſſunt proferre aliquem Paſtorem, qui non erraverit, præter unum illum ἀμάρτητον, Jeſum Chriſtum. De Prophetis & Apoſtolis nos antea reſpondimus. In ſcriptis Doctorum ſunt errores, quemadmodum ex ſingulis probari poteſt. Hîc autem Adverſarii duplici reſponſione, vel evadendi ratione, utuntur. *Primó* ajunt, Docto-

res & Paſtores eccleſiæ, ſeparatos quidem errare poſſe, atque etiam erraviſſe: ſed conjunctos in Concilio non errare. *Reſpondeo* 1: Hoc nobis ſufficit; ſi ſeparati errare poſſunt. Nam non ſemper ſunt in Concilio conjuncti. Quando ergo ſparſi & ſeparati ſunt, & domum redierunt á Concilio, & ſinguli ad eccleſias ſuas ſe contulerunt: tum ſinguli poſſunt errare, atq; ita eccleſias ſuas, quæ cum illis ſentire debent, & illorum præſcripta ſequi, in errorem ſecum trahere & inducere: ergo aliquando errare poteſt Eccleſia. Nõ ergo ſequitur, quia Paſtores non errant, cúm in Cõcilio congregãtur: ergo eccleſiam nunquam errare; quia Paſtores non ſemper in Concilio congregantur. Si Concilia perpetuó haberentur, aliqua eſſet hæc illorum reſponſio. Interim veró quid dicent de illis Eccleſiis, in quibus nulla Concilia celebrantur? Illæ procul dubio errare poſſunt. *Secundó* reſpondent Adverſarii, etſi alii Paſtores errare poſſunt: Romanum tamen Pontificem non poſſe errare, nec erraviſſe unquam. *Reſpondeo:* Inſulſum. Nam Romani etiam Pontifices, non minús quám alii Epiſcopi, errârunt. In illorum libris & homiliis, non minús quám in aliorum Epiſcoporum ſcriptis, errores inveniri poſſunt. Non multi ex illis ſcripſerunt, ſed tamen aliqui. Leonis, Gregorii, Innocentii tertii, opera extant, in quibus omnibus errores ſunt. Præterea certum eſt, & Adverſarii negare non poſſunt, aliquos ex illis fuiſſe hæreticos. Tum illi procul dubio hæreſin docuerunt. Unum exemplum proferam ex multis. Innocentius primus, qui pauló ante Auguſtinum vixit, ſtatuit, Euchariſtiam, non minus quám Baptiſmum, infantibus eſſe neceſſariam, ut patet ex Auguſtino in multis locis. Vide Auguſtin. lib. 1. contra Julian. Pe-

an. Pelagian. cap. 2. & lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 4. & alibi. Duplex hîc error fuit. Nam nec Baptismus est simpliciter ad salutem necessarius, nec Eucharistia. Et alter quidem horum errorum damnatus fuit in Concilio Tridentino session. 5. sub Pio quarto, canon. 4. Ex Beato Rhenano in annotationibus suis in Tertulliani librum de corona militis, constat, hunc duplicem errorem diu in Ecclesia hæsisse, & permansisse. Nati verò sunt hi duo errores, ex mala & perversa interpretatione duorum locorum Scripturæ, quorum alter habetur Joan. 6. 53. *Amen amen dico vobis, nisi comederitis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habetis vitam in vobis*: alter verò Joan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hinc manifestũ est, etiam Romanum Pontificem, & ecclesiam Romanam erravisse. Sed de Episcopis Romanis, & Ecclesia Romana, postea dicendum erit. Atque hactenus de hoc argumento.

Quintum nostrum argumentum in hunc modum propono: Ecclesia potest non rectè Scripturas interpretari: ergo errare potest. Consequentia patet, quia ex mala Scripturæ interpretatione, & ex Scripturis non rectè intellectis, error nascitur. Posse verò Ecclesiam non rectè Scripturas interpretari, manifestum est; quia multa sunt Scripturæ loca obscura, difficilia & δυσερμήνευτα, multa etiam mystica & Prophetica, de quibus incertam tantúm ECCLESIA interpretationem proponat, necesse est, quæ potest esse falsa. Adversarii ipsi de Scripturarum obscuritate multa scribunt. Et sunt sanè quædam loca, de quibus nihil certi statui potest: ergo in horum locorum interpretatione

Ecclesia falli potest. Sed *respondent* Adversarii, Ecclesiam quidem posse Scripturas nonnullas non intelligere, atque ita non posse certam illorum locorum interpretationem proponere; sed tamen nō ideo errare, quia non certam singulorum locorum interpretationem proponit. *Respondeo*: Ecclesiam Scripturæ interpretem dici, non quód quasdam tantúm Scripturas interpretetur, sed quód omnes. Non debet ergo partem tantúm Scripturæ interpretari, sed totam Scripturam: nec loca faciliora tantúm, sed obscuriora etiam. Et quidem in necessariis non fallitur; nam hæc quæ tam obscura sunt, necessaria non sunt. Sed *respondent* adhuc aliter Adversarii, Ecclesiā regiá Spiritu sancto, ac proinde ne in obscuris quidem locis interpretandis errare posse; quia Spiritus sanctus eam in interpretatione horum locorum ab omni errore tuebitur. Sed quæro, utrúm per media, an sine mediis, doceat Spiritus sanctus Ecclesiam istos locos interpretari? Si sine mediis dixerint, hoc ἐνθουσιασικὸν est, & Anabaptisticum, & extraordinarium. Spiritus enim nunc per media tantúm docet, nec debemus nos jam novas inspirationes seu revelationes expectare. Si per media; tum qualia illa media sunt, talem ipsam interpretationem esse necesse est: at media interpretandi loca obscura, sunt incerta, dubia, & ambigua: ergo fieri non potest, quin & ipsa etiam interpretatio incerta sit: si incerta, tum esse potest & falsa, & per consequens, in Scripturæ interpretatione falli & errare potest Ecclesia. Sed adhuc *respondent*, Ecclesiam quosdam Scripturæ locos non interpretari omnino, nec interpretari velle, ac proinde in illis non errare. *Respondeo* 1. At debet Ecclesia conari, ut omnes locos interpretetur, cúm nullus

lus locus sit, qui non sit Dei verbum. 2. Patres omnia Scripturæ loca interpretati sunt; quod illi procul dubio non feciſſent, si hoc non fuisset Ecclesiæ munus, omnes Scripturæ locos interpretari. Sed Patres multa loca varié interpretati sunt, ac proinde falsó. Nam una tantúm vera cujusque loci interpretatio est. Jam veró, cúm constet, Ecclesiam per Patres omnia Scripturæ loca interpretatam esse; & illi in interpretatione quorundam locorum erraverint: sequitur ecclesiam errare posse.

Sextum noſtrum argumentum est hujusmodi. Ecclesia potest errare in Sanctorum Canonizatione (quam sibi authoritatem Ecclesia Romana vendicat & sumit) & aliis etiam errandi occasionem præbere potest: ergo falsum est, quod illi dicunt, Ecclesiam non posse errare; verum, quod nos dicimus, errare posse. Antecedens sic probatur. Quæ res tota conjecturis nititur, & pendet ex incertis & obscuris hominum testimoniis, in ea re facilé erratur: at hujusmodi est Canonizatio Sanctorum: ergo hac in re facilé Ecclesia errare potest. Major patet. Minorem hujus syllogismi probo ex eo, quód Ecclesia, quando Sanctos canonizat, hoc institutum sequitur. Primó aliquos examinat, qui possunt de illorum, qui canonizandi sunt, virtutibus testari, & quærit illorum judicia, & fidem adhibet illorum testimoniis, & tum canonizat. Et sané dubium non est, multos esse dæmonas, quos illi pro sanctis & divis colunt. Sic Augustinus alicubi scribit: *Multorum corpora in terra honorantur, quorum animæ in gehenna torquentur.* Et quis quæso putet, Thomam illum Cantuariensem, hominem rebellem, Sanctum esse, & alios præterea multos, quos illi canonizârunt? Prȩterea quomodo pos-

sunt illi de aliorum salute certi esse, qui de sua perpetuó dubitant? Nam certior & notior est cuique fides, virtus & salus sua, quám aliorum. Adversarii ne de sua quidem salute certi sunt; ergo multó minús de aliorum salute certi aliquid statuere possunt. Præterea quomodo illi sciunt non esse eos in purgatorio, quos pro Sanctis canonizant? Si in purgatorio fuerint; tum illi certé falluntur, qui eos in cœlo statuũt. Sed hoc argumentum non persequemur ulteriús.

Septimum nostrum argumentum sumitur ab exemplis Ecclesiarum. Et primó quidem de Synagoga Judæorum loquemur, quæ ante Christi tempora, vera Dei Ecclesia fuit, ut Adversarii etiam ipsi existimant, & defendunt. Nam Christi Ecclesiam non cœpisse dicunt, ante ascensionem, vel saltem non ante passionem Christi. At illam Synagogam in multis errâsse constat, & de fide, & de moribus. Nam *primó*, Regnum Messiæ terrenum fore credidit. *Secundó*, de Elia erravit, ut constat Matth. 17. 10. Credidit enim, ipsum Eliam Thesbitem venturum esse, ut nunc Papistæ, & omnia restauraturum. *Præterea*, Christus Apostolos jubet cavere á fermento Pharisæorum & Scribarum: ergo conspersa fuit illorum doctrina multis erroribus. *Quartó*, illa Ecclesia Christũ, Christique doctrinam damnavit: ergo in rebus fidei, & iis quidem longé maximis erravit. In moribus etiam turpissimé lapsa est. Nam Legem Dei moralem, Decalogo comprehensam, corrupit, & pessimé interpretata est; nisi qui hominem occidisset, nõ esse homicidii reum; nec adulterii, nisi qui fœminam constuprasset; amicum amandum, inimicum veró odio habendum; & alia hujusmodi, ut patet ex Matth. 5. Ad ista omnia Adversarii nihil respondent. Sed malunt

lunt fortasse nos de Christianorum Ecclesia loqui. Parebimus illis. Primó igitur dicimus, Apostolos erravisse, cúm in aliis rebus, tum de morte & resurrectione Christi; ut mittam illum communem Gentis illius errorem, de terreno & externo Messiæ Regno. At hi tum erant Ecclesia. Ergo constat, veram ecclesiam etiam in rebus necessariis ad tempus errare posse. Cúm Christus mortem & resurrectionem suam prædixit, Evangelista ait, Apostolos nihil horum intellexisse, Luc. 18. 34. Præterea Joan. 20. legimus, duos summos Apostolos, Petrum scilicet & Joannem, postquam Christus resurrexerat, ad sepulchrum accurrisse; & rationem annectit Evangelista, *quód adhuc non noverant Scripturas, oportuisse Christum á mortuis resurgere.* Sed forsan Apostolos nondum fuisse ecclesiã dicent (quod tamen ab illis veré dici non potest:) ac proinde tunc errare potuisse; at post Christi resurrectionem non errâsse. Age igitur, videamus num etiam post Christi resurrectionem non errârunt? Quid? nónne errabant Act. 1. 6. quando Christo dixerunt, *Num hoc tempore restitues Regnum Israëli?* Sed forsan dicent, Christum nondum ascendisse, & Spiritum sanctum nondũ Apostolis datũ fuisse. Quid? an postea nõ errarũt? Imó post Christi ascensionẽ, & illum Spiritus sancti in Apostolos descensũ, ecclesiã totam errâsse constat de vocatione Gentiũ, nõ vulg^{s} tantũ Christianorũ, sed ipsos etiã Apostolos ac Doctores. Monitus est Petrus Act. 10. 20. ut iret ad Corneliũ, μηδὲν διακρινόμενος, *nihil ambigẽs*: ergo antea ambigebat. Et Act. 11. 2. & 4. coactus est Petrus hujus facti rationẽ reddere ecclesię Hierosolymitanę, in cuj^{s} respõsione Ecclesia tũc veré psuasa, v. 18. acquievit. Et v. 19. ejusd. c. legim^{s}, eos qui dispsi sũt ex oppressione

orta propter Stephanum, regionibus multis peragratis, nullis Evangelium prædicâsse, *εἰ μὴ μόνον Ἰουδαίοις, nisi tantúm Judæis.* Unde communem hunc errorem fuisse constat. Edocti veró meliús póstea, aliter senserunt. Sed forsan dicent adhuc, Petrum Ecclesię caput non errâsse. Imó ille etiam erravit (quod antea ex parte probatum est) de legis ceremonialis abrogatione. Non enim intellexit, illam fuisse abrogatam, cúm cibos adhuc aliquos etiam post Christi mortem & ascensionem, immundos esse crederet, Act. 10. 14. Hæc erat res fidei: & in hac erravit Petrus: ergo multó magis errare potest Pontifex Romanus. Præterea in moribus etiam erravit, & ejus errorem Paulus non deprehendit modó, verumetiam acerrimé reprehendit Gal. 2. 14. *quód non recto pede incederet, quemadmodum Evangelii veritati congruebat.* Hi magni errores erant, & hos tamen in Apostolis fuisse videmus, etiam postquam Spiritus sanctus in illos descéderat. Unde quám inepti sint Adversarii, intelligamus, qui ex perpetua Spiritus sancti cum Ecclesia præsentia, omnem ex eadem errorem sublatum esse contendunt. Non habet Ecclesia ulla Spiritum sanctum luculentiús & uberiús, quám habuerunt Apostoli, & Ecclesia illorum temporum: & tamen illa Ecclesia erravit, quia Scripturas non satis intellexit: ergo quidni & Ecclesia Romana errare potest? Sed forsã aliarũ Ecclesiarũ exempla requirũt. Morem illis geremus. Ergo subsequentes etiam ecclesias á fide defeciisse, & erraviisse docebimus. Quod ad Galatarũ Ecclesiam attinet, erraviisse illam constat ex Galat. 1. 6. & 3. 1. Ecclesia veró Corinthiaca multas corruptelas habuit de Cœna Domini, & erravit etiam de resurrectione, & aliis rebus nonnullis. Pergamensis

etiam

etiam Ecclesia erravit, ut patet Apoc. 2. 14. 15. Sic Ecclesia Thyatirensis, ut patet vers. 20. ejusd. cap. Et hæc ex Scripturis. Jam veró historiæ testantur, Ecclesiam etiam subsequẽtem, passim toto terrarum orbe propagatam, erravisse maximé. Cúm enim Arianismus totum orbem pervasisset, sic ut vix quinque Orthodoxi Episcopi essent, iique exules, cumq; *totus mundus ingemisceret, & se subitó factum esse Arianum miraretur*, ut loquitur Hieronymus in dialog. cont. Luciferian. & cúm *omnes pené toto orbe Ecclesiæ, sub nomine pacis & Regis, Arianorum consortio polluerentur*, ut ait idem Hieronymus *in Chronico* ad annum 364. quis tum Ecclesias erravisse negaverit; præsertim cúm Adversarii dicant, populum esse Pastoribus similem, & debere Pastoribus in omnibus obtemperare? Sic igitur disputo: Ecclesiæ ἀρειανίζουσαι errant: at omnes Ecclesiæ Arianismum tunc amplexæ sunt, ut nos suprá docuimus; ergo omnes errârunt. Sed forsan dicent: Ecclesiam Romanam ab illo errore liberam & immunem fuisse. Imó & illa tum erravit. Scribit enim Athanasius in lib. ad solitariam vitam agentes, quemadmodum nos antea commemoravimus, Liberium Episcopum Romanum subscripsisse Arianismo: ergo Romana etiam Ecclesia eâdem hæresi aspersa fuit: nam cum Pastore Ecclesia etiam procul dubio subscripsit. Constantinopolitanam Ecclesiam nunc errare Adversarii concedunt. Schismaticam enim esse, & apostatâsse clamant. Sed quæro an non fuerit aliquando vera & Orthodoxa Ecclesia? Negari non potest. Fuerunt enim ibi Nectarius, Chrysostomus, Nazianzenus, pii & docti Episcopi. Ergo vera Ecclesia potest cadere in errorem. Nam illa vera Ecclesia fuit: at cecidit: vera igitur Ecclesia cadere potest.

Quod & de multis aliis Ecclesiis veré dici potest, & maximé de Romana, quæ turpissimé omnium cecidit, & gravissimé erravit. Denique Vincentius Lirinensis ait, *non tantúm portiunculam aliquam Ecclesiæ: sed totam etiam Ecclesiam, novellâ aliquâ contagione maculari*: hoc est, errore infici posse, in 4. cap. libelli sui. Atque hîc hujus argumenti finis erit.

Octavum nostrum argumentum de Ecclesia repræsentativa instituitur, quam illi omnium maximé ab errore liberam esse affirmant. Sed probo, etiam Pastores omnes errare posse. Isai. 56. 10. 11. hæc verba habentur: *Speculatores ejus cæci omnes, nescièrunt universi, canes muti sunt, non volentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia, & canes avidissimi nescièrunt saturitatem, ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt, unusquisq; ad avaritiam suam, á summo usq; ad novissimum.* Sic Jerem. 8. 8. *Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, & Lex Domini nobiscum est? Veré mendacium operatus est stylus mendax Scribarum, confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt, verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla in eis est.* Sed illi forsan malunt de generalibus Conciliis me verba facere. Faciam ergo quod cupiunt. Gregorius Nazianzenus in Epist. ad Procopium, quæ est Epistola 42, ait, se *omnes Episcoporum conventus fugisse, quód nullius Concilii bonum & felicem exitum únquam vidisset.* Sed forsan respondebunt, eum non de Conciliis legitimis loqui. Imó dè legitimis. Quis enim non probet Nicænum primum Concilium, & Constantinopolitanum primum, quæ ante illius tempora habita sunt? At post illa tamẽ, multó pejus cum Ecclesia actum est, quám priús. Possem hîc innumera Arianorum Concilia proferre, sed illa dicent non fuisse legitima. Proferã

ergo

ergo unum ex illis Conciliis, quæ ipsi negare non possunt legitima fuisse, nempe Chalcedonense: atq; hoc Concilium, vel illorum judicio & confessione errâsse docebo, hac ratione. Si illud Concilium, Episcopum Constantinopolitanum Romano Pontifici exæquavit, tum erravit: at verum primum, nam in aliis rebus omnibus exæquavit, præterquam in hac; quód cúm ambo ad Concilium convenirent, Romanus Pontifex primum locum & sedem occuparet, omnia alia authoritatis, honoris, dignitatis, privilegia, æqualiter illis concessit, & æqualia illis esse voluit: verum ergo est secundum, nempe Concilium hoc erravisse. Acta res hæc est in hoc Concilio acerrimé, tandem lata sententia est, cap. 28. Ubi decretum alterius generalis Concilii, nempe Constantinopolitani primi, renovatur, (quod etiam Concilium á Papistis probatur) nempe ut Episcopus Constantinopolitanus τὰ ἴσα πρεσβεῖα τῆς πρώης, *æqualia honoris privilegia* habeat cũ Episcopo Romano, & ut nova Roma, hoc est, Constãtinopolis, ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασι, *in Ecclesiasticis, sicut illa, majestatem habeat, negotiis.* Sed hîc disputo ex Adversariorum sententia. Non enim existimo ego, hæc Concilia hac in re errâsse, sed Adversarii existimant. Jam venio ad Concilia recentiora. Atq; hîc profero Concilium Constantiense, ubi in sess. 4. & 5. decretum est, Concilium esse supra Papam, etsi Pontifex ipse vehementer resistebat. Hunc errorẽ esse affirmant Adversarii: ergo Pastores in Concilio cõgregati, qui Ecclesiam Catholicam repræsentãt, errare possunt. Sed quid multis opus est? Augustini hac de re manifesta sententia est, in lib. 2. de Baptism. contra Donatist. cap. 3. Concilia, etiam plenaria, errare posse.

Cúm enim preſſus eſſet authoritate Concilii Africani, cui Cyprianus interfuit: provocat á Conciliis ad Scripturas, & Scripturis omnia ſubjicit. De Scripturis ait non licere dubitare, de aliis omnibus licere. Sic enim ſcribit: *Quis neſciat ſanctam Scripturam Canonicam, tam veteris quám novi Teſtamenti, certis ſuis terminis contineri, eamq; omnibus poſterioribus Epiſcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & diſceptari non poſſit, utrum verum, vel utrum rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit: Epiſcoporum autem literas, quæ poſt confirmatum canonem vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur, reprehēdi licere, & per ſermonem forte ſapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum graviorem authoritatem, doctioriumq; prudentiam, & per Concilia, ſi quid in eis forte á veritate deviatum eſt?* Et ſubjungit præterea, provincialia Concilia poſſe emendari per plenaria, & plenaria priora per poſteriora. Verba ejus hæc ſunt: *Quis neſciat* (inquit) *ipſa Concilia quæ per ſingulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedere, ipſaq; plenaria ſæpe priora á poſterioribus emendari, cúm aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat, ſine ullo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine ulla inflata cervice arrogantiæ, ſine ulla contentione livida invidiæ, cum ſancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Chriſtiana.* Hæc Auguſtinus. Et loquitur de rebus fidei, non de facto, ſed de jure. Nam Concilium illud Africanum, cui Cyprianus interfuit, & quo Donatiſtæ Auguſtinum premebant, in re fidei erravit. Sed de hac re erit nobis copioſiús alio loco dicendū. Hîc pauca hæc dixiſſe ſufficiat. Poſtremó addo, Papiſtas ipſos affirmare, veram fidem in nullo homine remanſiſſe, prę̄terquam in Maria, Chriſto patiente.

Sic

Sic Alexander Halensis in 3. part. quæst. ult. artic. 2. Sic Joannes de Turre cremata in lib. 1. de Ecclesia, cap. 30. & in lib. 3. cap. 61. Et de hac Quæstione plura non addemus.

Finis Quæstionis quartæ.

QUÆSTIO QUINTA.

Quæ sint notæ veræ Ecclesiæ.

CAPUT PRIMUM.

In quo proponuntur illæ Ecclesiæ notæ, quas Adversarii nostri statuunt.

VErba CHRISTI, quæ in primo nostro hujus Controversiæ ingressu, explicanda suscepimus, & in quibus futuræ nostræ disputationis fundamentum posuimus, habentur Matth. 16. 18. ubi sic Petrum Christus alloquitur: Κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. *Sed & ego tibi dico, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non superabunt eam.* Quid ecclesia sit, & ex quo hominum genere sit constituta; num sit visibilis, an invisibilis; præterea quemadmodum splendorem suum amittere, & ad paucitatem redigi, & erroribus nonnullis implicari possit: expositum á nobis fuit. Nam his de rebus quatuor á nobis Quæstiones tractatæ sunt. Nunc igitur ad quintam Quæstionem progredimur, quæ est de ecclesiæ notis instituenda,

ut quis hominum cœtus pro Christi vera Ecclesia haberi debeat, & ex quibus signis ac notis vera Christi visibilis in terris Ecclesia agnosci possit, intelligamus. Nam hac de re non convenit inter nos & Adversarios. Atque hæc quidem Quæstio est in primis necessaria: quandoquidem Antichristi, & hæreticorum ecclesiæ, á nobis fugiendæ ac deserendæ sunt, & Christi vera Ecclesia, ubicunque tandem locorum sit, quærenda, ut in ea vivamus, eorumque bonorum participes simus, quæ nobis in legitimo veræ Ecclesiæ ministerio communicantur; quæ tot tantaque sunt, ut aliis omnibus rebus anteponi debeant. Quis enim non malit inter Christianos, quám inter Ethnicos & Paganos versari, & in vera Christi ecclesia, quám in Satanæ Synagoga, & in hæreticorum conventibus vivere? Omnes quidem hoc cupiunt, & ad Ecclesiam certé omnes accederent, si eã ex suis propriisque notis agnoscerent. Sed quia nesciunt, quæ sint notæ, quibus Ecclesia agnoscenda sit: non possunt veram Ecclesiam ab adulterina dijudicare. Cúm ergo Papistæ alias ecclesiæ notas statuant, quám nos statuimus, & multa admodum hac de re contra nos scribant: Quæstionem hanc diligenter á nobis tractari oportet. In hac veró Quæstione tractanda, hũc ordinẽ observabo. *Primó*, proponam ecclesiæ notas, quas Adversarii statuunt, & illas non esse veras notas ostendam. *Secundó*, notas illas, quas nostri statuunt, explicabo, & illas esse veras demonstrabo. Stapletonus lib. 1. de princip. doctrin. cap. 19. ejusmodi ecclesiæ notas assignandas esse affirmat, quæ illam non solúm á Paganis & Judæis, sed ab omnibus etiam hæreticorum & schismaticorum adulterinis Ecclesiis distinguant; q̃ nos libenter fatemur atq; cõcedimus, &

ita

ita omnino fieri oportere dicimus. Já ergo utrũ ab illis, an á nobis, hujusmodi notæ ſtatuãtur, videamus. Ipſe ergo Stapletonus quas facit eccleſiæ notas? In procœmio libri quarti ait, eſſe tres veræ eccleſiæ proprietates ſeu notas, quibus á falſa omnium hæreticorum & ſchiſmaticorum eccleſia diſcerni debeat, ſcilicet multitudinem, viſibilitatem, perpetuitatẽ. Atq; hinc poſſe confici ait veram eccleſiæ definitionem, quâ tanquam finibus & limitibus quibusdam diſcerni poſſit, ab aliis ejusdem generis affinibus. Ubi illud velim obſervari, eas demum eſſe, ex Stapletoni judicio, veras & perpetuas Eccleſiæ notas, quæ Eccleſiæ definitionem conſtituunt. Quod quidem veriſſimé abillo dictum eſt. Non enim accidẽtales, non vagas, non leves, non incertas Eccleſiæ notas quærimus; ſed eſſentiales, & perpetuas, quæ in ipſa re inhærent, quæque eccleſiæ definitionem ingrediantur. Unde cõſtabit poſtea, noſtras eſſe notas veriores, quia noſtræ αὐταὶ ſunt, & Eccleſiæ definitionem conſtituunt: illorum verò falſas & adulterinas eſſe notas; quia eripi aliquando poſſunt, & tolli, & in Eccleſia non inveniri; ac proinde Eccleſiæ definitionem non ingrediuntur. Jeſuitæ Poſnanienſes ſeptem conſtituũt eccleſiæ notas; quæ ſunt, claritas, diffuſio ſive amplitudo, antiquitas, Apoſtolicæ eccleſiæ appellatio, Paſtorum ordinatio & vocatio legitima, ſanctitas, unitas. In his omnibus veritas non invenitur, non numeratur, non locum aliquem habet. Horantius, qui contra Calvini Inſtitutionem ſcripſit, lib. 6. cap. 6. unam duntaxat Eccleſię notam certiſſimam facit, cõtinuatã ſcilicet Sacerdotũ & Prælatorũ, præcipuè Romanorum, ſucceſſionem. Sotus contra VVirtembergenſes in capite de eccleſia, unitatem & concordiam,

præcipuam Eccleſiæ notam facit. Lindanus in Panoplia lib. 4. cap. 83. ait, Romanum Pontificem, & cathedram Romanam, eſſe indubitatam Eccleſiæ notam. Catechiſmus Synodi Tridentini, in illum Symboli articulum, *Credo Eccleſiam Catholicam*, duas eccleſiæ notas facit; quarum altera eſt, quód Catholica ſit & dicatur; altera, quód Apoſtolica. Hoſius Cardinalis in Confeſſ. Petrocovienſ. ca. 21. in explicatione Symboli, quatuor notas proponit, quarum *prima* eſt, quód ſancta ſit; *ſecunda*, quód Catholica; *tertia*, ꝙ una; *quarta*, ꝙ Apoſtolica. Caniſius in ſuo Catechiſmo in tractat. de præceptis eccleſiæ, cap. 9. hanc unicam notam inſtar omnium facit, ſubeſſe ſcilicet Romano Pontifici. Sixtus Senenſis in lib. 6. Bibliothecæ ſuæ annotat. 104. Vincentii Lirinenſis notas laudat; quæ tres ſunt, Eccleſiaſticæ traditionis univerſitas, antiquitas, conſenſio. Sãderus lib. 8. de viſib. monarch. cap. 50. ſex notas proponit; quarum *prima* eſt, altitudo & ſublimitas; *ſecunda*, ſplendor & claritas; *tertia*, latitudo & immenſitas; *quarta*, ſucceſſio & perpetuitas; *quinta*, conſenſio & unitas; *ſexta*, invicta fides, & conſtantia. Cunerus Papiſta in lib. de notis Eccleſiæ, duodecim Eccleſiæ notas facit, quas non eſt neceſſe commemorare. Adverſarii nobis hac in re inconſtantiam & opinionum varietatem objiciunt, quód in tradendis Eccleſiæ notis non conſentiamus, ſed alii ex nobis plures, alii pauciores ſtatuant. At ex his quæ dicta ſunt conſtat, non tantam eſſe inter nos, quanta eſt inter illos, varietatem. Bellarmin' lib. 4. cap. 3. notas Eccleſiæ affert numero quindecim, ut reliquos omnes ſaltem multitudine vincat, quas tamen fatetur poſſe aliquo modo ad illas quatuor revocari, quæ communiter aſſignantur ex Symbo-

Symbolo Conſtantinopolitano, *Una, ſancta, Catholica, Apoſtolica.* Has quindecim notas, totidem capitibus ad finem libri pertractat. Socolovius veró in libello de notis Eccleſiæ, habet notas viginti. Hic ergo Bellarminum numero vincit. Noſtrum nunc eſt, has quindecim Bellarmini notas examinare, & ſi veræ ac germanæ ſint, agnoſcere: ſin minus, reſpuere. De his ergo ſingulis ordine dicemus.

CAPUT SECUNDUM.

In quo prima Bellarmini nota examinatur, & refellitur.

PRima Eccleſiæ nota, á Bellarmino propoſita, eſt ipſum nomen Eccleſiæ Catholicæ, & Chriſtianorum. Adverſariorum (inquit) alii Martiniſtæ vel Lutherani, alii Zuingliani, alii Calviniſtæ dicuntur: nos autem (ait) ab aliquo certo homine nemo unquam vocavit: ergo conſtat, noſtram ſolúm eſſe veram Eccleſiam. Utuntur hoc argumento Alanus, Briſtous, & alii Papiſtæ; quod quidem eſt valde infirmum. Concludit enim á nomine ad rem, in hunc modum: Illorum Eccleſia vocatur Catholica: ergo eſt Catholica. Illi vocantur Catholici: ergo ſunt Catholici. Argumentum eſt negandum. Nam vocari & eſſe non ſunt idem: res certæ ſunt, nomina veró rerum incerta & voluntaria. Sed quas afferat rationes ſeu probationes Bellarminus, videamus.

Scripturæ unum tantúm teſtimonium proponit, ex 1. Cor. 3. 4. Qui locus indicat, Schiſmaticos Pauli tempore, nomina ab hominibus ſumſiſſe, & hominum nominibus appellatos fuiſſe, alios Pauli, alios Cephæ, alios Apollo: unde colligi vult Bellarminus, Schiſmaticos illos eſſe, qui hominum nominibus vocantur, illos autem veré Catholicos eſſe, qui ex

Chriſto tantúm nomen habent, & alterius nullius nomine vocantur. *Reſpondeo* 1. Argumentum non ſequitur: Schiſmatici hominum ſibi nomina aſſumũt: ergo qui nullo niſi communi Chriſtianorũ & Catholicorum nomine vocantur, ii non ſunt ſchiſmatici. Eſt manifeſta fallacia conſequentis. 2. Dico, multos ſchiſmaticos & hæreticos fuiſſe, qui á nullo homine nomen ſumſerunt. Tales enim ſunt omnes hęreſium & ſchiſmatum authores, qui quanquam maximé hęretici & ſchiſmatici ſunt: tamen ab áliis nullis nomen ſumſerunt, ſed alii ab illis. Niſi forte Arius, Donatus, Neſtorius, Macedonius, & alii hujusmodi, hæretici non fuerint. 3. *Reſpondeo:* Ipſos etiam Papiſtas, qui Catholici eſſe, & dici volunt, nomina ab hominibus ſumſiſſe; ut tota familia Franciſcanorum á Franciſco, Dominicanorum á Dominico, Benedictinorum á Benedicto, & reliqui pené omnes Monachorum ordines, ab aliquo homine nomen ſuum habent. Ergo ſi hoc argumentum valeat, tum Papiſtæ etiam ipſi hæretici, aut ſaltem ſchiſmatici ſunt. Nullum aliud ex Scripturis teſtimonium affert. Nunc ſequuntur multa Patrum teſtimonia, quæ nihil certé ad rem faciunt.

Primum teſtimonium eſt Auguſtini, in lib. contra epiſt. Fundamenti cap. 4. ubi ſic ſcribit Auguſtinus: *Cúm omnes hæretici ſe Catholicos dici velint: quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* Unde hoc vult efficere Bellarminus, eos eſſe Catholicos, qui Catholici vocantur. *Reſpondeo* 1. Auguſtinus quidem videtur aliquid nomini tribuere, ſed non tantum, quantum Papiſtæ. Nam Bellarminus hoc facit primam Eccleſiæ notam. At Auguſtinus poſtremo

ſtremo loco numerat. Cúm enim multa alia majoris momenti commemoraſſet, quæ illum in Eccleſia Catholica retinerent, tandem ait: *Tenet poſtremó & ipſum Catholicæ nomen, quód non ſine cauſa* (inquit) *inter tam multas hæreſes, iſta ſola Eccleſia hoc nomen obtinuit.* Sic nos dicimus, ſi illa Eccleſia, quæ nunc vocatur Catholica, haberet illa omnia, quæ priús ab Auguſtino commemorantur: multum nos nomen ipſum moveret. Sed nomen ſine re quantum valeat, docet Auguſtinus in eodem capite, ubi ait; ſi Manichæi poſſent monſtrare veritatem, quam jactare & polliceri ſolebant, ſe velle hæc omnia abjicere, & ad illos transire. Ubi nomen Eccleſiæ Catholicæ ſine veritate nihil valere oſtendit. 2. *Reſpondeo:* ex eodem loco conſtare, multos hæreticos hoc nomẽ ſibi vendicaſſe & ſumſiſſe. Sic enim ait Auguſtinus: *Omnes hæretici ſe Catholicos dici volunt.* Cúm ergo hæretici poſſint tam ſe Catholicos vocare, quám Catholici ipſi: infirmum hoc argumentum eſt, á nudo Eccleſiæ Catholicæ nomine ductum. 3. *Reſpondeo:* Auguſtinum hujusmodi hypotheſin facere. Si eſſet in una aliqua civitate Eccleſia Catholicorum, & alia Eccleſia Manichæorum, alia Arianorum, alia Donatiſtarum; & veniret peregrinus aliquis, atque incideret in aliquem hæreticum, ab eoque quæreret, ubi Catholici convenirent: non ſuam domum, aut Baſilicam demonſtraret, inquit Auguſtinus, ſed locum illum, in quem convenire ſolent Catholici. Sed quid hoc ad rem? Nam ſi hæretici crederent eſſe Catholicam, quia vocãt Catholicam, ipſi ſuas domos & Baſilicas deſererẽt. Sic & nunc in una civitate poteſt eſſe Eccleſia reformata, & Papiſtica, & Anabaptiſtica, & Ariana. Si quis jam á Proteſtante quæreret, ubi eſſet

Ecclesia Catholica, ostenderet Templum Catholicorum: & tamen nihil minus crederet, quám illos esse Catholicos. Sic etiam, si quis á Papista quæreret, ubinam esset Ecclesia reformata, non suam, sed nostram Ecclesiam ostenderet: & tamen non crederet, nostram Ecclesiam esse re vera reformatam. 4. *Respondeo:* Augustinum videri de egregiis quibusdam hæreticis loqui, quales erant Manichæi, qui apertissimé resistebant veritati Catholicæ, & consultó ipsum Ecclesiæ Catholicæ nomen oppugnabant. Sed nos ad nostram Ecclesiam pertinere illud nomen contendimus, nec aliâ de causa Papistas Catholicos vocamus, nisi ob externam quandam distinctionem; nam res ipsa ab iis longissimé abest. Itaque si ad nos Papista veniat, & ex animo quærat Ecclesiam Catholicam: nos ei audacter nostram Ecclesiam ostendemus.

Secundum Jesuitæ testimonium, est ex Cyrillo Hierosolymitano in cap. 18. Catecheseos suæ, ubi sic scribit Cyrillus: *Si iveris in aliquam urbem, non petas, ubi sit Ecclesia, vel domus Dei; nam etiam hæretici dicunt se habere domum Dei, & Ecclesiam: sed petas, ubi sit Catholica Ecclesia; id enim nomen proprium est hujus sanctæ Ecclesiæ, matris omnium nostrum.* Quasi dicat (inquit Bellarminus) si hoc petas, nullus hæreticus suam Ecclesiam ostendet. *Respondeo:* Quando erant hæreses ubique tam multæ, & Ecclesia erat re & nomine Catholica, meritó Cyrillus suos admonet, ut ubique ad Catholicam Ecclesiam sese adjungerent, ne in hæreticorum κατάλαια inciderent. Sed hoc non probat, solum nomen sufficere ad demonstrandã Ecclesiam Catholicam: Nam ratio præcipua, cur ad illam singulos se voluit adjungere, hæc fuit, quód illa veram fidem

doce-

docebat. Sic enim Cyrillus ibidem ait, Ecclesiam vocari καθολικὴν, διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελλιπῶς ἅπαντα εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα. *Quia docet Catholicè & perfectè omnia dogmata, quæcunq; homines tenentur cognoscere.* Loquitur ergo Cyrillus de re cum nomine conjuncta. Sic nos fatemur, quærendam esse Ecclesiam Catholicam, hæreticos verò fugiendos esse. Quòd si variæ sint Ecclesiæ, quæ Catholicæ vocantur; tum quærendam esse dicimus Ecclesiam illam, quæ & re & nomine Catholica est, hoc est, quæ Catholicè & verè docet omnia religionis dogmata, quæcunq; ab homine Christiano disci & teneri debent. Quid enim si illi hæretici sint, qui Catholici appellantur: num ob solum nomen nos ad illos recipiemus? Nequaquam. Cyrilli tempore, quæ Catholica dicebatur Ecclesia, ea revera Catholica erat. Talis si nunc esset Romana Ecclesia, nos eam libenter & ex animo amplecteremur, eique nosmetipsos sine mora adjungeremus.

Tertium testimonium est Paciani in Epistola ad Sympronianum, quæ est de nomine Catholico. *Certè* (inquit) *non est ab homine mutuatum, quod per sæcula tanta non cecidit. Catholicum istud, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit authores.* *Respondeo:* Verum hoc quidem est. Nomen Catholici præclarum & divinum est, si tamen cum re fuerit conjunctum: aliàs larva est, & nullius planè momenti. Et hæreticis non convenit, ut Marcioni, Apelli, Montano, vel aliis hujusmodi: sed iis tantùm, qui in vera fide persistunt. Tamen nõ ait Pacianus, omnes esse vera fide præditos, qui hoc nomine utuntur. Sed aliud præterea ejusdem Paciani testimonium á Bellarmino profertur, quod hujusmodi est: *Christianus*

mihi nomen est, Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit. Respondeo: Catholici nomen oppositum est schismaticis & hæreticis, & ab illis olim Ecclesia hoc nomine distincta est. Olim erant ubiq; hæretici infiniti, qui suis sectarum nominibus appellabantur, & bonos Christianos illi quoq; Catholicos nominabant, non quód sic esse crederẽt, sed propter distinctionem; ut hodie Ariani nos, qui Trinitatem colimus & adoramus, Catholicos vocant, sed non ex animo. Pacianus ergo ait, se esse nomine Christianũ, cognomine Catholicum, id est, distingui hoc cognomine ab aliis, qui se vocabant Christianos. Sed in nomine solo nullam vim posuit. Non enim per Catholicum nomen, nudum titulum, sed ipsam verã Catholicam Ecclesiam intelligit, quam comparat arbori, á qua hæretici tanquam rami præciduntur, sed ipsa tamen arbor stat. Papistæ sic Catholici sunt, ut rami præcisi possunt Catholici dici, quia ab arbore Catholica præcisi sunt. At illi veré Catholici sunt, qui Catholicam fidem tuẽtur. Tales si Papistas esse cognosceremus, illos pro veré Catholicis haberemus.

Quartum testimonium est Justini Martyris in dialogo cum Tryphone, qui ait, hæreticos distinctos esse cognominibus, quæ á suis Authoribus acceperunt. Verba ejus hæc sunt: *Et sunt distincti cognominibus, denominati á quibusdam viris, ut quisq; fuit author alicujus novæ doctrinæ. Ex iis alii vocantur Marcionistæ, alii Valẽtiniani, alii Basilidiani, alii Saturniniani, alii alio vocabulo, quisq; á primo inventore sui dogmatis. Respondeo:* hoc nihil ad rem esse. Nam etsi hæreticis illis, quos commemorat Justinus, recta apposita sunt nomina ab Authoribus suis, quia singuli, privati alicujus hominis dogma secuti sunt: non tamen ita se res habet in nobis,

bis, quia nos nullum hujusmodi nomen habemus, nisi malitiosé ab Adversariis impositum. Non enim nos ita Lutherani dicimur, ut isti Marcionitæ, Valentiniani, Basilidiani, Saturniniani: sed hoc nomen nobis Adversarii per malitiam tantúm & invidiam affinxerunt.

Sequuntur alia testimonia, sed nihil ad rem. Hoc enim tantúm evincunt, hæreticos nominibus hæresiarcharum appellari. Sed illi probent, Lutherum aliquam hæresin proposuisse, aut docuisse, eamq; heresin á nobis defensam esse: & tum nos fatebimur, Lutheranorum nomen justissimé nobis ab illis tributum esse. Isti Patres, quos hîc Bellarminus affert, multa congerunt in eam sententiam, quam diximus. *Quintum* igitur testimonium est Irenæi, in lib. 1. cap. 20. qui ait: *Simonianos á Simone, impiissima sententia principe, dictos esse. Respondeo,* ut supra: meritó sic dictos esse, quia privatam Simonis sentētiam & dogma secuti sunt. *Sextum* est Lactantii lib. 4. cap. 30. qui sic scribit: *Cum Marcionitæ, aut Ariani, nominantur, Christiani esse desierunt; qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt. Respondeo:* nihil dici potuisse verius. Sed hoc in Adversarios meliús, quám in nos convenit. Nam illi variis nominibus appellantur, & distinguuntur, ut Christi nomen quodammodo apud illos amissum esse videatur. Nos nullum nomen vendicamus, nisi Christi; non Lutheri, non Calvini, non hominis cujusquam nomen. *Septimum* est Athanasii in sermone 2. contra Arianos, qui ait, populum nomen accipere, non ab Episcopis suis, sed á Domino; nec ab Apostolis nos, sed á Christo nuncupari: sed qui aliunde suam fidem traxerunt, meritó á suis Authoribus nominari. *Respondeo,* ut priús. Hæc certé

omnia contra Adversarios potiús faciunt, quám contra nos. *Octavum* est Chrysostomi in homil. 33. in Acta Apostolorum, ubi in hunc modum scribit: *Illi habent quosdam, á quibus appellantur. Prout enim hæresiarchæ nomen: ita & secta vocatur. Nobis autem nullus vir nomen dedit, sed fides ipsa. Respondeo:* Hæretici quidem magistrorum nomina præ se ferunt, & illa nomina libenter agnoscunt. Sed non ideo omnes sunt hæretici, quibus hominum nomina per malitiam affinguntur. Nos nec Lutherani, nec Calviniſtæ sumus, sed Christiani. Sic illi quidem nos vocant, ut hæreticos videri faciant. At nos ista nomina non agnoscimus, nec iisdem delectamur, sed á fide sola Christiana (ut loquitur Chrysostomus) Christiani dicimur. Adversarii quidem multa nomina ab hominibus accipiunt, cumque nos eadem illis tribuimus, libenter agnoscunt, & sibi honorifica esse putant. Illos ergo multó magis attingit hoc testimonium, quám nos. *Nonum* testimonium est Hieronymi in dialogo contra Luciferianos feré in fine. Ubi hæc verba habet: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christiani, non á Domino Jesu Christo, sed á quoquo alio nuncupari, ut Marcionitas, Valentinianos: scitote non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam. Respondeo:* Si hæc vera sententia sit: Romanã Ecclesiam esse Antichristi ipsissimam Synagogam, sequitur. Nam inter eos, omnes, qui religionis studio laudantur, ab aliis nuncupantur. Domini Christi nomen, plebeiis ut vile relinquitur. Nos non modó ipsi, á quoquam homine nominari nolumus: sed illorum tam multas nuncupationes humanas, dicimus esse impias. Ergo hoc etiam testimonium ipsos Papistas maximé attingit. Augustinus, Bernardus, Benedictus, Clara, Brigitta, certi homines

mines fuerunt: ab his Papistæ nominantur, & nomina accipiunt. Se enim horum nominibus inscribunt. Nostrûm nemo se unquam Lutheranum, Calvinistam, Zuinglianum, vocavit, imó se semper hæc nomina repudiare, multi é nostris palám indicârunt. Atq; de Bellarmini argumentis, quæ pro hac prima nota affert, hactenus.

NUNC sequitur, ut contra hanc notam paucis disputemus, & argumenta nostra breviter proponamus. Quid enim longa disputatione opus est, in hac nota refellenda, quæ tam frivola & inepta est? *Primum* nostrum argumentum sic instituo. Multa nomina rebus falsó sunt imposita: ergo nomen Catholicæ Ecclesiæ, non est certa nota veræ Christi Ecclesiæ. Unde apparet, non sequi hoc Adversariorum argumentum: Vocamur Catholici, ergo sumus Catholici. Consequentiæ ratio patet. Nam si ficta & falsa sint nomina aliquando: ex nomine certé nihil probari potest, nec quicquam certé valet argumentum ab illo ductum. Jam veró antecedens manifestum quoq; est. Nomina enim non semper ex certo judicio, sed feré ex communi more seu consuetudine, & ex vulgi opinione imponuntur. Itaque á nomine ad rem non possumus veré & rectè argumentari. Res quidem ea nomina retinent, quibus vulgó appellantur: vulgus autem non est optimus rerum æstimator. Olim templum in monte Garizim, vocabatur verum Dei templum, & ex Joh. 4. 20. constat, antiquã fuisse hanc appellationem. Dixit enim fœmina Samaritana Christo, *Patres nostri in hoc monte adoraverunt.* Sic Christum vulgó impostorem & Galilæum appellatum legimus, & Christianos Galilæos. Sic summi Pontifices Judæorum post Christum, multis annis

nomen ſine re retinebant, quemadmodum nunc Papiſtæ Catholici dicuntur, ut patet ex Act. 23. 3. Et Apoſtolus ait, 1. Cor. 8. 5. multos in cœlo & in terra deos nominari, cúm tamen unus tantúm ſit Deus. Et Apoc. 2. 9. & 3. 9. blasphemia quorundam perſtringitur, qui ſe Judęos eſſe dicebant, & non erant, ſed Synagoga Satanæ. Sic nos Adverſariis dicimus, dici illos Catholicos, non eſſe tamẽ. Apoc. 3. 1. de Eccleſia Sardicenſi legimus, quód diceretur, & videretur vivere, cúm mortua eſſet. Et v. 17. ejusd. cap. legimus Laodicenſes dixiſſe, ſe divites eſſe, & nullius rei egẽtes, cúm tamẽ eſſent ærumnoſi, pauperes, cęci, & nudi. Mahometes ſe Prophetam vocavit, & ſic nunc paſſim apud ſuos habetur: non fuit tamen. Simon Magus vocabatur *μεγάλη θεοῦ δύναμις, magna Dei potentia*: non fuit tamen, Act. 8. 10. Diana Epheſiorum, magnum numẽ vocabatur, & habebatur: erat tamen revera idolum, Act. 19. 27. Multos pſeudochriſtos venturos eſſe prænunciat ſervator noſter Matth. 24. 5. quorum ſe quisque pro Chriſto venditaret. Apoſtolus Paulus prædicit fore, ut Antichriſtus ſeſe efferret ſuper omne, quod dicitur Deus, & quod colitur, 2. Theſſ. 2. 4. Et idem Apoſtolus 2. Tim. 3. 5. ait, fore in extremis diebus multos, qui habebunt quidem *μόρφωσιν* pietatis, ſed ejus *δύναμιν* abnegabunt. Ex his conſtat, multa eſſe nomina paſſim ſine judicio & ratione rebus impoſita. Bernard. in ſerm. 33. in Cantic. de ſtatu Eccleſiæ, & hominum moribus ſua ætate, ſic ſcribit: *Omnes amici, & omnes inimici, omnes neceſſarii, & omnes adverſarii, omnes domeſtici, nulli pacifici, omnes proximi, & omnes qui quæ ſua ſunt quærunt, miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto, honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt.* Hęc Bernardus, quæ perinde ſunt, ac ſi di-

si diceret; omnes nominantur Catholici, sed non sunt, imó potiús hostes sunt fidei Catholicæ. Deniq; si hoc verum esset, quod Bellarminus tuetur, tum nullum esset nomen rei alicui falsó impositum, & sic ab omni nomine verum argumentum duci posset. Sed Philosophus docuit, multa ὁμωνύμως prædicari, & inter prædicationes æquivocas, & univocas, multum interesse, & á nomine æquivoco nullum duci posse argumentum, nisi tantúm sophisticum. Et de hoc primo argumento hactenus.

Venio nunc ad *secundum* nostrum argumentum, quod hujusmodi est. Quæ sunt veræ Ecclesiæ notæ, ea simul cum Ecclesia inceperunt: at hoc Ecclesiæ Catholicæ nomen non simul incepit cum Ecclesia: ergo non est vera Ecclesiæ nota. De majore puto non posse quenquam dubitare. Quærimus enim non notas accidentales, sed essentiales, ejusmodi scilicet, quæ semper sunt in Ecclesia, & quibus positis ponitur Ecclesia, quibusq; sublatis Ecclesia tollitur. Oportet ergo simul esse cũ Ecclesia, & esse inseparabiles. Quod ad minorem attinet, facilé probari potest. Fuit enim tempus, quando hoc nomen Ecclesiæ incognitum erat, & tamen fuit tum Ecclesia. Judæorum antiqua Ecclesia ante Christum nunquam dicta fuit Catholica, & Christianorum etiam Ecclesiam aliquando non fuisse dictam Catholicam constat. Pacianus in Epist. 1. ad Sympronian. ait, sub Apostolis neminem vocatum fuisse Catholicum. Unde obiter observare possumus, Symbolum quod vocatur Apostolicum, in quo Catholicæ Ecclesię mentio fit, non ab Apostolis ipsis fuisse editum, sed ab aliis postea ex illorum scriptis fuisse collectum. Nos verò Ecclesiæ notas quærimus, non quæ nu-

per natæ ſunt, ſed quæ inſitæ penitus ſunt in natura Eccleſiæ, adeó ut cúm primúm fuerit Eccleſia, has notas, & hæc τεκμήρια ac πάθη ἀχώριστα habuerit.

Tertium noſtrum argumentum eſt hujusmodi. Catholicus olim non definiebatur ex ſolo nomine: ergo nomen Catholici non ſufficit ad Catholicum conſtituendum, & per conſequens non eſt nota veræ Eccleſiæ; quia vera & Catholica Eccleſia eſt, quæ ex Catholicis conſtat. Ratio patet, quia nomen Catholici ſufficeret ad declarandum Catholicum; ſi ſolum nomen Catholicum demonſtraret. At ex nomine fit fallax, non vera, & ἀποδεικτικὴ rei demonſtratio. Quis philoſophum ex nomine, ex barba, ex loco, ex vultu, ex toga, aut ex cultu & habitu externo definiat, & non potiús ex certa diſciplina, & profeſſione? Similiter, ſi quis interrogaret, Quis ſit Catholicus: non ſatis ſanus eſſet, ſi quis ſic reſponderet, Qui vocatur Catholicus. Eſſet enim hæc inepta & identica prædicatio. Res non poteſt ex nomine definiri. Num quisquam unquam Catholicum ſic definivit, Catholicus eſt, qui ſic vulgó vocatur? Nequaquam. Sed videamus, quis ſit Catholicus, & quæ ſit ejus vera & germana definitio. Pacianus in Epiſt. 1. ad Sympronianum ait, Catholicum dici, qui ſervat univerſa Dei mandata. Verba ejus hæc ſunt: *Catholicus ubique unum, vel (ut doctiores putant) obedientia omnium nuncupatur, mandatorum ſcilicet Dei.* Et in hunc finem citat 2. Corinth. 2. 9. & Rom. 5. 19. Poſtea ſubjungit: *Ergo qui Catholicus eſt, idem juſti eſt obediens; & qui obediens, idem eſt Chriſtianus: atq; ita Catholicus, Chriſtianus eſt.* Et Vincentius Lirinenſis in libello ſuo adverſus profan. nov. cap. 25. ſic ſcribit: *Ille eſt verus & germanus Catholicus,* (quis quæſo? num qui ſic vocatur? non,

non, ſed) *qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit, qui divinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cujuspiam authoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philoſophiam.* Intelligimus jam quis ſit Catholicus, nempe non omnis qui ſic vocatur, ſed qui veritatem, religionem, & fidem Catholicam tenet. Si ergo ſic Catholicus definitur, nomen ſine his nihil valebit. Quód igitur Papiſtæ vocantur Catholici; hoc ſine re ipſa nihil valet. Rectè Salvianus in lib. 4. de providentia, ſive de gubernatione Dei: *Nomen ſine actu atq; officio ſuo nihil eſt.*

Quartum noſtrum argumentum ſic ſe habet. Si quenquam vocari catholicum, ſit eum eſſe catholicum; tum Ariani & Donatiſtæ olim Catholici erant, & Græci hodie ſunt catholici: at ſecundum negabunt Adverſarii: ergo & primum negare debent. De majoris conſequentia hîc tantúm dubitari poteſt. Illam igitur ſic confirmamus. Ariani olim ſe catholicos vocabant, alios verò ὁμουσιανὸς, & Athanaſianos, quemadmodũ Tertullianus paſſim vocat Orthodoxos Pſychicos: ergo ſi, qui vocantur catholici, iidem ſint catholici, tum Ariani catholici erant. Sic Donatiſtæ ſe potiús catholicos appellari debere contendebant, quám adverſarios ſuos, & nomen illud ſibi potiús quám illis convenire affirmabant; quemadmodum patet apud Auguſtinum in collatione tertii die cum Donatiſtis; quibus æquiſſimum reſponſum datum eſt á judice, ut quantó magis ſe catholicos eſſe dicerent, tantó magis cauſam ſuam agerent, ut eo modo probare poſſent ſe eſſe catholicos. Sic nos ab Adverſariis noſtris petimus, ut quemadmodum ſe catholicos appellant, ita ſe eſſe

revera Catholicos nobis probent & demonstrent. Non enim illi statim catholici sunt, qui se catholicos appellant. Vocant se Catholicos Adversarii. Sic olim Donatistæ. Sed probent magis se esse catholicos, ut judex olim Donatistis rectè dixit. Augustinus, & reliqui verè catholici, qui cum Donatistis rem habebant, non ideo catholici erant, quód catholici vocarentur. Sed causam illi suam probabant, & parati semper erant, ut fidem suam Catholicam esse demonstrarent. Ita nos cũ Adversariis nostris agimus. Probamus, nostram fidem esse Catholicam. Illi similiter faciant, & nos iis assentiemur, eosque Catholicos esse fatebimur. Præterea Græca Ecclesia nunc passim vocatur catholica, quam tamen schismaticam esse Ecclesia Romana affirmat. Ergo nihil est inanius hoc argumento. Sed respondebũt fortasse, Græcos á seipsis tantúm vocari Catholicos, & sic olim Arianos, & Donatistas, non autem passim ab aliis sic vocari: se verò vulgó & passim vocari Catholicos, non á seipsis tantúm. *Respondeo:* In hoc eos convenire cum Arianis, Donatistis, & Græcis, & illis simillimos esse. A nullis enim illi Catholici vocantur, præterquam á seipsis. Ita hoc est illorũ argumentum. Ipsi se vocant Catholicos: ergo Catholici sunt. Nam nos illos non aliter vocamus Catholicos, quám illi nos Reformatos, & Evangelicos, hoc est, ἐπ' ὀνόματι tantúm, & non ex animo.

Quintum & postremum nostrum argumentum in hunc modum instituimus. Ut illi nos Lutheranos, Zuinglianos, & Calvinistas vocant, sic nos illos vocamus Papistas: ergo si nos hæretici simus, quia Lutherani, Zuingliani, & Calvinistæ vocamur, tum illi etiam hæretici sunt, quia Papistæ vocantur. Bellarminus

minus non videtur nomen improbare. Papista enim deducitur á Papa (inquit) qualis fuit etiam Petrus, & Christus ipse, ut notum est. Sic enim illum non pudet dicere. *Respondeo:* Petrus non fuit Papa. Christum veró Papam fuisse, absurdé & impudenter ab illo dicitur. Quare enim tum non statim dicti sunt discipuli ejus Papistæ ab initio? Et si licet á Papa nomen accipere, cur non á Petro similiter, quem illi Papam fuisse dicunt, Petriani dici possunt? Sed Athanasius, ut antea accepimus, ait, nos non accipere nomina ab Apostolis, in sermone 2. contra Arianos. Et Augustinus in Psal. 44. sic scribit: *Quotquot* (Apostoli) *genuerunt, non Paulianos, aut Petrianos, sed Christianos nominaverunt.* Unde apparet, non debere quenquam, vel Petrianum á Petro, vel Paulianum á Paulo dici, vel ab ullo omnino homine nomen sumere; quia hoc hæreticum, & schismaticum est. Sed si liceat aliquem Papistam vocare á Papa, tum licebit etiam aliquem Petrianum vocare á Petro, & Paulianum á Paulo, & ab homine deniq; nomen sumere licebit. Papa enim homo est. Sic igitur contra Adversarios argumentamur. Papa est homo: at Papistæ á Papa nomen accipiunt: ergo ab homine nomen accipiunt, quod fieri non debet. Præterea, cum Athanasius & Augustinus affirment, á nullo homine nomen sumi debere, ne ab ipsis quidem Apostolis: cur illi ab Augustino Augustiniani, á Francisco Franciscani, á Dominico Dominicani appellantur? Num Augustinus, Franciscus, Dominicus, Apostolis meliores fuerunt, ut ab illis nomina sumere liceat, cùm ab his non licuerit? At Patres hoc hæreticum esse dicunt, á quoquam homine nomen accipere. Sed subjungit Bellarminus, se á nullis Papistas vocari,

nisi á Lutheranis in Germania, & vicinis regionibus. *Respondeo:* Sic nec nos Lutherani vocamur, nisi á Papistis. In hoc ergo pares sumus. Sic constat, nominis possessionem & usurpationem nihili esse; quod tamen Bellarminus pro argumento adhibuit. Augustinus pulchré hac de re scribit in tractat. 5. in epist Joh. *Quomodo ergo gloriaris te esse Christianum? Nomen habes, & factum non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus; dicat te quisquam Paganum, tu factis ostende te Christianum. Nam si factis non ostendis te Christianum, omnes te Christianum vocent; quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur?* Sic nos Adversariis nostris dicimus, qui se catholicos maximé videri & appellari volunt: Fide vestra ostendite, vos esse catholicos; alioqui nolite de nomine gloriari. Salvianus in l. 4. de providentia, sive de gubernatione Dei, feré in principio, sic scribit. *Christianum nomen quasi aureum decus est; quo si indigné utamur, fit ut sues cum ornamento esse videamur.* Sic si Adversarii nostri, catholicæ Ecclesiæ & catholicorum hominum nomine indigné utantur; si catholici dicantur, & catholicé non credant: fit ut tanquam sues cum ornamento esse videantur. Nomen ergo Ecclesiæ catholicæ, non est vera & germana Ecclesiæ nota.

CAPUT TERTIUM.

In quo secunda Bellarmini nota examinatur & refellitur.

SEcunda Bellarmini nota est antiquitas. Et hic quidem duo facit. *Primó* probat, antiquitatē esse notam Ecclesiæ. *Secundó* probat, Ecclesiā Papisticam esse vetustissimam. Nos utrumque negamus. Cúm veró de Ecclesiæ notis disputamus, non loquimur de Ecclesia invisibili, hoc est, de numero electorum solum-

solummodo: sed de ecclesia visibili, quę electos & hypocritas simul continet. Quærimus enim, quæ sit vera Christi visibilis ecclesia, ad quam oporteat nosmetipsos adjungere, & in cujus societate ac communione vivere debeamus. Ex nullis notis possumus ecclesiam invisibilem dijudicare, nam illa soli Deo nota est: visibilem verò Ecclesiam ex notis & signis quibusdam homines possunt agnoscere. Primo loco proponam illa Bellarmini argumenta, quibus probare conatur, antiquitatem esse Ecclesiæ notam: tum illa, quibus probat ecclesiam Papisticam esse antiquissimam.

Primum argumentum in priori causa est hujusmodi. Deus fuit ante Diabolum: ergo vera Ecclesia antiquior est falsa. *Respondeo* 1: non esse similem rationem inter Deum ac Diabolum, & inter Ecclesiam verã ac falsam. Diabolus enim est creatura Dei: ergo Deus sine dubio antiquior illo fuit. At falsa Ecclesia non est creatura veræ. 2. Fateor, electos fuisse priores non-electis. Adamum enim & Evam electos fuisse arbitror. Sed Bellarminum interim meminisse velim, quid ipse dixerit lib. 3. cap. 16. Adamum nempe & Evam non fuisse ecclesiam, quia duo homines non sunt ecclesia. Sic inveniet, falsam ecclesiam fuisse nõ minús antiquam, quám veram. Si verò de Christianorum ecclesia loquatur, fuerunt multæ Ecclesiæ illâ antiquiores, ut ecclesia Judæorum, & Paganorum.

Secundum Bellarmini argumentum sumitur ex Matth. 13. 24. 25. ubi legimus, priús seminatum fuisse bonum semen, quám zizania: ex quo vult concludere Bellarminus, Ecclesiam veram esse falsâ Ecclesiâ antiquiorem. *Respondeo*: Per semen illud bonum, nõ intelligi Ecclesiam, sed Evangelium, hoc est, verbum

Dei, & ſanam doctrinam. Etſi enim poſtea verſ. 38. οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας, *filii regni*, dicuntur τὸ καλὸν σπέρμα, *bonum illud ſemen*: ſciendum tamen eſt, ſic dici μετωνυμικῶς, quód ex illo ſcilicet ſemine naſcuntur & generantur. Per Evangelium enim filii regni, id eſt, electi generantur Deo. Ideoque Marc. 4. 14. Chriſtus ait, ὁ σπείρων, τὸν λόγον σπείρει. *Sator ille, ſermonem ſerit.* Et Luc. 8. 11. ὁ σπόρος, ἔστιν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, *Semen illud, eſt verbum Dei.* Senſus ergo parabolæ eſt, in omni viſibili Eccleſia, cum electis reprobos, cum piis impios conjunctos eſſe, illos ex bono ſemine, hos veró ex zizaniis generari. Hoc nihil ad hanc cauſam pertinet, niſi poſſit Adverſarius oſtendere, aliquam viſibilem Eccleſiam ex ſolis electis conſtare; aut velit dicere, unâ & eandem Eccleſiam (nam de una & eadem Eccleſia loquitur Chriſtus hoc in loco) eſſe ſeipſa & antiquiorem & poſteriorem ſimul. Et Bellarminus quidem in prima hujus Controverſiæ Quæſtione, hanc parabolam adduxit, ut probaret, eccleſiam Catholicam ex electis & reprobis ſimul conſtare: nunc veró in hunc finem producit, ut probet, eccleſiam Catholicâ eſſe antiquiorẽ falsâ. Tã pulchré cõgruũt inſomnia. Ergo falſa eſt illa Eccleſia, quæ ex reprobis conſtat: ex ſolis veró bonis & piis, q̃ hîc filii regni dicũtur, cõſtat Eccleſia Catholica. Sic tenetur ille verbis oris ſui.

Tertium Bellarmini argumentum ſic ſe habet. Eccleſia dicitur Catholica, quia omni tempore fuit: ergo eſt antiquiſſima. *Reſpondeo* 1: Catholicam potiús dici Eccleſiam, quia per totũ terrarũ orbem propagata eſt. Nam Judæorum eccleſia, quæ uni regioni alligata fuit, non dicta eſt catholica, nec ſic propriè dici potuit. Sed Chriſtianorũ tantũ Eccleſiæ attributũ hoc nomẽ fuit. 2. Oſtendat ille, & nominet nobis,

ſi

si potest, tẽpus aliquod, in quo vera Ecclesia fuit, & nulla Ecclesia falsa. Sed nunq̃ hoc poterit ostendere.

Quartum Bellarmini argumentum in hunc modũ instituitur: Ecclesia dicitur Apostolica, quia ab Apostolis fundata fuit: ergo est antiquissima. unde illud vult per consequens evincere, antiquitatem esse Ecclesiæ notam. *Respondeo* 1: Si Ecclesia ab Apostolis fundata, fuit antiquissima, tum nulla fuit ecclesia ante Apostolos: sed fuit ecclesia prior Apostolis: nam Apostoli erant filii ecclesiæ, & ex ea nati: ergo aliam Ecclesiam præcessisse necesse est, ex qua Apostoli nati sunt, & per consequens Ecclesia ab Apostolis fundata, non fuit antiquissima. 2. Dico, fuisse multas in mundo Ecclesias falsas, cúm Apostoli hanc veram Ecclesiam fundabant, Ecclesiam nempe Judæorũ, & Ecclesias Paganorum. 3. Ecclesia Apostolica, est vera procul dubio, sed non quód ab Apostolis fundata fuerit, id est, quód ibi Apostolorum aliquis docuerit: tum enim non Romana tantúm Ecclesia, sed & aliæ omnes, quæcunq; ab Apostolis fundatæ sunt, & Apostolicæ, & antiquissimæ essent, & veræ Christi ecclesiæ: sed quód Apostolicam fidem doctrinamq; teneat. Hoc enim si facit, tum veré Apostolica est, & dici potest: sin minús, æquivocé tantúm Apostolica dicitur. Ex quo constat, doctrinam esse Ecclesiæ notam, quod Adversarii nolunt. 4. Si Ecclesia ideo antiquissima sit, quód ab Apostolis fundata fuit: tum omnis ecclesia ab Apostolis fundata, est antiquissima; at hoc ἀδύνατον. Nam cúm multæ fuerint Ecclesiæ ab Apostolis fundatæ, nõ omnes possunt esse antiquissimæ, sed una tantũ. Sed forsan dicent, has multas Ecclesias fuisse unã: quanq̃ hoc absurdũ est dicere, multas Ecclesias esse unã: nam Galatarũ Ecclesia non fuit

Ecclesia Corinthiorum, nec ecclesia Ephesiorum fuit ecclesia Thessalonicensiũ. Sed concedamus fuisse unam. Quærimus ergo, quare una fuerunt? Respondeant necesse est, quia unam fidem Apostolicam tenuerunt. Ergo hoc sequetur, quod nos dicimus, fidem Apostolicam esse indicem & testem veræ & Apostolicæ ecclesiæ.

Quintum Bellarmini argumentum est hujusmodi. Ecclesiam nostram antiquiorem esse omnium Paganorum conventiculis, & Scripturam nostram fuisse ante omnes deos Gentilium, docet Tertullian. in Apologet. cap. 19. & 20. & August. lib. 18. de civitate Dei, cap. 37. & 38. *Respondeo*: Illi Patres probant Scripturæ antiquitatem, ajúntque eam non modó disciplinis Græcorum & Philosophorum, sed & ipsis etiam diis Gentilium antiquiorem esse. Hęc ego omnia vera esse concedo. Non tamen sequitur Bellarmini argumentum. Nam fuit falsa Ecclesia, tum ante Philosophos, tum ante celebres illos Gentium deos: ut in Caino, & aliis apparet, quos tamen non lego falsum aliquem Deum coluisse. Impii enim (ut inqt Augustinus) sive foris sint, sive intus, Satanæ sunt, atque ita ad Ecclesiam Dei non pertinent. Non potuit igitur probare, antiquitatem esse notam visibilis Ecclesiæ. Nam possunt esse multæ Ecclesiæ veræ, quæ non sunt antiquæ: imó nulla Ecclesia est in initio antiqua, ne Apostolica quidem. Tales autem nos notas quærimus, quæ perpetuæ sunt, & essentiales, quæ insitæ sunt penitus in ipsa re, quæ non nuper inceperunt, sed causæ fuerunt rei, cujus sunt notæ. At antiquitas non est ejusmodi nota. Prima enim Ecclesia non fuit antiqua, cúm primúm incepit: num ideo non fuit vera Dei Ecclesia? imó fuit. Sive enim

ab

ab Adamo; seu ab Apostolis Ecclesiam ducat, fuit tempus, cúm antiqua non erat, sed recens & nova: & tum antiquitas non fuit ecclesiæ nota. Apostolus Paulus multas Ecclesias fundabat, quarum quædam erant antiquiores aliis, & tamen omnes veræ DEI Ecclesiæ erant. Papistæ dicunt, Ecclesiam hìc in Britannia, ab Augustino Monacho fundatã fuisse: num vera non fuit, quia non antiquissima? Quid de suis Indicis ecclesiis dicent, de quibus tam multa mentiuntur? Sed forsan has etiam antiquissimas esse affirmabunt. Quomodo quæso? non tempore scilicet, sed consensu cum antiquissima. Verúm quem consensum intelligunt? nimirum fidei, & religionis. Ergo hinc perpetuó sequitur, fidem & religionem esse notam Ecclesiæ: quod nos dicimus; sine qua antiquitas nullius momenti est. Nam Diabolica ecclesia non minorem sæpe antiquitatem habet, quám vera Christi Ecclesia. Cúm Christus Hierosolymis fuit, quæ erat Ecclesiæ Christi antiquitas? Cum Romæ cœpit Ecclesia fundari, nónne antiquior fuit religio deorum Gentilium? Sed de his postea dicendum est. Nunc sequitur, ut quomodo Papisticam Ecclesiam antiquissimam esse probet, videamus.

Primum ejus argumentum sic se habet. In omni insigni mutatione religionis, semper ista sex demonstrari possunt: *primó* author ejus, *secundó*, dogma aliquod novum, *tertió*, tempus quo cœpit, *quartó*, locus, ubi cœpit, *quintó*, quis eam oppugnaverit, *sextó*, exiguus aliquis cœtus, unde paulatim aliis accedentibus cœperit. Atque hæc omnia ait in ipsa Christi Ecclesia inveniri, & tamen eam non fuisse novam Ecclesiam, sed tantúm mutationem quandam status Ecclesiæ. Ubi hoc obiter observari velim, si tantúm status

Ecclesiæ mutatus est, tum nihil essentiale mutatum esse. Nam status rei est accidens separabile, non essentia rei. Fieri potest, ut mutatis temporibus varii sint Ecclesiæ status: at eadem Ecclesia semper, & eædē semper sunt Ecclesiæ notæ. Hinc evertitur, quicquid ferè Adversarii dicunt de amplitudine ecclesię, & successione Episcoporum; quam esse notam ecclesiæ volunt. Nam cúm ista sint accidentalia, & tantū status Ecclesiæ mutationes, non sunt veræ Ecclesiæ notæ; quas oportet esse veré essentiales, & immutabiles. Et cúm Ecclesia ante Christum & post Christū una eadémque fuerit, in nulla re mutata, præterquā in statu: nulla est alia vera Ecclesiæ nota, præterquā fides & doctrina; quæ sola in causa fuit, quód cúm status Ecclesiæ mutaretur, Ecclesia tamen ipsa non mutaretur. Tum demum accedit Bellarminus ad id, quod proposuerat, & docet hæc sex in ecclesia Christi posse inveniri. *Primó* enim ait, illius mutationis authorem fuisse Christum. *Secundó*, quod ad nova dogmata attinet: ait tum demum cœpisse explicité credi nova dogmata Trinitatis & Incarnationis. *Respondeo*: Verba ejus esse admodum incerta. Si vult hæc nova dogmata fuisse: hæreticum est omnino, quod ait, & falsum. Sin hoc tantúm vult, tum demum hæc duo explicité credi cœpisse: verum est, quod dicit, aliquo modo. Patres enim noverunt, & crediderunt Trinitatem & Incarnationem Christi, licet obscuriús, quám nos. Qui enim hæc non credit, salvus esse non potest. Sin autem forte velit, Patres implicité credidisse, eo modo quo Papistę solent, qui nullam aliam fidei suæ rationem reddere possunt, nisi quód credant, ut Ecclesia credit: tum illud omni modo falsum est. Quod veró *quinto* loco ait, hāc Christi religionem

ligionem á Scribis & Phariſæis oppugnatam fuiſſe: obſervandũ hoc eſt contra Stapletonũ, qui affirmat, Eccleſiam fuiſſe in Põtificib. Scribis, Phariſæis & Sacerdotibus, uſq; ad aſcenſionẽ, aut ad minimũ, uſque ad paſſionẽ Chriſti: & tamen ait hìc Bellarminus, veram Chriſti Eccleſiá, & religionẽ, ab iis oppugnatam fuiſſe. Jam his fundamentis jactis, argumentũ ſuum tandem ſic concludit. Illa ſex poſſunt de ſingulis hæreticorum ſectis demonſtrari: ſed de noſtra (inquit) Eccleſia Adverſarii nihil horũ unquã poſt tempora Apoſtolica demonſtrare potuerũt. Argumentum ſic contexi poteſt. Si nihil horũ demõſtrari poteſt in illorũ Eccleſia; tum ſequitur, nihil in illorum Eccleſia ab Apoſtolorũ temporib. mutatum eſſe: at verũ primum: ergo & ſecundũ. *Reſpondeo*: Hoc argumentum ſi validum ſit, tũ contra Adverſarios vel maximé facit. Si.n. nulla fuerit in illorũ Eccleſia ab Apoſtolorum temporib. religionis mutatio, tum eandẽ doctrinam & fidem conſtanter tenet illorum Eccleſia, quã Apoſtoli docuerunt, atque ita pro vera Eccleſia ideo agnoſcenda eſt, quód doctrinã illã, quam ab Apoſtolis accepit, ſine mutatione retineat. Ita doctrina illa, quæ primó ab Apoſtolis tradita eſt, erit nota veræ Eccleſiæ; quod nos defendimus. Atq; hoc quidẽ bonum eſt argumentũ, á Patribus ſæpe uſurpatũ, quando nos ad originem doctrinæ Chriſti & Apoſtolorum revocant. Antiquitas ergo doctrinæ, Eccleſiæ nota eſt, non perſonarum, non ſucceſſionis, non durationis. Ita videmus, Adverſarium redire ad noſtrũ inſtitutum. Sed ſequamur eum pauliſper, & iſta ſex excutiamus, ut an aliqua fuerit mutatio in Eccleſia Romana videam⁹. Nihil horũ ait oſtẽdi poſſe de ſua Eccleſia: ergo nõ eſt mutata. *Reſpõdeo* 1: Quod ait nihil

horum posse de illorum Ecclesia ostendi: dico id falsissimum esse. Quod enim secundo loco positum est, de illorum Ecclesia possumus demonstrare, nova scilicet dogmata ab illis proponi & defendi; quod certé sufficit. Nam si cõstat, dogma aliquod novum & alienum ab illis teneri: quando, aut ubi cœpit dogma illud, nõ multum refert. Nam multa apertissimé mutantur, quæ tamen quando cœperint mutari, incertum est. 2. Quód concludit, nisi hæc omnia ostẽdantur, nullam fuisse mutationem, falsum est. Non enim omnium mutationum authores, tempus, locus, ostendi possunt. Exempli gratiâ. In Galatarum Ecclesia mutatio manifesta fuit. Sed quis hujus mutationis author fuit? Apostolus certé non commemorat, nec fortasse cognovit. Nominâsset enim sine dubio, si cognovisset. Nec tempus, quando hæc mutatio cœpit, aut locum, ubi cœpit, designat. Idem de ecclesia Corinthiaca dici potest. Similiter Ecclesia Hierosolymitana ante Christum, magnopere mutata fuit ab ea, quæ erat olim sub Aarone, Eleazare, & aliis summis Sacerdotibus, qui illos subsecuti sunt. Nã & in moribus, & in fide corrupta fuit. Jam quæro ab Adversariis, quis hujus mutationis author fuit? quãdo & ubi hæc mutatio cœpit? Doctrina non fuit eadem, quæ priús, hoc constabat: fidei manifesta mutatio fuit, & nova ipsorum dogmata nota erant: reliqua ostendi non posse, ausim affirmare. Similiter de Græca Ecclesia, præsertim. Constantinopolitana, dici potest. Est enim hæc ecclesia multúm mutata ab illa, quæ olim fuit. Jam veró hujus mutationis quæso author fuit? Macedonium forsan hæreticum dicent. At illi Gregorius & Nectarius Episcopi Orthodoxi successerunt: ergo adhuc vera Ecclesia fuit.

Sic

Sic Nestorius dejectus est, ejusq; hæresis est damnata, eique Flavianus, & alii multi pii Episcopi successerunt. Adhuc igitur permanebat ecclesia vera. Cúm de ipsa mutatione constat, alienum certé est, de mutationis authore, de tempore, de loco litigare. Et certé non credere rem mutatam esse, nisi scias, á quo, & quando mutata fuerit, insanum est. Matth. 13. 24. 25. bonum semen in agro seminatum esse primó legimus, sed coloni postea mutationem inveniunt: unde illa zizania erant, nesciebant, nec tempus hujus mutationis nôrunt; nam ipsis dormientibus seminata hæc zizania sunt. Similiter nobis non attendentibus, inimicus homo zizania spargit in ecclesia Dei, & rerum statum mutat. Bonifacius dixit, sacerdotes olim fuisse aureos, nũc esse ligneos. Mutatio certé magna ex auro in lignum. At Bonifacius non ostendit, quis primus Episcopus ligneus fuit, & quando, ac ubi, hęc mutatio cœpit. In Republica sæpe mores hominum mutantur, non ab uno aliquo certo authore, sed cõmuni quodam morbo & vitio; ut constet de curriculo majorum discessum esse, sed per quem primúm hæc cœpit mutatio, demonstrari non potest. At in Ecclesia multó sunt occultiores mutationes, partim propter Satanæ astutiam, partim propter hominum nativam inclinationem in pejus. Nativus enim hominum morbus est, non posse diu in veritate persistere. Insanum certé est, has mutationes negare, nisi authores designari possint. Author primus quidem est Satanas, qui multa instrumenta habet, quæ non facilé semper á nobis agnosci possunt. Cúm de re cõstat, quid attinet de circumstantiis sic quærere & dubitare? Si quis hominem in fovea invenerit; non credet in fovea esse, quem tamen ibi esse videt, nisi priús

intelligat, á quo, & quando fuerit in foveam conjectus? Si quis aliquem invenerit in solitudine errantẽ; nõ credet illum errare, nisi is erroris sui autorem demonstraverit, qui illum primus é via deduxerit, & tẽpus, quando; & locũ, ubi errare inceperit? Si quis invenerit aliquem in via vulneratum, & jam animam agentem, aut plané mortuum; non credet, nisi cædis hujus authorem, tempus, locum, & reliquas circumstantias noverit? Si quis navem submersam invenerit; nõ credet, nisi sciat, quo tempore cœpit primúm aquam imbibere? Hæc si absurda sint, Adversarii certé sunt absurdi, qui hæc omnia á nobis demonstrari postulant, quæ á Bellarmino commemorantur. Nos Ecclesiam miserè mutatã esse ostendimus. Illi non credunt, nisi hujus mutationis authores, tempus, locum, aliasq; circumstantias demonstremus. Sed nunc propiús ad argumentũ veniamus, & has sex circumstantias particulatim & sigillatim excutiamus. *Primó* ait, authorẽ cujusque mutationis demonstrari posse, ut Arianorũ author fuit Arius, Nestorianorũ Nestorius. Ita Lutheranorum (inquit) Martinum Lutherũ Presbyterum & Monachum ordinis sancti Augustini authorẽ fuisse scimus. Nostræ veró sectæ (inquit) nullum nobis authorem objiciũt, nec ab ullo homine particulari nos appellant. *Respondeo* 1: Quód Ecclesiæ nostræ Lutherũ authorem facit: aperta est petitio principii. Luther⁹. n. nec ecclesiæ, nec doctrinæ nostræ, author fuit. Nos ecclesiã nostrã esse Apostolicam & Christianã affirmamus, quia in Apostolica doctrina, & in Christi pręceptis persistit. Quód Adversarii nos Lutheranos vocant: nihil moramur. Nos. n. á Luthero non pendemus, sed rectâ ad Christum tendimus. Si Lutherus vera aliqua, & Apostolicæ

cæ doctrinæ consentanea docuit, amplectimur: sin falsi aliquid ab illo exciderit, rejicim⁹. Hoc igitur argumento contra adversarios utor. Quæcunq; Ecclesia, Apostolorũ prædicationẽ & doctrinam servat, ea est Apostolica: at nostra ecclesia hoc facit: ergo nostra Ecclesia est veré Apostolica. De majore nulla cõtroversia esse potest. Nã Apostolica Ecclesia est, quæ in Apostolorum fundamento, id est, doctrinâ ædificatur, ut omnes interpretantur. Tota ergo lis est de minore: quæ improbari nõ potest, nisi doctrinã nostrã non esse Apostolicã ostẽderint. Ita inviti eó deducuntur, ut doctrinam faciãt, veram, certam, & minimé fallacem Ecclesię notam. Ergo de fide & doctrina inter nos controversia est, utrúm nimirum nos veram fidem & doctrinam amplectamur, an illi. Lutherus ecclesiam & doctrinam nostram ex quibusdam angustiis in ampliora spacia & in claram lucem eduxit, & fuit minister Ecclesiæ nostræ, non author: nam is Christus est. 2. Quod ait, nos non objicere illis authorem suæ sectæ: hoc falsum est. Etsi non unum fortasse aliquem, qui totam illam sectã perfecit, nominare possumus. Nam á multis inventa & introducta fuit. Sed si authorem requirant, dico primũ doctrinæ & Ecclesiæ illorũ authorẽ fuisse Satanã; illũ habuisse multa instrumenta, hæreticos scilicet & schismaticos, á quib. Papistæ multa acceperũt, in primis veró Antichristũ. Is veró etsi nõ est unus homo numero, (multi. n. fuerũt homines, qui ad Papatũ aspirârũt:) successione tamẽ, officio, & loco un⁹ fuit, & una persona, nempe Papa. Ab illo & sectã & nomẽ suũ acceperũt. 3. De authorib. cujusq; dogmatis, ꝙ á Papistis tenetur, dabitur nobis postea cõmodior dicẽdi locus. *Secũdó*, de novo dogmate sic scribit Bellarmin⁹:

Scimus, quæ dogmata Arius, quæ Neſtorius, quæ Lutherus invenerit, & ſingulorum dogmata exponit: at nunquam oſtenderũt (inquit) primam originem alicujus dogmatis noſtri. *Reſpondeo* 1: hoc quidem ad rem pertinere. Nam ſi probare poſſet, Lutheri dogmata nova fuiſſe, ut erant Arii & Neſtorii: aliquid certé efficeret. Sed unde conſtabat, Arii dogma novum fuiſſe? certé quia non fuit Apoſtolicum: & unde non eſſe Apoſtolicum conſtabat? nimirum, quia in ſcriptis Apoſtolicis reperiri non potuit. Ita nova ſunt, quæcunque ex Scripturis probari non poſſunt; & vetera ſunt, quæ in Scripturis habentur. Lutheri ergo novum aliquod dogma proferant. Certé ſi proferre poſſunt dogma aliquod á Luthero propoſitum, quod ex Scripturis probari non poteſt, nos illud novum eſſe fatebimur. Sed ſi ex Scripturis ſingula noſtra dogmata demonſtrare poſſumus: antiqua certé ſunt omnia, ac proinde vera. Quod ſi aliqua doctrina fuerit multis ſeculis ſepulta, ſi tamẽ eadem ex Scripturis probari poteſt, non novam illam eſſe, ſed antiquam dicimus. Sic hæc duo dogmata noſtra, quæ á Bellarmino commemorantur, nempe juſtificari hominem per ſolam fidem, & Euchariſtiam non eſſe ſacrificium, eo modo, quo Adverſarii intelligũt, ſatis conſtat ex Scripturis probari poſſe; alterum ex Epiſtola ad Romanos, alterum veró ex Epiſtola ad Hebræos: ac proinde non nova, ſed antiqua dogmata ſunt. 2. Nos dicimus, omnia quidem Papiſtica dogmata eſſe nova. Cúm enim nõ reperiantur in Scripturis, nõ refert quám diu in eccleſia duraverint. Ná quicquid eſt Scripturæ doctrina poſterius, illud ipſũ etſi ſtatim ab Apoſtolorum temporibus doceri cœptum eſt: tamen novum eſſe affirmamus: & econtra

quicquid

quicquid Scripturæ docent, illud antiquissimum esse dicimus. Etsi ergo Papistæ ex Patribus fortasse & Cõciliis nonnulla afferre possunt, ex quibus probent se tenere quædam, quæ illis seculis tenebantur: tamen non efficiunt, quod cupiunt; quia nos ad tempora Christi & Apostolorum provocamus. Quicquid post hos proferunt, etsi ex Polycarpo, Ignatio, Irenæo, Justino Martyre, & similibus proferant: nos tamen antiquum esse negabimus, nisi possint ostendere, Christum & Apostolos idem docuisse. 3. Nos possumus originem multorum dogmatum Papisticorum, & authores etiam nominare (etsi hoc non sit necesse) si authores dici merentur, qui illorum præcipui defensores fuerunt. Nam aliâs Arius non fuit author dogmatis illius, Christũ Dei filium esse creaturam; quia alii multi ante illum sic docebant, ut ille. Sic quanquã olim multi passim credebant, quod postea authoritate Pontificis & Ecclesiæ Romanæ receptum & probatum fuit: tamen Pontificii possunt authores dici, etsi primi authores non fuerunt. Nam ne Lutherus quidem primus docuit, hominem justificari sola fide, vel ex Adversariorum confessione. Dicunt enim illi, Simonem Magum, & Eunomium, longé ante Lutheri tẽpora similiter docuisse. Sed hęc calũnia est. Si nunc vellem omnia illorum dogmata persequi, & eorundem originem demonstrare, longum opus esset. Erit postea hoc faciendi locus aptior, uti spero. Sed si non possemus singulorum dogmatum, quæ ab illis tenentur, originem demonstrare, non multum referret. Nam origo cujusvis erroris non facilé cognoscitur. *Tertió* ait, cujusque etiam mutationis tempus ostendi posse. Cœpit enim (inquit) Ariana hæresis anno Domini 324: Nestoriana anno 431:

Lutheranorum anno 1517. Atq; ita prę clarũ Chronologum agit. At nunquam (inquit) designare potuerunt temp⁹ certum nostræ defectionis ab Ecclesia. *Respondeo* 1: Facilius est dicere, quo tempore hæretici vixerint, quám quando illorum hæreses cœperint. Ostendat Adversarius, neminem ante Arium idem dogma tenuisse, quod Arius tenuit. Certum est, multos non rectè sensisse de filio Dei, ante Arium. Alexander enim Alexandriæ Episcopus, in multos tales invectus est. Arius quidem primus fuit, qui apertè & publicè hanc hæresin ausus est propugnare. Sic ante Nestorium & Pelagium nonnulli fuerunt, qui illorũ hæreses defendebant. Lutherus quoto anno vixerit, & docere cœperit, nihil ad rem attinet. Nostra nec religio, nec Ecclesia illo anno cœpit, etsi annum illum fuisse Ecclesiæ Romanæ fatalem, jure dicere possumus. 2. *Respondeo*: Quód nullum certum annum designare possumus, in quo illorum Ecclesia mutari cœpit, & desiit esse Ecclesia Dei: causa est, quód non statim, & simul, & uno quasi momento, hoc factum est; sed paulatim defecit, cessitque de vestigiis majorum, & facta est Antichristiana. Quæ enim Ecclesia tempore Apostolorum erat, ea pura fuit: postea verò mutata est. Quando autem mutari cœperit, non cõstat. Nam paulatim & pedetentim Ecclesiam invasit hæc Apostasia, donec tandem ad summum accrevit; ut morbus in corpore humano. *Quartó*, de loco agit, in quo mutatio cœpit. Scimus & loca (inquit) Nam cœpit Arianismus in Ægypto, Nestoriana hæresis in Thracia, Lutherana in Saxonia. At nunquã (inquit) quo loco nostra defectio cœperit, ostenderunt Adversarii. *Respondeo*: minutum hoc quidem esse, quod de loco attexit. Non est de loco & sede hæreseos litigandum,

tigandum, sed danda potiús opera est, ut ab omni loco exterminetur. Sed si locum postulant, & sibi designari volunt: dicimus, Antichristianam doctrinam totam, é Pontificis Romani palatio, tanquam é sentina, fluxisse. *Quintó*, constare debere, ait, de quavis hæresi, á quibus oppugnata fuit. Scimus (inquit) Arianos mox oppugnatos fuisse á Sylvestro Pontifice, á Concilio Nicæno, ab Athanasio, Hilario, & aliis: Nestorianam hæresin á Pontifice Cęlestino, Concilio Ephesino, Cyrillo, aliisq; permultis: Lutheranam á Leone decimo Pontifice, á Concilio Tridentino, ab Academiis omnibus Catholicis, & Doctoribus plurimis, Cocleo nimirum, & Eckio, & aliis. At nunquam ostenderunt (inquit) quis nostram religionẽ, tanquam nuper ortam, oppugnaverit. *Respondeo* 1: Lutherum quidem oppugnatum fuisse ab Academiis, & Doctoribus Papisticis, & á Leone etiam decimo, ac Concilio Tridentino damnatum, non negamus; sed stetit ille tamen nihilominus invictus, & libris ac concionibus causam suam probavit. Sic Christus ipse á Pontificibus & Sacerdotibus Judæorum oppugnatus fuit, & á Concilio Scribarum ac Pharisæorum damnatus. Non ergo sequitur, Lutheri doctrinam falsam fuisse, quia oppugnata & damnata fuit; nisi justé damnatam fuisse doceãt. Num quia oppugnamur, hæretici sumus? tum certé Christus & Apostoli hæretici fuerunt. 2. Dico, multa Papistarum dogmata fuisse oppugnata. Ceremoniarũ multitudinem Augustinus suo tempore improbavit Epist. 119. Quid ille dixisset, si accessionem illam, quæ postea secuta est, vidisset? Romani Pontificis primatum oppugnavit Concilium Carthaginense sextum, cui idem Augustinus interfuit. In quo

Concilio decretum est, non licere cuiquam ab Africa ad Romam provocare. Cælibatum sacerdotum, á Syricio Pontifice institutum, multæ Ecclesię totæ oppugnârunt, nominatim Anglicana, & Episcopi multi. Sic cultus imaginum á multis Conciliis damnatus est, & á multis etiam Episcopis. Sic alia multa Papistica dogmata, multi pii Episcopi damnârunt, ut suis locis patebit. Sed si non possemus hoc demonstrare, quid illud ad rem? Quid de hominibus litigemus, á quibus illorum dogmata sunt oppugnata; cùm Scripturas habeamus adversus singulos illorum errores manifestas, ex quibus omnis doctrina examinanda est? Sint olim tempora, quæ fuerunt; sint homines, qui fuerunt: Scriptura semper una & eadem est; ex qua falsa doctrina semper á vera distingui potest. *Sextó* quod ait, exiguum esse cœtum & numerum hæreticorum in initio, at illorum Ecclesiam nunquam se á majore separâsse: hoc quoque nihil ad rẽ. Argumentum ducere á numero hominum & multitudine non oportet. Ariani non sic refutati sunt, aut Nestoriani, imó plures erãt Ariani, quám Catholici. Christus ipse in initio paucissimos discipulos habuit. Plures enim cum Scribis & Pharisæis fuerũt, quám cum illo. Unde quám putidum hoc sit argumentum apparet; quod contra Christum ipsum, perinde ac cõtra nos urgeri potest. Habuit q̃dẽ Lutherus in initio paucos fautores, sed tamẽ erãt ante Lutherum VValdenses, & alii multi, ut historiæ testantur, qui eandem doctrinam tenuerunt; quanquam Lutherus re verâ eam doctrinam illustravit, & ex angustiis ac tenebris (ut antea diximus) in claram lucẽ produxit. Quod si nos non sumus Catholici, quia multitudine vincimur á Papistis: tum nec illi Cath-

olici ſunt, quia vincuntur numero á Saracenis. Sed de hoc argumento poſtea erit dicendum. Ita cujusmodi hoc ſit argumentum, ab his ſex circumſtantiis petitum, ex his quæ á nobis dicta ſunt, conſtat, nullius ſcilicet momenti aut virium.

Nunc ad Patrum teſtimonia veniamus, quibus Bellarminus probare conatur, antiquitatem eſſe Eccleſiæ notam. *Primum* teſtimonium eſt Tertulliani in lib. de præſcrip. adverſ. hæret. Ubi de quibusdam ſui temporis hæreticis ſic ſcribit: *Qui eſtis vos? unde & quando veniſtis? ubi tamdiu latuiſtis? Reſpondeo:* Tertullianus his verbis hæreticos quosdam alloquitur, qui nova dogmata finxerunt, & in Eccleſiam invexerunt. *Qui eſtis vos*, inquit, nempe qui hæc tam ſeró docetis? Et revocat illos ad ea, quæ ab Apoſtolis ſcripta ſunt, & ad doctrinam Apoſtolicam. Quod facit contra Papiſtas. Probat enim, notam Eccleſiæ eſſe Apoſtolicam doctrinam. Eodem plané modo nos Adverſarios noſtros ad fidem & doctrinam Apoſtolorum revocamus. *Secundum* teſtimonium eſt Optatii in lib. 2. contra Parmenian. *Veſtræ Cathedræ originem oſtendite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare. Reſpondeo:* Optatum per Cathedram hoc in loco, non externam perſonarum, hoc eſt, Epiſcoporum ſucceſſionem, ſed ſucceſſionem fidei & doctrinæ Catholicæ intelligere. Nos ſi nō poſſumus hujus Cathedræ originem oſtendere, causâ çadamus. Libenter nos quidem cum Optato fatemur, hæreticam eſſe illam Eccleſiam, quæ hanc doctrinæ ſucceſſionem non poteſt oſtendere. Sed hoc iterum probat, Eccleſiæ notam eſſe doctrinam. Si nos hanc doctrinæ ſucceſſionem non poſſumus oſtendere, non recuſamus, quó minús pro hæreticis habeamur. *Tertium* teſti-

monium est Hilarii in lib. 6. de Trinitate, ante medium, ubi hæc verba habet: *Tardé mihi hos piissimos Doctores, ætas nunc hujus seculi protulit: seró hos habuit fides mea, quam tu erudisti, magistros: inauditis ego his omnibus, in te credidi. Respondeo:* Hilarium loqui de Arianis, qui novum dogma illo seculo excogitarunt. Non ergo eos reprehendit, quód illo seculo vixerunt & docuerunt, in quo & ipse Hilarius vixit, sed quód novam fidem & novum dogma tunc primúm finxerunt. Sic enim ait: *Fides mea, quam tu erudisti, seró hos magistros habuit. Inauditis his omnibus, in te credidi.* Novi quidem magistri, & novi Doctores, non sunt audiendi. Sed qui demum novi magistri, & novi Doctores habendi sunt? non ii scilicet, qui nuper docere cœperunt: sed qui novam fidem invenerunt, & nova dogmata in mundum invexerunt. Lutherus ergo non est novus magister, quia non docuit novum aliquod dogma, sed veterem tantúm doctrinam & fidem professus est, eandemq; ex tenebris, in quibus antea demersa jacebat, in clarissimam lucem produxit. Alioqui enim, quare non est Ignatius Layolas novus doctor, quandoquidem ille post Lutherum docuit? Lutherus quidem docere cœpit ante aliquot annos, sed veterem ille, imó antiquissimam fidem docuit. *Quartum* testimonium est Hieronymi in epist. ad Pammachium & Oceanum, ubi hæc verba habentur: *Quisquis assertor es novorum dogmatum, quaso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antea nescivimus? usq; in hanc diem sine ista vestra doctrina Christianus mundus fuit. Respondeo:* Nova dogmata non esse recipienda, non modó non post annos quadringentos, sed ne post unum quidem annum. Et Hieronymus

contra

contra hæc loquitur. *Quisquis es assertor* (inquit) *novorum dogmatum.* Et postea: *Usq; in hanc diem sine vestra hac doctrina Christianus mundus fuit.* Jam verò novum dogma est, quod non est Apostolicum. Nos, nisi possumus probare, nostram doctrinam semper fuisse in mundo Christiano, docuisse eam Christum, docuisse Apostolos, & Ecclesiam etiam, quæ Apostolorum tempore fuit, eandem tenuisse, & Papistarum dogmata econtra nova esse: hæreseos nec crimen, nec pœnam deprecamur. *Aliud* Hieronymi testimonium habetur in lib. contra Luciferian. ubi sic scribit: *Ex hoc ipso, quód posteriús instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænunciavit. Respondeo:* Nos fatemur, quicquid posteriús institutum, aut introductum est, id falsum esse: sed nostrum aliquod dogma tale esse, ostendant Adversarii. *Postremum* testimonium est Augustini in lib. contra epist. Fundament. cap. 4. ubi Augustinus antiquitatem inter notas Ecclesiæ ponit. *Respondeo:* Nominat ille quidem consensionem populorum atque gentium, vetustate firmatam, sed hanc semper cum veritate conjungit. Itaque eodem loco huic anteponit sinceriſſimam sapientiam. Et non esse hanc per se notam Ecclesiæ, inde constat, quód Augustinus ibidem ait, si possent Manichæi ostendere, se habere veritatem, velle se ad eos transire. Ergo hæc non est idonea per se nota. Et de Adversariorum argumentis hactenus.

Nunc sequitur, ut ad nostra argumẽta veniamus, & contra istam Papisticam antiquitatem paucis disputemus. *Primum* igitur nostrum contra hanc notam argumentum est hujusmodi. Si antiquitas sit Ecclesiæ nota, tum aut sola, & per se, nota est, aut cum alia re conjuncta: at neutro modo: ergo non est nota

omnino. De propoſitione nihil dicam, quia perſe manifeſta eſt. Aſſumtionem probo. Primó per ſe ſola non eſt nota: id ne Adverſarii quidem ipſi volunt. Nam ſi careat veritate, ne ab illis quidem probatur. Ergo aliquid cum illa conjungi oportet. Quæro igitur, quid illud ſit, quod antiquitatem faciat certam Eccleſiæ notam? Nihil certé poſſunt nominare, niſi doctrinam ſanam, & primam, & Apoſtolicam. Hanc ſi tollas, antiquitas nihil valet: ſi habeas, vera eſt antiquitas. Ergo nota veræ antiquitatis eſt Apoſtolica doctrina. Et ego quidem fateor, antiquitatem cum vera fide, & ſana doctrina conjunctam, Eccleſiæ notam eſſe. Quód ſi antiquitas ſit nota Eccleſiæ propter fidem: tum fides ipſa multó magis nota eſt. Nam antiquitatis velut anima fides eſt, ſine qua antiquitas eſt quaſi cadaver, aut capſa vacua. Sic manifeſtum eſt, antiquitatem nihil præſcribere ſine veritate. Ergo oportet ſemper videre, utrum antiquitas habeat in ſe veritatem, an non. Nam cum veritate multum, ſine veritate nihil valet. Prohibemur ſæpe in Scripturis, in patrum veſtigiis inſiſtere, & illud ſequi, quod alii ante nos fecerunt. Sic Dominus apud Ezech. cap. 20. v. 18. 19. *Edixi filiis illorum in deſerto, in ſtatutis patrum veſtrorum nolite ambulare, & judicia illorum ne obſervetis, nec idolis eorum polluamini, Ego ſum Jehova Deus veſter, in præceptis meis ambulate, & judicia mea obſervate, ac facite ipſa.* Sic igitur concludo hoc primum argumentum. Non poteſt illud eſſe nota aut teſtis Eccleſiæ, quod ipſum, aliud teſtimonium poſtulat, & alia probatione eget: at antiquitas eſt hujusmodi: ergo non eſt idonea nota, aut teſtis Eccleſiæ.

Secundum noſtrum argumentum in hunc modum ſe

se habet. Quod non est nota perpetua Ecclesiæ, non est vera & propria nota: at antiquitas non est perpetua Ecclesiæ nota: ergo non vera est & propria nota. Propositionis ratio patet. Nos enim notas penitus insitas, & ἰδιώδεις quærimus, quæ non possunt removeri ab illa re, cujus notæ sunt. Ejusmodi verò omnes sunt perpetuæ, & rem perpetuò comitãtur. Ut si quis hominis veram & propriam notam quærat, non respondebimus, adolescentiam ejus notam esse, aut senectutem, aut scientiam, aut aliquam hujusmodi mutabilem & separabilem qualitatem, sed aliquod ἀχώριστον & ἀκίνητον attributum. Ita nos Ecclesiæ notam minimè fallacem quærimus, quæ nascitur simul cum Ecclesia, quæq; simul cum illa crescit, simulq; cum eâdem interit. Assumtio probatur, antiquitatem scilicet non esse talem notam. Nam Ecclesia non semper habuit antiquitatem, sed aliquando fuit sine illa. principium enim rei non est antiquum: at Ecclesia habuit principium: ergo tum non antiqua, sed recens fuit. Nam quemadmodum genus humanum habuit principium, & tum recens fuit: sic Ecclesia. Sic ergo disputo. Ecclesia vera fuit aliquando sine antiquitate: ergo antiquitas non est nota Ecclesiæ. Britannica Ecclesia, cúm ab Augustino Monacho (quemadmodum Adversarii volunt) instituta primúm fuit, recens erat: an tum falsa propterea, & non vera Ecclesia fuit? Papistæ dicunt, se nostro seculo novas insulas ad fidem convertisse, & Ecclesias ibi multas fundasse. Num illæ non veræ Ecclesiæ, quia recentes? Non audent (opinor) dicere. Si respondebunt, consentire cum antiquis Ecclesiis, atque eo respectu non recentes, sed antiquas esse: nos quærimus, ut priús, qua tandem in re consenti-

unt? non certé in antiquitate; recentes enim sunt, & ante paucos annos natæ: in veritate igitur consentiant necesse est. Atq; ita sequitur, veritatem, non antiquitatem, Ecclesiæ notam esse.

Tertium nostrum argumentum hujusmodi est. Ecclesia est cœtus hominum evocatorum: ex alio igitur cœtu evocatur. Quis ille alius cœtus est, nisi Ecclesia malignantium? Ergo Ecclesia malignantium non minús antiqua est, quám vera Ecclesia; nã alioqui quomodo potuit hæc ex illa evocari? A principio generis humani erant semper duæ civitates, Dei & Diaboli. Sic igitur disputo. Quod in Ecclesia Diaboli reperitur, illud non est nota veræ Ecclesiæ: at antiquitas in Ecclesia Diaboli reperitur: ergo non est nota veræ Ecclesiæ. Præclara scilicet nota, quam non minús falsa Ecclesia, quám vera habet, quæq; non minús Ecclesiæ Diaboli, quám Ecclesiæ Dei convenit!

Quartum nostrum argumentum sic se habet. Patres nunquam senserunt, antiquitatem per se esse notam Ecclesiæ, sed antiquitatem esse ex veritate dijudicandam. Tertullianus in Apologetico contra Gentes cap. ult. pauló ante mediũ, sic scribit: *Antiquior omnibus veritas, ni fallor.* Et eodẽ loco subjungit. *Hoc mihi proficit antiquitas, præstructa divina literatura, quó facilé credam, thesaurum eam fuisse posteriori cuiq; sapientiæ.* Ergo nihili est antiquitas, nulliusq; plané momenti, sine literatura divina. Idem Tertullianus in libro de velandis virginibus hæc verba habet. *Veritas sempiterna, & antiquare est.* Et pauló póst: *Hæreses non tam novitas, quám veritas revincit. Quodcunq; adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo.* Ergo qui volunt probare, aliquod dogma novum esse; illud falsum

ſum eſſe probent: qui antiquum, verum. Cyprianus in Epiſt. 74. ad Pompejum ſic ſcribit: *Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt.* Docet Cyprianus, antiquitatem ſine veritate nihil valere: veritas ergo plus valet, quám antiquitas. Idem Cyprianus in Epiſt. 63. hæc verba habet: *Si ſolus Chriſtus audiendus: non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit; ſed quid qui ante omnes eſt, Chriſtus, prior fecerit. Neq; enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem.* Sic ille contra antiquitatem veritate vacuam loquitur: ſic nos contra Adverſarios. Quid quód Ethnici etiam hoc eodem antiquitatis argumento contra Chriſtianos uſi ſunt? Sic enim Symmachus quidam ſenatorii ordinis tempore Theodoſii, in Epiſtola quadam ad Theodoſium, quæ extat apud Ambroſium lib. 5. Epiſt. 30. atque etiam apud Prudentium poëtam: *Si longæ ætas authoritatem religionibus faciat, ſervanda eſt tot ſeculis fides, & ſequendi ſunt nobis parentes, qui ſequuti ſunt feliciter ſuos.* Hæc eſt ipſiſſima Papiſtarum vox. Et poſtea docet idem Symmachus, hos ipſos majores ſuos, quos ille antea parentes appellavit, feliciter Rempublicam adminiſtraſſe per longam annorum ſeriem, religionem Ethnicam amplexos. Sed legite quid Ambroſius & Prudentius huic reſpondeant. Id certé reſpondent, quod nos Adverſariis, antiquitatem ſine fide & veritate nullũ pondus habere. Auguſtin. in lib. de quæſt. veteris & novi Teſtamẽti, quæſt. 114. ſic ſcribit: *Pagani antiquitatis cauſa verum ſe tenere contendunt, quia quod anterius eſt (inquiunt) falſum eſſe non poteſt; quaſi antiquitas aut vetus conſuetudo præjudicet veritati.* Nónne ſic Papiſtæ ſe verum tenere contendunt propter antiquitatem? quibus nos ſic reſpondemus,

ut Augustinus Paganis; nullam antiquitatem, aut consuetudinem vetustam, præjudicare debere veritati. Et eodem in loco non ita multó ante hæc verba idem Augustinus ait, hunc esse morem Diabolicum. *Asperſit* (inquit) *quædam præstigia*, Diabolus scilicet, *per quæ illiceret homines ad errorem, & sic factum est, ut per traducem antiquitatis commendaretur fallacia.* Quare semper oportet ab antiquitate ad veritatem provocare, conjunctam cum veritate venerari, separatam verò relegare, ut præstigiatricem. Legimus Atheniensis ab Apolline quæsiviſſe, quis esset cultus optimus; quibus ille, qui est antiquissimus: at cùm illi rursum quærerent, quis esset cultus antiquissimus; respondit ille, qui optimus. Sic Apollo Deus ille Ethnicorum. Quibus verbis innuebat, antiquitatem cujusq; religionis, ex cjus bonitate metiendam atque æstimandam esse. Ignatius in epistola ad Philadelphenses sic scribit: *Audivi quosdam dicentes, nisi Evangelium in antiquis invenero, non credam.* Quibus sic Ignatius: τοῖς δὲ τοιούτοις ἐγὼ λέγω, ὅτι ἐμοὶ ἀρχεῖά ἐστιν Ἰησοῦς ὁ χριστὸς, ἃ πρὸ παντὸς τοῦ αἰῶνός ἐστιν τὰ ἄθικτα. *His ego dico, Jesum Christum mihi pro archivis esse, cui non parêre manifestum est exitium.* Sic adversarii ab antiquitate ad veritatem redeant oportet. Hæc docent, nihil antiquitati sine veritate tribuendum esse: ergo priús de veritate constet oportet, quám antiquitas urgeatur.

Sed demus hoc Adversariis, antiquitatem esse Ecclesiæ notam, & fingamus jam argumentum ab antiquitate ductum esse firmum: num ex hoc causam evincunt? nequaquam. Negamus enim, Romanam Ecclesiam esse antiquissimam. Nam Hierosolymitana Ecclesia est Romanâ antiquior, huic proxima est Antiochena, & aliæ multæ Ecclesiæ fuerunt Romanâ

nâ antiquiores. Si ergo antiquissima Ecclesia optima sit, tum Romana non est optima; quia aliis multis Ecclesiis posterior fuit. Sed forsan dicent, nullam jam supereſſe Ecclesiam, quæ Romanâ sit antiquior. Hoc nihil ad rem. Fuerunt enim olim post quadringentos á Christo annos & antea, celeberrimæ Ecclesiæ in perpetua successione Episcoporum: tum ergo Romana Ecclesia non fuit antiquissima; non valuit tum argumentum ab antiquitate ductum. Nam si sic disputant: Antiquissima Ecclesia est optima; tum non Romanam, sed Antiochenam, & Hierosolymitanam, optimam fuisse dicant necesse est. Et tamen his etiam adhuc florentibus ecclesiis Romanam præponunt. Ergo ipsi suam antiquitatem evertunt. Legimus de Samaritana Ecclesia Act. 8. de Antiochena Act. 11. de Romana verò non nisi multò pòst. Quomodo ergo antiquior est Romana Ecclesia reliquis? Fide & veritate dicant necesse est, si antiquior sit omnino, non tempore: veritas ergo est Ecclesiæ nota, á qua Adversarii nostri refugiũt semper, sed obtorto collo sunt ad illã semper retrahẽdi. Jam igitur pergamus, & doceamus, non esse veritate antiquiorem. Id verò ex eo facilé probari potest, quód non retineat instituta majorum, & fidem antiquam, atq; Apostolicam; sed nova dogmata, & novam fidem profiteatur; qua de re postea in alia Quæstione erit dicendum. Multæ enim apertæ hæreses ab illa Ecclesia tenentur, & dogmata multa ab hominibus inventa. Exempli causâ, Primatus Romani Pontificis, hoc est, authoritas & jurisdictio ejus in universum orbem, humanum dogma est; de quo neque Christus, neque Apostoli, verbum unum dixerunt. Papæ eam tyrannidem sibi paulatim vendicarunt. De Victore

legitimus Pontifice Romano, qui alioqui vir bonus fuit, nam sanctitatē professus est, & ut quidam volunt, martyr etiam fuit, sed hanc rem in dubio relinquemus. Ille primus omnium conat⁹ est jurisdictionem per vim in externas Ecclesias exercere, quia noluerunt Pascha Romano more celebrare. Legite hac de re Eusebium lib. 5. Ecclesiast. hist. cap. 24. Oppugnatus ille fuit, & reprehēsus ab Irenæo; displicuit etiam aliis multis Catholicis Patribus, & Ecclesiis. Hæc fuerunt incunabula tyrannidis Pontificiæ. Quanquam ille vir bonus fuit: potuit tamen errare, & Antichristo quasi fenestellam quandam aperire. Ex quo intelligimus, illud Bezæ verum esse posse, quod Sanderus in ipso reprehendit, quosdam pios & orthodoxos Patres per imprudentiam Antichristo viam prę-muniviſſe. Videte Bezam in annotation. in 2. Thes. 2. Fieri certé hoc facillimé potuit. Sed videamus hujus tyrannidis incrementa. Postea Zozimus, Bonifacius secundus, & Celestinus, Pontifices Romani, legatos mittunt ad Concilium Carthaginense sextum, cui interfuit Augustinus, & á Patribus illius Concilii petunt, ut liceret transmarinis Episcopis ad se provocare; & ut hoc probarent suum jus esse, Canonem quendam Nicæni Concilii ementiti sunt. Illi respondent, se nihil tale meminisse, sed velle id exquirere. Postea rescribunt, re cognitâ, nullum talem Canonem fuisse, & Celestinum graviter reprehendunt, & decretum faciunt, ne quis postea ab Africa ad Romam provocaret. Augustinus, Optatus, Aurelius; & alii pii Episcopi numero 217. hoc decreverūt. Postea cœperunt de primatu contendere duæ nobiles Ecclesiæ, Romana, cujus Episcopus fuit Gregorius, & Constantinopolitana, cujus Episcopus fuit Joannes.

Gre-

Gregorius Antichristianum esse dixit, quenquam se universalem Episcopum appellare. Tandem Bonifacius tertius ad sedem Pontificiam accessit. Ille á Phoca Imperatore impetravit, ut ipse OEcumenicus Episcopus vocaretur. Sic possumus hac in re, hoc est, in primatu, sex illa Bellarmini demonstrare, de quibus priús, nempe authorem, tempus, locum, & reliqua. Jam progredior, & doceo, quæ alia nova dogmata ab Adversariis teneantur, nunquam antea in Ecclesia Dei audita, in quibus cum antiquis etiam hæreticis consentiunt. *Primó*, veteres hæretici non erant solis scripturis contenti, sed traditiones quasdam urgebant, quas ad Apostolos authores referebant. Sic Marcion, sic Valentinus, sic Cerinthus, sic Basilides, de quibus Irenæus lib. 3. cap. 2. & cap. 5. scribit, illos nõ fuisse contentos scripta doctrina Apostolorum, sed abstrusiora quædã quæsiviisse. Nónne similiter, quæso, hodie faciunt Papistæ, Adversarii nostri? Hoc manifestum est. Negant enim illi, Scripturam esse perfectam. *Secundó*, Apostolus Paulus ait 1. Tim. 4. hæreticum esse, & Diabolicum dogma, prohibere nuptias & cibos. Adversarii dicunt, Montanum hoc in loco intelligi. At nos dicimus, illos á Montano hoc accepisse. Sic enim de illo Eusebius in libro 5. Ecclesiasticæ suæ historiæ cap. 17. in Latino codice cap. 18. *Hic ille est, qui primus de jejuniis leges tulit, & nuptias solvit.* Verba in Græco codice sic se habent: ὗτός ἐστιν ὁ διδάξας λύσεις γάμων, ὁ νηστείας νομοθετήσας. Nam antea procul dubio jejunabant Christiani, sed liberé & voluntarié, non ex imperio, & lege præcepti, ut ait Tertullianus in lib. contra Psychicos, qui hoc in Christianis reprehendit, cúm esset hæreticus Montanista. Sunt ergo Papistæ hac in re Montanici,

ut in aliis multis. Hinc patet, quale debeat esse jejunium Christianum, nempe liberum & voluntarium, & nulli legi astrictum. Nec Montanistis tantúm in suis jejuniis, verum etiam Manichæis similes sunt Adversarii nostri. Manichæorum enim jejunium fuit positum in delectu ciborum: abstinebant illi á carnibus: interim aliis deliciis ad satietatem usque vescebantur. At hoc non est jejunium. Caro enim bovis, non magis pugnat cum jejunio, quám caro piscis. Hac de re legite Augustinum lib. 2. de moribus Ecclesiæ & Manichæorum cap. 13. & sequentibus. Præterea dogma de Purgatorio nunquam fuit vulgó probatum in Ecclesia ante Gregorium Magnum. Panis speciem solam in communione adhibendam esse, statuerunt Manichæi, ut docet Leo in sermone 4. de quadragesima: sic Papistæ. Imagines colendas esse, Adrianus primus cum Concilio Nicæno secundo docuit, contra apertas Scripturas. Cælibatum Ministris verbi præscripsit Syricius primus, ut habetur apud Gratian. distinct. 82. capite, *Proposuisti.* Transsubstantiationem quoad rem primus sanxit Nicolaus secundus, qui docuit corpus Christi sensualiter tractari, frangi, & dentibus teri, ut est apud Gratian. de consecratione, dist. 2. capite, *Ego Berengarius:* quoad nomen, Innocentius tertius in Concilio Lateranensi. Thomas Aquinas primus inventor fuit concomitantiæ. Ecclesiarum & altarium consecrationes, Hyginus & Sylvester primi invenerunt, ut est apud Gratianum distinct. 1. de consecratione. Sacrificium non esse celebrandum in panno serico, sed in lineo vel linteo ab Episcopo consecrato, Eusebius & Sylvester Papæ statuerunt, ut est apud Gratianum de consecratione, distinct. 1. cap. *Consulto.*

Conci-

Concilium Triburienſe vetuit primúm Sacramenta celebrari in vaſculis ligneis; ne unde placari debet, inde iraſcatur Dominus, ut eſt apud Gratian. de conſec. diſtinct. 1. cap. *Vaſa.* Qui primus clericos juſſit caput deſuper radere in modum ſphæræ, is Papa fuit, quem Anicium Gratianus vocat, diſtinct. 23. cap. *Prohibete.* Thus & ſuffitum Leo tertius invênit, ut docet Platina in vita Sixti primi; ubi etiam narratur, á quibus Miſſæ officium ordinatum, & myſteria ejus paulatim aucta ſint. Sacramentum eſſe á jejunis celebrandum, fuit decretum á Carthaginenſi Concilio, ut eſt apud Gratian. de conſecrat. diſtinct. 1. cap. *Sacramenta.* Eſſet infinitum, hujusmodi infinita perſequi. Ita Romana Eccleſia, & religio, nuper inventa fuit á malé feriatis Pontificulis, & Epiſcopis larvatis. Fruſtra igitur jactant Adverſarii antiquitatem.

CAPUT QUARTUM.

In quo tertia Eccleſiæ nota á Bellarmino propoſita infringitur.

DE duabus Eccleſiæ notis Bellarminianis diximus: ſequitur jam tertia. Tertiam veró Eccleſiæ notam facit durationem diuturnam, & minimé interruptam; quæ á ſuperiori nota in hoc diſentit, quód illa tempus præteritum, hęc futurum reſpiciat. Eccleſia ſemper fuit, & ſemper erit: ergo (inquit) Catholica dicitur. Atque hîc teſtimoniis quibusdam & argumentis, Eccleſiam Catholicam perpetuam fore, & ſemper duraturam eſſe, probat: quod nos minimé negamus. Eſt enim pars fidei noſtræ, credere Eccleſiam Catholicam perpetuam fore: ſed nulla pars fidei noſtræ eſt, credere Romanam Eccleſiam eſſe Catholicam. Quando veró Scriptura Eccleſiam

fore æternam affirmat: non hanc aut illam visibilem Ecclesiam intelligit, sed illam, quæ in petra, hoc est, in Christo fundata est, contra quam portæ inferorum non prævalebunt, id est, Ecclesiam electorum, ad quam nulli homines improbi pertinent, quemadmodum nos antea probavimus. Huc spectat, quod Daniel. 2. 44. dicitur, *Regnũ quod in æternum non dissipabitur.* Quibus verbis significat Propheta populum illum, in quo Christus per Spiritum regnat, quem esse perpetuum nos agnoscimus. Hîc Bellarminus confusé multa congerit, quæ ego in formã argumẽti redigã. Sic igitur videtur ille disputare: Ecclesia Catholica perpetuó durabit: Romana Ecclesia perpetuó durabit: ergo Romana Ecclesia est Ecclesia Catholica. *Respondeo* 1, vitiosum hunc esse syllogismũ, quia cõcludit affirmativé in secunda figura; at secunda figura nullam habet conclusionem affirmativam. 2. *Respondeo:* attuliſſe quidem illum aliquid, quo probet Ecclesiã Romanam hactenus duraviſſe, sed deinceps duraturam esse non probat, nec illud quidem probare potest. Deficere enim potest Ecclesia Romana, & tamen Catholica remanere. Sed corrigamus hunc Adversarii syllogismum, & sic fingamus eum disputare. Quæcunque Ecclesia perpetuó durabit, ea sola est Catholica Ecclesia: at Romana Ecclesia sola perpetuó durabit: ergo sola Romana Ecclesia est Ecclesia Catholica. *Respondeo:* nullam partem hujus syllogismi integram esse. Major aperté falsa est. Minor nullo argumento confirmatur. Quod ad majorem attinet, etsi concedamus Ecclesiam Catholicam perpetuó duraturam esse, quia in petra ædificatur, & in firmo ac solido fundamento consistit, hoc est, in Christo, *Fundamentum ejus in montibus*, inquit Propheta in

ta in Psalmis: tamen nõ sequitur continuó, omnem Ecclesiam veram esse & Catholicam Christi Ecclesiam, quę perpetuó durabit. Nam Satanæ etiam Synagoga, hoc est, Antichristi & malorum hominum Ecclesia, ad finem usque mundi durabit: semper cum tritico palea erit usque ad ventilationem: zizania usque ad messem erunt in agro cum bono frumento, ὁ δὲ θερισμὸς συντέλεια τοῦ αἰῶνος, *messis verò est consummatio mundi*, Matth. 13. 39. hœdi ab agnis non ante diem judicii separabuntur: & Antichristum Christus præsentiâ suâ gloriosâ, hoc est, secundo suo adventu, non antea, opprimet, & evertet: ergo Diabolus Ecclesiam habebit usque ad finem mundi. Et Christus cúm venerit ad judicium, paucos fideles inveniet: ergo etsi ad illud tempus Ecclesia durabit, tamen major tum erit Satanæ Ecclesia, quám Christi. Nos quidem concedimus, Ecclesiam perpetuam esse, & nunquam extingui posse, ne ulla quidem persecutione, ut Bellarminus ait. Ut enim aquæ diluvii, palatia Regum obruebant & dejiciebant, Arcam verò Noë semper magis ac magis attollebant & sustentabant: ita persecutiones terrena regna facilé destruunt, ac dissipant, Christi verò Regnum non destruunt, sed illustrius reddunt. Nos hæc omnia concedimus. Sed debuit ille probare, nullam Ecclesiam falsam diu duraturam esse. Hoc ille omnino non probat; quod tamen fuit maximé probandum. Justinus Martyr in dialog. cum Tryphone ait, persecutionem id esse Ecclesiæ, quod est vineis putatio. Ut *enim vineæ* (inquit) *putatione ad ubertatem provocantur: ita quoq; Ecclesia persequutionibus crescit*. Tertullianus in Apologet. cap. ult. vocat *sanguinem Martyrum, semen Christianorum*. Leo in sermone primo de Petro &

Paulo sic scribit: *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Hæc omnia vera sunt, & alia multa hujusmodi afferri possent. Sed etsi centum hujusmodi testimonia cumulet: tamen nihil efficit, nisi hæc duo probet, *primó*, solam Christi Ecclesiam Catholicam, esse perpetuó duraturam; *secundó*, Romanam Ecclesiam esse illam Catholicam Christi Ecclesiam, quæ sic perpetuó duratura est. Hæc ille non probat; sed interponit tamen quædam, ex quibus eum hæc voluisse probare intelligamus; quæ cujusmodi sint, videamus.

Primúm igitur probat, nempe solam Ecclesiam Catholicam duraturam esse, ex 2. Tim. 3. 9. ubi Paulus de hæreticis loquens ait: *Non proficient ultrá; nam illorum amentia manifesta erit omnibus.* Hinc vult concludere, nullam hæreticam Ecclesiam posse diu durare. *Respondeo:* & quæro ab Adversario, an hic hujus loci sensus sit, hæreticos in posterum nihil valituros esse? At hic sensus aperté falsus est. Nam multi deinceps orti sunt hæretici, Ebion, Cerinthus, Basilides, Arius, & alii, qui multum valuerunt. Et in hoc eodem capite vers. 13. Apostolus ait, προκόψουσιν ὅτι τὸ χεῖρον, πλανῶντες, καὶ πλανώμενοι, *proficient in pejus, seducentes, & seducti.* Et fore in Ecclesia hæreses ad finem mundi, Scriptura prædixit. Itaque non rectè hunc locum interpretatur Bellarminus. Alium igitur sensum quæramus, necesse est. Thomas Aquinas meliús in hunc modum. *Ultra quám Deus permittit, non proficient.* Atque hic quidem sensus tollit Adversarii argumentum. Neque tamen hic verus sensus est. Sed verus sensus est hujusmodi; si pii Ministri & Pasto-

Pastores suum officium fecerint diligenter, fore ut hæretici, & ψευδοδιδάσκαλοι, non tantum proficiant, quantum vellent. Fallent quidem aliquos fortasse; sed pios, fideles, & cordatos homines non fallent. Fore enim, ut fallant aliquos, patet ex vers. 13. ubi Paulus ait, πονηροὶ δὲ ἄνθρωποι καὶ γόητες προκόψουσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον, *improbi homines, & impostores, procedent in pejus.* Et ne forte quis putet ipsos solos pejores futuros esse, Paulus addit fore, ut alios etiam seducant, πλανῶντες (inquit) καὶ πλανώμενοι, *seducentes & seducti.* Ergo non ipsi tantúm seducti erunt, sed alios etiam secum in errorem ducent. Hic ergo locus non probat id, quod Adversarius maximé videri vult probare, hæreticam Ecclesiam non esse diu duraturam. At Cyprianus (inquit) in lib. 4. Epist. 2. ait, *schismaticos semper inter initia fervere, incrementa verò habere non posse, sed statim cum prava sua æmulatione deficere.* Et Augustinus in Psalm. 57. in illa verba, *Ad nihilum devenient, tanquam aqua decurrens*, sic scribit: *Non vos terreant, fratres, quidam fluvii, qui vocantur torrentes: decurrit aqua, ad tempus strepit, mox cessabit, diu stare non possunt. Multæ hæreses jam emortuæ sunt, cucurrerunt in rivis suis; quantum potuerunt, decurrerunt: siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint.* Hæc Augustinus. Quibus verbis hæreses torrentibus comparat, qui ad tempus perstrepunt, & extra ripas diffluunt, sed tamen cessant mox, & exarescunt prorsus. Hinc illud vult efficere Bellarminus, nullos hæreticos diu durare. *Respondeo* 1: hoc non perpetuó verum esse, ut hæretici statim deficiant: nec opinor id sentire vel Cyprianum, vel Augustinum. Nã quidam hæretici diu durârunt, ut Ariani, & Mahometani. Mahometani jam mille annos durârunt: Ariani circiter mille ducentos annos. Nõ est ergo hoc

de omnibus hæreticis verum. Aliqui certé hæretici ſtatim feré deficiunt, & in nihilum evaneſcunt, ſed non omnes. 2. *Reſpondeo*: Etſi verum ſit, quod hi Patres ajunt de ſingulis hæreſibus, hanc nimirum, & illam hæreſin, non eſſe perpetuam, nec diu durare: tamen Satanas ſemper habet, ſemperq; habebit unam aut alteram eccleſiam hæreticam in mundo, aliquando plures, aliquando pauciores; ſemper autem aliquam; quod ad cauſam noſtram non parum intereſt. Nam ſive Satanæ eccleſia in una hæreſi propagatur, ſive in multis; modó propagetur, & continuetur, & duret, duratio non poteſt eſſe nota Eccleſiæ catholicæ. 3. *Reſpõdeo*: Interim dum illæ hæreſes obtinent, & florét (nam unaquæque hæreſis habet ſuam ἀκμὴν:) dum, inquam, ſunt in ſuo vigore: quæro quę nota ſit Eccleſiæ Catholicæ, quâ illam ab hæreticis Eccleſiis diſtinguamus? An duratio? At hanc tum notam eſſe nõ poſſe probo, quia tum incertum eſt, donec hæreſin illam, quæ jam floret, penitus extinctam videamus, utrũ perpetuó duratura ſit, nécne. Ergo neceſſe eſt, ut aliam notam quæramus, & hæc quid aliud eſt, aut eſſe poteſt, quám religio? At nunc forſan dicent, hæreſes ad finem veniſſe: nunc igitur duratio nota eſt. Imó ne nunc quidem. Noſtram enim eccleſiam illi volunt hęreticam eſſe, quam nos ad finem uſq; mundi duraturam eſſe minimé diffidimus.

Secundó, probat Bellarminus, Eccleſiam Romanã hanc eſſe, quæ perpetuó durabit.

Primum ejus argumentum eſt huiusmodi. Quávis hæretici (inquit) non concedant, Eccleſiam noſtram durâſſe annis 1577: concedunt tàmen durâſſe ſine ulla interruptione, á Gregorio primo hucuſq;, id eſt, annos feré mille; quod tempus longius eſt, quám fuerit

erit ætas ullius hæreseos. *Respondeo* 1: hoc argumentũ pertinere potiús ad secundam notam de antiquitate. Probat enim potiús, illorum Ecclesiam esse antiquiorem ulla Ecclesia hæretica, quám perpetuó duraturam. Nam etsi tamdiu duravit: tamen incertum est, an in posterum durabit. Duravit etiam Ecclesia Constantinopolitana ad longum tempus, quæ jam non extat. 2. *Respondeo*: Duravisse quidem á Gregorio faciem quandam externam ecclesiæ, & successionem externam hominum, qui se Episcopos vocârunt, cũ re vera non fuerint: sed hæc facies admodum varia, & hæc successio incerta admodum fuit. Schismata enim inter illos multa fuerunt, supra viginti scilicet, ex quibus quædam centum annos duraverunt. Unus Episcopus Romanus excommunicabat alterum; ut quis fuerit Papa legitimus, minimé constaret. Tres simul Papæ fuerunt; unus in Hispania, in Gallia alter, tertius in Italia; & nullus illorum legitimus fuit. Nam omnes in Concilio Constantiensi uno ictu jugulati sunt, & munere suo abdicati, novusq; Papa est electꝰ. Ubi interim fuit petra illa, in qua ecclesia fundatur? Ubi visibile illud Ecclesiæ fundamentũ, quod Adversarii nostri statuunt? In aëre forsan. nam in terra certé non fuit. Ecclesia tamen Christi tum fuit in mundo; quæ non nititur infirmo illo fundamento Paparũ; sed fundamẽto certissimo, & firmissimo, scilicet Christo. 3. *Respõdeo*: Etsi fuisset in illorũ ecclesia certa Episcoporũ successio, eaq; nunquã interrupta, ad hũc usq; diem: tamen dico hanc successionem nihil valere, nisi probare possent similiter, fidei & doctrinæ successionem nõ interruptam, in illa ecclesia fuisse. Licét enim non ante Gregorii tempora, tamẽ postea interruptam fuisse in illorũ ecclesia doctrinę

ſucceſſionem conſtat, quod nos facilé probare poſſumus. Exempli causâ. Gregorius anno poſt Chriſtũ ſexcenteſimo, OEcumenicum Epiſcopum vocari ſe noluit, ſed nomẽ ipſum Antichriſtianum eſſe dixit. At ejus ſucceſſor, hunc titulum ab Imperatore mercatus eſt; eoque omnes Epiſcopos Romanos, ab illo tempore, ad noſtram uſque ætatem, uſos eſſe novimus. Ita nomen Antichriſtianum apud illos manet, & res quoque. Similiter in aliis partibus religionis, adeoque in toto habitu formaque Eccleſiæ, factam deinceps eſſe mutationem, & inverſionem apud illos, probare poſſumus. Ex Gratiano enim, & Conciliis, conſtat, quoto anno, hoc dogma, hic ritus, hæc cęremonia, illud inſtitutum cœperit: quis quidque invenerit, & quomodo paulatim ad hunc ſtatũ pervẽtum ſit. Et certé quando illorum doctrinam cum doctrina Apoſtolorum comparamus (eadem enim docuerunt Apoſtoli, quæ ſcripſerunt, & non alia) & illi in tam multis religionis capitibus diſſimilem eſſe oſtendimus: quis tam amens eſt, ut neget, mutationem longé maximam in illorum Eccleſia factam eſſe? 4. *Reſpondeo*: Quod ait, hoc tempus á Gregorio Magno eſſe longius, quám fuit tempus ullius hæreſeos: etſi negari poteſt (nam Ariana hæreſis diutiús duravit, etſi non inter nos, at alibi:) tamẽ hoc nihil pro illis, aut contra nos facit. Nam Antichriſti regnũ diuturnum eſſe oportuit. Et ſi nulla hæreſis tamdiu duravit: tamen Judaiſmus & Paganiſmus diutius duravit, & ſic duratio non eſt eccleſiæ nota. Notæ enim eccleſiæ eæ eſſe debent, quę eccleſiam á Paganis & Judæis etiam diſtinguant, quemadmodum ab hæreticis & ſchiſmaticis, ut Stapletonus fatetur.

Secundum Bellarmini argumentum eſt hujusmodi.

Noſtram

Nostram Ecclesiam (inquit) esse veram Ecclesiam, probari potest etiam hoc argumento. Ante Lutheri tempora non erant in mundo, nisi hæ religiones, Paganismus, Judaismus, Mahometismus, Græcismus, Nestorianismus, Hussitarum hæresis, & Romana Ecclesia. Sed certum est (inquit) non fuisse veram ecclesiam Christi apud ullam ex prædictis sectis, ut etiam Lutherani fatentur: ergo fuit apud Romanam Ecclesiam; aut certé periit de mundo omnis vera & visibilis Ecclesia, quod non posse fieri suprá docuimus (inquit) *Respondeo* 1: Non probat id, quod instituit probare, nempe ecclesiam Romanam esse perpetuó duraturam. Tantúm probat diu durâsse, quod ad priorem potiús notam, quám ad hanc spectat. 2. Dico, non esse hanc sufficientem divisionem, quam affert. Nostra enim ecclesia tum fuit. At non fuit visibilis, inquit. Quid tum? an ideo non fuit? Nequaquam. Latebat enim tum in solitudine. Nos certé possumus probare ex antiquitatis testimoniis, fuisse omnibus seculis in mundo, qui nostram fidem tenuerunt, etsi non tam multos, quám fuerunt illorum adversarii, nec in una sede, & successione hominum. Fuerunt enim etiam in ecclesia Romana, qui Papæ & vitam & fidem perpetuó improbârunt, quique idem de religione senserunt, q̃ nos sentim⁹. In Papatu nostram fuisse Ecclesiã, nos suprá docuimus. 3. Si per visibilem Ecclesiam intelligat successionem unam illustrem, & multitudinem omnibus conspicuam, tum non necesse esse dicimus, Ecclesiam semper esse talem. Sin homines visibiles intelligat, fuerunt multi singulis seculis, ut non sequatur, Romanam ecclesiã esse veram, quia nulla alia ecclesia fuit. Fuit enim alia: imó Græcismus multó melior Ecclesia fuit, quám

Romana. Ergo falsum est, periisse Christi Ecclesiam de mundo, si Romana illa non fuit.

Sed progreditur Adversarius, & *tertium* suũ argumentum proponit in hunc modum. Theodoretus (inquit) in lib. de hæreticis fabulis, enumerat septuaginta sex diversas hæreses usque ad sua tempora exortas, & lib. 3. ejusdem operis testatur, omnes illas extinctas fuisse, pauciſſimis exceptis. Et Augustinus in lib. de hæresibus, numerat octoginta octo hæreses, ex quibus plurimas periisse testatur, in expositione Psal. 57. Et nos (inquit) numeramus usq; ad tempora Lutheri, ducentas hæreticorum diversissimas familias, ex quib' non supersunt nisi reliquiæ tantúm Nestorianorum & Eutychianorum in Oriente, & Hussitarũ in Boëmia, reliquæ omnes funditus interiernnt. Atque hoc amplificat, & mirabili Dei providentiâ factũ esse dicit, quód cúm tam multi hæretici fuerint, quorum nonnulli habuerunt Episcopos multos, ecclesias multas, multos potentissimos patronos & Imperatores & Reges, & scripserunt libros innumerabiles: ita tamen evanuerunt, ut nec libri illorum, nec dogmata, nec nomina, aut vestigia ulla, nisi in libris Catholicorum remaneant. Romana veró ecclesia ampla jam diu & illustris fuit, & rebus potita est: ergo vera ecclesia est. Argumentum certé præclarum, fallendis imperitis accommodatum: sed si diligentiús examinemus, nihil omnino in se roboris habere, nihilque solidé concludere intelligemus. Nam 1. hæreses illas sic compressas esse, ut sese non ita nunc efferant, quemadmodum olim, fateor: at extinctas prorsus esse, probari non potest: cum ipse etiam quasdam reliquias Nestorianorum & Eutychianorum, adhuc supereſſe concedat. 2. Romanam sedem

dem diu durâsse, & imperium quoddam in alias Ecclesias exercuisse, non mirum videri debet: cúm id futurum esse de Antichristo, ejusque regno, Spiritus sanctus prædixerit. Ergo pompa, potentia, splendor, dignitas & amplitudo Papisticæ ecclesiæ, nihil nos movere debent, quippe quæ probent eam potiús Antichristianam esse, quám veram Christi Ecclesiam. Oportet enim Antichristum esse Monarcham, externis ornamentis decoratum, nec esse hostem Ecclesiæ externum, sed internum, ex ipsis Ecclesiæ visceribus natum & productum: aliter fallere non poterit Christianos. Sed fallet omnes, quemadmodum inquit Apostolus in libro Apocalypseos, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ. Et fallet quidem potentes, divites, & magnates hujus mundi: ergo potentem ipsum esse, necesse est. Ecclesiæ verò comes est persecutio, non pompa: paupercula est ecclesia, pusillus grex, exiguus numerus. 3. *Respondeo*: Nostros quidem non fuisse perinde illustres & conspicuos, atque illi fuerunt, qui ad Romanam Ecclesiam, & ad Papisticam Synagogam pertinebant: tamé non probat ista nostrorum obscuritas, nostram ecclesiam non diu duravisse. Fuerunt quidem nostri olim hinc atque hinc sparsi, & latebant quasi in solitudine, ut habetur Apo. 12. Illi autē sunt vera & Catholica Christi ecclesia, quicunq; Catholicam Christi fidem & religionem veré profitentur, & Christo ejusque Evangelio semper adhærescunt, etsi non sint ad certam aliquam sedem alligati: etsi non habeant Episcopos patronos, aut Imperatores, aut Reges: etsi in varia loca dispersi fuerint, hîc duo, illic duo: etsi denique maxima pars hominū aliā religionē publicé colat, & passim profiteatur. 4. Visibilem fore ecclesiam perpetuó in una aliqua sede certa, nunquam

probatum fuit ab Adversario, nec probari unquam potest. Nam ut Apostolicæ ferè omnes ecclesiæ eversę jamdudum sunt, Ephesina, Corinthiaca, Thessalonicensis, & reliquæ: ita fieri potest, ut Romana etiam ecclesia evertatur, idque quoad externam formam, sicut jampridem anima interiit. Eversam enim fuisse jamdiu in fide, quæ Ecclesiæ anima est, nos probamus. Si per perpetuó visibilem Ecclesiam, homines visibiles esse intelligat: verum est, Ecclesiá semper visibilem esse, homines enim perpetuó videri possunt: sin autem de successione Episcoporum in una certa sede intelligat; falsum est, hoc modo & sensu, Ecclesiám semper visibilem esse. Sed ista á nobis antea copiosé satis tractata sunt. 5. Quod ait, nec Lutheranos, nec Zuinglianos, nec Calvinistas, fore perpetuos: hoc incertum est. Quid enim ille potest de futuris statuere? In Dei manu omnia sunt: ille faciet, ut volet. Sed si nullæ fuerint nostræ apertæ Ecclesiæ: tamen suos Dominus servare & propagare novit, ut olim. Ita hoc argumentum, de quo ille tam magnificé gloriari videtur, splendidum magis est, quám solidum.

Quartum Bellarmini argumentum est ex Hieronymo & Augustino. Concludimus (inquit) cum sancto Hieronymo, & sancto Augustino. Hieronymi verò testimonium, ab illo citatum, habetur in dialog. contra Luciferianos in fine. *Brevem* (inquit Hieronymus) *apertamq; animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usq; ad diem hanc durat. Respondeo:* Nos fatemur id faciendum esse, quod ait Hieronymus. Adhærescendum enim est ad eam ecclesiã, & in ea ecclesia est permanendũ, quæ ab Apostolorum tempore duravit. Sed quæro,

an permanendum sit in ea Ecclesia, quæ ab Apostolis fundata, ab eorum doctrina defecit? Non audent, opinor, Adversarii id dicere; nec id, credo, Hieronymus sensit. De ecclesia igitur Apostolica, sive ab Apostolis fundata, distinguendum est. Alia enim in fide & doctrina Apostolorũ permanet, & in hac manendum est: alia Apostolorum fundamentũ, id est, doctrinam nõ retinet, nec in illorum fide permanet, & ab hac discedendũ est. Jã igitur quæstio huc deducitur, ut quæramus, an Ecclesia Romana in fide Apostolorũ permãserit, nécne. Et sic fidẽ & doctrinã, Ecclesiæ notam esse necesse est; quod negant Adversarii. Augustinum veró citat Bellarminus in lib. de utilitate credendi, cap. 17. ubi sic scribit Augustinus: *Dubitabimus nos illius Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica sede, per successiones Episcoporum, frustra circumlatrantibus hæreticis, culmen authoritatis obtinuit? Respondeo:* Augustinum non loqui de Romana ecclesia, sed de tota Ecclesia Catholica, per totum terrarum orbem tum sparsa, & disseminata, & in illa potiús Ecclesia permanendum esse ait, quám in Ecclesia Donatistarum, aut Manichæorum. Reddatur nobis illa Ecclesia, quæ fuit Augustini tempore, & nos in illius gremio libenter nosmet condemus. Sed anni jam mille ducenti fluxerunt ab illo tempore, in quo hæc locutus est Augustinus.

NUNC sequitur, ut argumenta nostra contra durationem proferamus. Sed non erit necesse in illis insistere. Ex his enim quæ dicta sunt, satis constat, hanc non esse idoneam notam. Fatemur quidem, & credimus, Ecclesiam duraturam esse in hoc mundo, & postea cum Christo in æternum regnaturam: sed esse semper ad unum locum, & ad unam certam se-

dem alligatam, negamus. Et quanquam duratio & perpetuitas Ecclesiam comitantur: tamen non sunt Ecclesiæ notæ. Nam *primó*, duratio ista non soli Ecclesiæ convenit: ergo non est hæc recta Ecclesiæ nota. Satanæ enim Synagoga, & Ecclesia malignantium, durabit etiam perpetuó ad finem usq; mundi. Licét ergo duratio Ecclesiam comitetur: non tamen solã Ecclesiam comitatur, ac proinde nõ est Ecclesiæ nota. Sic mortalitas humanam naturam perpetuó comitatur, & in humano genere ad finem usq; mundi durabit: non tamen est humanæ naturæ nota, quia tam brutis quám hominibus accidit. *Secundó*, nos quoque nostram Ecclesiam ad finem mundi duraturam esse nõ diffidimꝰ. Et de hac tertia Ecclesiæ nota, á Bellarmino proposita, hæc pauca dixisse sufficiat.

CAPUT QUINTUM.

In quo quarta Ecclesiæ nota á Bellarmino proposita examinatur & refellitur.

TRes commẽtitias Bellarmini notas sustulimus: nunc ad quartam accedamus. *Quarta* veró Bellarmini nota, est amplitudo & multitudo, & varietas credentium. Catholici. n. proprié sunt (inquit Vincentius Lirinensis) *qui tenent, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est.* Et nos quidem Ecclesiam Catholicam esse amplam fatemur, imó longé sané ampliſſimã; quia non modó omnia tempora, sed & omnia etiam loca, & nationes, omniaq; hominũ genera complectitur; idq; Catholicũ esse dicimus cum Vincentio, *quod semper, quod ubiq;, quod ab omnib. creditũ est.* Non tamen continuó Catholicũ illud est, quod á plurimis, & á maxima hominum multitudine, atque adeó ab omnib. passim hominib. tenetur; tum enim nihil erit Catholicum: sed quod á rectè sentientibus omni-

omnibus, semper, & ubiq;, creditur. Quod omnes passim rectè sentiētes, & Scripturā sequentes, tenēt, illud demū veré Catholicū est, nō quod omnes simpliciter homines tenent. Alioqui. n. Christū esse Patri ὁμοούσιον, nō esset Catholicū, quia major pars orbis aliquando contrarium tenebat. Sed omnes, Scripturæ regulam sequētes, ubiq; & semper sic senserūt. Atq; hoc quidem lóco, duo facit Bellarminus. *Primó*, probare conatur, amplitudinem esse ecclesiæ notā. *Secundó*, argumētū inde colligit, ꝑ Romana ecclesia.

Prius illud probat ex tribus Scripturæ testimoniis. *Primum* habetur Psal. 2. 8. Ubi Deus Pater Christo filio suo ait: *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terræ.* *Secundum* testimonium habetur Psal. 71. 8. Ubi Propheta de Christi regno vaticinatur, in hunc modum: *Dominabitur á mari usq; ad mare, & á flumine usq; ad terminos orbis terrarum.* *Tertium* testimonium sumitur ex Luc. ult. 47. & Act. 1. 8. Ubi Christus ipse dicit, prædicandum esse Evangelium apud omnes Gentes, initio facto á Hierusalem. *Respondeo:* Potuit sexcenta hujusmodi testimonia proferre. Sed una responsio sufficit omnibus. Spiritus sanctus in his aliisq; hujusmodi locis, nihil aliud docet, quā Ecclesiam tempore Messiæ non esse terminandam, aut circumscribendam Judææ finibus, ut antea, sed dilatandam esse extra fines Judææ, & complexuram esse omnes Gentes, & nullis terminis circumscribēdam, hoc est, per totum terrarum orbem propagandam esse. Ecclesia igitur ampla erit, ut hi loci testantur: tamen non ideo amplitudo est Ecclesiæ nota. Nam *primó*, etsi per omnes Gētes disseminandā esse Evāgelii doctrinā, & in singulis hujus mūdi provinciis futurā esse Ecclesiā, Spiritus S. prędixit: nō tamen

sequitur, omnes Gentes amplexuras, aut omnes homines in illis Gentibus & provinciis, quæ Evangelium recipiunt, ad Ecclesiam pertinere: sed sufficit, si aliquæ Gentes Evangelii doctrinam recipiant, & si in omnibus Gentibus aliqui, ad Ecclesiam pertineant. Tempore Augustini, quando Ecclesia amplissima fuit, nulla ferè natio erat, in qua non fuit ecclesia: tamen non potest Adversarius unam mihi Gentem nominare, quæ tunc tota suum Paganismum reliquerat. Imó plures tunc temporis Pagani fuerũt, quám Christiani. Africa Paganis plena erat. Augustinus rem habuit cum Grammaticis, qui Pagani erant, imó cum civitatibus totis. Pagani fuerũt in Italia, imó in ipsa Roma, inter Senatores, ex quorum numero fuit Symmachus, de quo priús dictum est. Amplam igitur futuram esse ecclesiam Scriptura prædicit, quia in omnibus locis, non quia in omnib. aut plurimis hominibus futura erat. In omnib. verò locis esse potest, & tamen in paucis hominibus. *Secundò*, etsi ecclesia tam latè propaganda fuit, quemadmodum Scripturæ testantur, & nos credimus: tamen non id simul, & uno tempore, sed successivè fieri oportuit, ut ipsi etiam Adversarii fatentur. Non enim statim ad omnes Evangelium pervênit, sed temporum successione. Quare nihil hinc contra nostram Ecclesiam concludi potest. Licét enim Ecclesia nostra tam ampla nondum fuerit, ut per totum orbem disseminetur: tamen potest successivè ad locos omnes pervenire, atq; ita amplissima esse etiam hoc modo. Quid enim futurum sit de nostra Ecclesia in posterum, illi nescIunt. Dum hoc constiterit, nihil contra nos possunt concludere. *Tertiò*, quod Christus apud Lucam ait, Evangelium prædicandũ

esse

esse omnibus Gentibus: hoc arguit, Evangelium esse notam Ecclesiæ; quia hoc illud est, quod Ecclesiam amplam facit. Nam si Ecclesiæ amplitudo sit per Evangelium, tunc Evangelium magis est nota Ecclesiæ, quám amplitudo. Quod enim est causa, ut ecclesia sit ampla, illud magis causa est, ut Ecclesia sit: ergo si Evangelium causa sit amplitudinis Ecclesiæ, tum multó magis Ecclesiæ ipsius causa est. Ex quo sequitur, Evangelium magis esse notã ecclesiæ, quám amplitudinem. Atque sic ad nos tandem redire coguntur Adversarii in omni nota. Sequitur Ecclesia Evangelium, & ubi est Evangelium, ibi est ecclesia: ex Evangelio ergo ecclesia est dijudicanda.

Jam veró *secundó* Adversarius hinc argumentum depromit, pro Ecclesia Romana. Sed priús ait, quatuor esse de hac nota observanda. *Primum* est, ut ecclesia sit Catholica, non excludi ulla tempora, loca, vel hominum genera: quod nos fatemur, & verum esse agnoscimus, si de illa ecclesia loquatur, quæ post Christum fuit. *Secundum* est, non requiri, ut ecclesia sit in omnibus hominibus totius mundi, sed tantúm ut in omnibus provinciis aliqui sint de Ecclesia. Et hoc quoq; nos agnoscimus, sed hoc contra amplitudinem prætensam facit vel maximé. Hinc. n. nos cõcludimus contra Adversarium, amplitudinem non esse Ecclesiæ notam, quia ecclesia potest in paucis esse. Sufficit enim, si sit tantúm in quibusdam hominibus singularum Gentium. *Tertium* est, non requiri, ut simul sit Ecclesia in omnibus Gentibus & Provinciis, sed satis esse, si hoc fiat successivé in singulis. Et hinc ait sequi, quod si vel una provincia retineret veram fidem, adhuc veré & proprié diceretur Ecclesia Catholica. Quam nos ingenuam illius confessio-

nem amplectimur, & ex eâdem duo colligimus. *Primum* est, fidem esse notam Ecclesiæ Catholicæ, ex Bellarmini verbis. Nam ille ait, si vera fides in una Gente aut provincia sit, ibi esse Ecclesiam Catholicam. *Secundum* est, amplitudinem non esse notã Ecclesiæ. Nam si in una provincia Ecclesia esse potest, & non in reliquis: potest aliquando non ampla esse. *Quartũ* illud, quod de hac nota vult observari, hoc est, necessarium nunc esse, ut Ecclesia aut sit, aut fuerit in majori parte orbis terræ, quia omnium consensu jam senuit. Sed nos nullam Ecclesiæ senectutem agnoscimus, quemadmodum nec Dei. Nunc quomodo ex his argumentũ suũ depromat Adversarius, videam.

His hoc modo præmissis, accedit deinceps Bellarminus ad argumẽtum suum, quo probat, Ecclesiam Romanam esse amplissimã, & per consequens Catholicam. Argumentum ejus sumitur ab enumeratione seculorum & regionum. Ecclesiam nostram (inquit) maximam partem orbis occupâsse, & esse veré Catholicam, sic probatur. Tempore Apostolorum cœpit in toto mundo fructificare, ut Paulus dicit Coloss. 1. 6. deinde Irenæi tempore erat sparsa per totum orbem, id est, per omnes provincias tunc cognitas, id quod ipse refert lib. 1. cap. 3. Idem refert postea de suo tempore Tertullianus in lib. contra Judæos, cap. 3. Idem postea Cyprianus in lib. de unitate ecclesiæ. Idem postea Athanasius in lib. de humanitate Verbi. Idem postea Chrysostomus, & Hieronymus in Matth. 24. & Augustinus in Epist. 78. & 80. ad Hesychium; nec non Theodoretus in lib. de legibus, & Leo Magnus in serm. 1. de sanctis Petro & Paulo, ac S. Prosper, qui in lib. de ingratis ita cecinit,

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris

Facta

Facta caput mundo, quicquid non possidet armis,
Religione tenet.

Hinc ille vult concludere, illorum Ecclesiam esse Catholicam, quia est amplissima. *Respondeo*: ex his Patrum testimoniis probari, Christi Ecclesiam fuisse quidem latissimé diffusam, atque adeó per totum orbem propagatam, quod nemo negat. Sed quid tũ? ergóne est amplitudo Ecclesiæ nota? Non sequitur. Nam 1. quód ecclesia ab exiguis initiis profecta, & exiguis incrementis aucta sit, hoc arguit non semper amplam esse. In principio enim angusta fuit: ergo amplitudo non est ecclesiæ nota. Notas enim accidentales & separabiles non moramur. Hîc ergo Adversario revocandum in memoriam fuit, quod priús dixit, cúm sex in omni mutatione observanda proposuit. Nam ex his sex articulis ultimus fuit, exiguum fuisse Ecclesiæ cœtum in principio, & tandem aliis atq; aliis accedentibus, in majorem multitudinem creviſſe. Ergo fatetur, ecclesiam non semper esse latam & amplam, quia in principio tenuis & exiguus numerus fuit eorum, qui crediderunt. Unde ego sic disputo, & concludo. Ecclesia potest esse in exiguo cœtu: ergo amplitudo non est ecclesiæ nota. 2. Nunquam fuit tam ampla Ecclesia, quám Satanæ synagoga. Major enim semper est eorum numerus, qui Satanam, quám qui Christum sequuntur. Hoc argumento, ab amplitudine ducto, Satanas ipse uti posset pro sua ecclesia: est ergo Antichristianæ potiús ecclesiæ nota, quám Christianæ. 3. Si esset amplitudo Ecclesiæ nota, & si tanta olim ecclesiæ amplitudo fuit, quantam illi volunt, ut nihil ecclesiâ latius esset: tamen hoc nihil ad rem faceret, nec Adversariis quicquam prodesset. Nos enim dicimus, ad nostram

Ecclesiam ista pertinere, nostram Ecclesiam fuisse tempore Apostolorum, tempore Irenæi, Tertulliani, Prosperi, & reliquorum Patrum, qui á Bellarmino commemorantur. Ergo si amplitudo sit Ecclesiæ Catholicæ nota: nostra Ecclesia est Catholica. Non enim nos privatam Ecclesiam defendimus, sed quæ toto orbe olim diffusa fuit. Ergo quod ait, nostram Ecclesiam & religionem nunquam transiisse mare: falsum est. Nostra enim Ecclesia erat, quæ fuit tempore Apostolorum, & deinceps usque ad apostasiá. Sed quomodo hoc evincimus? hac nimirum ratione, quód nostra Ecclesia tenet eandem fidem & doctrinam, quam tenuit Ecclesia Apostolorum tempore, & postea. Eadem enim nostra fides & doctrina est cum illa, quam Apostoli docuerunt, & scriptis tradiderunt. Deinde ex scriptis Patrum possumus ostendere, eos in præcipuis doctrinæ & fidei capitib. ita sensisse, quemadmodum nostra Ecclesia nũc sentit, non quód ab illis pendeamus (absit, nos enim ad authenticas Scripturas, tanquam ad summum judicem in omni controversia provocamus:) sed tamen doctrinam nostram, si opus fuerit, ex Patribus probari posse affirmamus; quanquam & illos etiam ex Patribus nonnulla proferre posse novimus. Amplitudo ergo veteris Ecclesiæ ad nostram Ecclesiam pertinet, quia nostra eadem est cum illa, non tempore quidem, sed fide tamen, religione, & doctrina; quarum rerum respectu una & eadem Ecclesia dici potest illa, & nostra. Sed pergit Bellarminus in suo argumento. Hæc (inquit) fortasse non negabunt Adversarii, at nos idem ostendemus de posterioribus: & tum ostendit suam Ecclesiam fuisse tempore Gregorii, & Bernardi. *Respondeo*: Fuit quidem etiam his

his ſeculis Eccleſia, ſed multum mutata. Et tamen aliqua Eccleſia eſſe potuit. Sed non eſt idem judicium de Eccleſia tempore Gregorii, & tempore Bernardi; non eſt eadem horum temporum ratio. Longum enim intervallum intertempora Gregorii & Bernardi interceſſit, & magnum inter illa tempora diſcrimen fuit. Nam tempore Gregorii Eccleſia quidem mutata fuit, & multis erroribus implicata; Eccleſia tamen erat, quia fundamentum tenebat. Quemadmodum enim hominem infirmum, languidum, & ægrum, hominem tamen dicimus, quia adhuc anima cum corpore conjungitur: ita illa Eccleſia, etſi languida fuit, nec tam ſinceré tenuit fidem & religionem, quám Eccleſia ſuperiorum temporum; Eccleſia tamen dici poteſt, propter ipſum fundamentum, quod adhuc ſalvum manebat. Tempore veró Bernardi, Eccleſia plané emortua fuit, propter tyrannidem Antichriſti, & propter perfidiam illam, quæ ubique regnabat. Animam enim jam, id eſt, fidem amiſerat. Tamen & hoc tempore, noſtra Eccleſia fuit, etiam inter illos. Nam ut hortus, qui totus exaruiſſe videtur, & penitus deſertus eſt, ac vepribus obductus, poteſt tamen in multis locis aliquas herbas virides, imó aliquas herbarum areolas non prorſus arefactas retinere; & licét magna multitudo ſit inutilium herbarum; tamen ſi diligentia adhibeatur, nonnullæ etiam utiles herbæ poterunt inter illas inveniri: ita in hac emortua Eccleſia fuerunt virides quædam herbæ, id eſt, pii aliqui homines, qui viva Eccleſiæ membra erant, quamvis non fuerunt aperti, & omnibus conſpicui. Sed progreditur Adverſarius, & docet adhuc pluribus, Romanam Eccleſiam eſſe Catholicam. Noſtro quoque tempore (inquit)

Ecclesia Romana habet Italiam, & Hispaniam totam. *Respondeo:* Unde hoc constat de tota? num quia nullas publicas Ecclesias nos habemus in illis regionibus, ideo nulla ibi est Ecclesia nostra? Sed Ecclesia latere potest, ut nos antea docuimus. Ergo etsi nullæ sint Ecclesiæ nostræ publicæ in his locis: tamen multi nostri ibi esse possunt, qui occultè religionem nostrã profitentur. In Italia multos nostros esse, viatores declarant, qui inde veniunt. In Hispania esse nostros nonnullos, inquisitio docet. Et erit tempus aliquando, ut speramus, quando in illis etiam regionibus Ecclesia nostra emerget, & quando illæ regiones jugum Papisticum excutient. Premi enim potest Ecclesia, latêre, occultari, & oppugnari ad tempus: opprimi verò, expugnari, deleri, & extingui non potest. Sed ait postea Adversarius, esse etiam in Gallia, Germania, Anglia, Polonia, Boëmia, Hungaria, Græcia, Syria, Æthiopia, Ægypto, multos Catholicos. *Respondeo* 1. Hoc non sufficit, multos esse. Non enim multi tantúm esse debent, sed vel omnes, vel plurimi. Hoc igitur ad evertendam potiús, quám ad stabiliendam Ecclesiæ Romanæ amplitudinẽ facit. 2. Nos quoque dicimus, inveniri nostros multos in Gallia, Germania, & reliquis illis regionibus, quæ ab Adversario commemorantur. In Anglia quidem, in Germania, in Polonia, nostram Ecclesiam esse omnes vident, & fatentur. Nulla publica & manifesta Ecclesia in Anglia nunc est (Deo gratiæ) nisi nostra. In Germania verò plures sunt nostri, quám illorum. Sed jam amplissimas Ecclesias, sine ulla admistione hæreticorum, in novo orbe profert Bellarminus, in omnibus quatuor partibus mundi, ad Orientem in Indiis, ad Occidentem in America, ad Septen-

ptentrionem in Japonia, ad Meridiem in Braſilia, & exteriore parte Africæ. *Reſpondeo* 1. Qualis ſit ſtatus illarum Eccleſiarum, neſcio. Jeſuitarum verò rumoribus, qui ſe ibi fuiſſe affirmant, fides nulla eſt adhibenda. 2. *Reſpondeo:* illos homines non religione, ſed armis; non argumentis, ſed bellicis inſtrumentis, ad fidem traductos fuiſſe. Non ſic Apoſtoli mundum vicerunt, & ad fidem converterunt. Tanta fuit Hiſpanorum erga illos tyrannis, tam immanis crudelitas, tam inhumana barbaries, ut cogerentur illi quidvis profiteri. Tantæ tyrannidis nullæ hiſtoriæ mentionem faciunt, quantam Hiſpani in illos exercuerunt. Plures interfecerunt, quám vivos reliquerunt. Quid multa? illi metu in eorum religionem jurare coacti ſunt, quam non intellexerunt; quod niſi feciſſent, ad crucem omnes, & alias pœnas traducti fuiſſent, & indigniſſimis modis trucidati. Quód ſi qui forte illorum, Scripturas intelligunt, ſi Dominus illis ſuum Spiritum dederit; poſſunt in meliori ſtatu eſſe, quám ſunt ipſi Monachi, & Jeſuitæ, á quibus inſtructi ſunt.

Poſtea nullam ſectam eſſe tam amplam probat, quám eſt illorum Eccleſia. Mahumeti ſecta (inquit) in Oriente nunquam ad Occidentem transiit. *Reſpondeo:* Mahumeti ſecta amplior eſt, quám Eccleſia Chriſtianorum in omnibus partibus mundi. Nam Bellarminus affirmat tantúm, non probat, hanc ſectam non perveniſſe etiam ad Occidentem. Deinde ait, Lutheranorum hæreſes non transiiſſe mare, nec Aſiam, aut Africam, Ægyptum, aut Græciam vidiſſe; Auguſtanam verò confeſſionem ignotam eſſe multis populis, & non recipi ab omnibus Proteſtantibus. *Reſpondeo:* Eccleſia Lutheranorum, eſt Eccleſia

Christianorum: ergo quæ fuit olim amplitudo veræ Ecclesiæ, ea hujus Ecclesiæ amplitudo est. Illi enim eandem fidem cum illis antiquis amplissimis Ecclesiis in articulis fundamentalibus & necessariis tenent & profitentur. Augustana verò confessio non est nova fides, sed tantúm veteris illius fidei repetitio. Recipitur illa ab omnibus Protestantibus, nisi forte in uno aut altero verbo potiús, quám dogmate. Postremó addit ex Augustino in lib. de Pastor. ca. 8. Ecclesiam esse ubique, & hæresin ubiq;, sed Ecclesiam esse unam & eandem ubiq;, hæreses autem non easdem, sed diversissimas, quæ se invicem non noverunt, & proinde nullam earum esse Catholicam. *Respondeo:* Nos hoc quidem fatemur, Ecclesiam esse unam & eandem ubique, sed quomodo, & propter quam unitatem? num propter aliam quám fidei & religionis? nequaquam. Catholici enim omnes in unum convenire dicuntur, & Catholica Ecclesia una dicitur, propter unitatem & conjunctionem fidei. Fides ergo una, est nota Ecclesiæ Catholicæ; quam Ecclesia passim in principalibus partibus profitetur eandem. Nam ut fides una est: sic in unum convenire debent qui sunt Catholici. Ita semper in omni nota, concludit Adversarius vel invitus, doctrinam esse magis notam Ecclesiæ, quám est alia aliqua nota quæcunque. Hoc ergo testimonium, non pro Adversariis, sed contra illos facit. Atque hæc omnia Adversarii argumenta sunt: de quibus ille quidem magnificé triumphat, cúm tamen omnia levia fuerint, & nullius momenti.

NUNC nos paucis contra istam notam disputemus.

Et *primó* quidem quæro ab Adversario, quam tandem

dem amplitudinem intelligat? num eam, quæ in multitudine & numero hominum profitentium consistit? At profiteri, aut malam fidem, aut veram fidem non rectè, non facit Catholicum. Ergo eó tandem devolvatur necesse est, ut cũ amplitudine Catholica, fidem quoq; Catholicam conjungat, sine qua contemnenda est amplitudo, & nihili facienda. Hinc ergo sic ratiocinamur: Si fides aut doctrina facit amplitudinem Ecclesiæ notam; tum fides multó magis nota est, quám amplitudo: at primum verum: ergo & secundum.

Secundum nostrum argumentum est hujusmodi. Ecclesia non fuit ampla in principio, nec in fine ampla erit: ergo amplitudo non est Ecclesiæ nota. De principio patet. Nam tum paucissimi de Ecclesia fuerunt, quod ipsi etiam Adversarii fatentur: & tamen tunc Ecclesia fuit. Tales veró nos notas quærimus, quæ semper rei insunt. In fine etiam non futuram esse amplam patet, quia Christus cúm venerit, paucos inveniet: Luc. 18. 8. Paucos electos (inquiet aliquis) sed multos tamen professores: erit ergo Ecclesia nihilo minús tum etiam ampla. Nec hoc verum. Nam major pars sequetur illo tempore Antichristum. Omnes enim adoraturos esse bestiam, Scriptura testatur, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ. Apoc. 13. 8.

Tertium nostrum argumentum in hunc modum se habet. Satanæ Ecclesia amplior semper & latior fuit Ecclesiâ Christi. Vocatur enim Diabolus princeps hujus mundi, & dominari dicitur in omnibus reprobis & infidelibus: ergo amplitudo non est vera & certa Ecclesiæ nota.

Quartum nostrum argumentum ex testimoniis

Patrum sumitur. Augustinus in comment. in Psalm. 39. jubet nos non æstimare Ecclesiam ex hominum multitudine, sed aliam statêram quærere. Augustini verba hæc sunt: *Si justus es, noli numerare, sed appende. Statêram affer æquam, non dolosam, quia justus appellatus es. Videbunt justi, & timebunt, dictum est de te. Noli ergo numerare turbas hominum, incedentes latas vias, implentes crastinum circum, civitatis natalem clamando celebrantes, civitatem ipsam malé vivendo turbantes. Noli ergo illos attendere. Multi sunt, & quis numerat? Pauci autem per viam angustam incedunt. Profer (inquam) statêram, appende. Vide, contra pauca grana, quantam paleam leves.* Hæc Augustinus. Ex quibus possumus colligere, veram Ecclesiam non consistere in plurimis, nec in maxima hominum multitudine quærendam esse. Chrysostomus in homil. 40. ad populum Antiochenum, hac de re in hunc modum scribit: *Quænam, precor, utilitas est, multum esse fœnum, potiús, quám paucos esse lapides pretiosos? Non in numeri multitudine, sed in virtutis probitate, multitudo consistit. Elias unus erat, sed totus mundus non erat dignus, qui rependeretur ipsi.* Nazianzenus in sermone de seipso contra Arianos, in ipso principio sermonis, sic scribit: πῶ ποτε εἰσὶν οἱ τῷ πλήθει τὸν ἐκκλησίαν ὁρίζοντες, καὶ τὸ βραχὺ διαφύοντες ποιμνίον; *Ubinam illi sunt, qui multitudine Ecclesiam definiunt*, hoc est, qui constituunt amplitudinem Ecclesiæ notam, *& gregem exiguum asservantur?* Hoc faciunt Adversarii: ergo Arianis propiores & similiores sunt, de quibus illo in loco Nazianzenus, quám Catholicis. Sed hac de re antea copiosé diximus, & testimonia satis multa produximus.

Quintum & ultimum nostrum argumentum est hujusmodi. Si demus hoc Adversariis, Ecclesiæ notam

tam esse amplitudinem: tamen nostram Ecclesiam possumus nihilo minús defendere. Nostra enim Ecclesia potest cum Papisticâ, amplitudine contendere. Sed quomodo, inquies? Hac nimirum ratione. Ecclesiam ego Papisticam æstimo, non ex hominum numero, sed professorum. Professores verò dici non possunt proprié & rectè, nisi qui intelligunt & credunt quæ profitentur. Sed qua tandem fide credunt, formatáne fide, an informi? Sanè utraq;. Informem autem fidem statuo, quę licet cum charitate conjuncta non sit, quam illi fidei formam esse dicunt: tamen principia doctrinæ & religionis Christianæ firmiter tenet, singulis fidei articulis credit, & singulorum verum sensum novit; nam alioqui implicita, non informis fides dici deberet. Si ergo illi tantúm ad Ecclesiam pertineant, & veri professores sint, qui tenent & intelligunt, quid profiteantur; non dubito, plures esse professores in nostris, quám in illorum Ecclesiis. Multitudo enim Papistica, cæca & stupida, & planè bruta est. Non plus sciunt pleriq; inter illos, quám stipites. Nihil de Deo, nihil de Christo, nihil de regno cœlorum, aut vita æterna sciunt, nisi ut carbonarius ille, qui credidisse se dixit, ut credit Ecclesia; & interrogatus quid crederet Ecclesia, respondit, quod ipse credidit. Et de hac quidem nota satis jam multa diximus.

CAPUT SEXTUM.

In quo quinta Ecclesiæ nota á Bellarmino propositæ refutatur.

QUatuor Ecclesiæ notas Bellarminianas proposuimus & refutavimus: jam ad quintam accedamus. Ea verò est successio Episcoporum ab Apo-

ſtolis ad noſtra uſq; tempora; qua nota (inquit Bellarminus) omnes veteres uſi ſunt ad veram Eccleſiam oſtendendam. Atque hîc Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, Optatum, Auguſtinum profert, qui hoc argumento ſuorum temporum hæreticos refutarunt. De his Patribus reſpondebo primó in genere & conjunctim de omnibus, deinde in ſpecie & ſigillatim de ſingulis.

In genere igitur reſpondeo *primó*, me poſſe jure meo hæc omnia hominum teſtimonia rejicere, & clarum aliquod ex Scripturis teſtimonium requirere. Hæc enim eſt conſtans omnium Patrum Catholicorum ſententia, nihil eſſe in religione recipiendum, aut approbandum, quod Scripturæ teſtimonio non nitatur, quodq; ex Scripturis probari & confirmari non poteſt. Et meritó quidem, cúm Scriptura ſit abſoluta, & ſufficiens veritatis regula. Sed non utar hac reſponſione, aut exceptione; ne tergiverſari videar, & horum Patrum authoritatem ſubterfugere. Hæc teſtimonia libens admittam, & recipiam omnia. *Secundó* igitur reſpondeo: non uſos eſſe veteres Patres hac ſucceſſione, tanquam firmo per ſe & ſolido argumento, ſed tanquam argumenti illuſtratione quadam, non in pugna & bello, ſed poſt pugnam & victoriam, tanquam in triumpho. Nam cúm antea ſolidis & firmiſſimis ex Scriptura petitis argumentis hæreticos viciſſent, & cauſam ſuam confirmaſſent: tum hanc Epiſcoporum ſucceſſionem quaſi in triumpho proferunt & oſtentant in hunc modum: Epiſcopi ab Apoſtolis hanc fidem tenuerunt: ergo hæc vera & Catholica fides eſt. Quod arguit, non eſſe hoc firmum ex ſe argumentum, niſi priús hanc fuiſſe fidem Apoſtolorum docuiſſent. Sed poſt-

postquam ex scriptis Apostolicis probâssent, Apostolos sic docuisse, quemadmodum ipsi docebant; tum demonstrant, eandem doctrinam per successionem perpetuam in illustrissimis Ecclesiis remansisse. Et hoc quidem modo, atque hac ratione successio magnam in se vim habet. *Tertió*, respondeo: á Patribus quidem objici successionem, at non nudam illam & externam tantúm, sed vivam, & cum veræ fidei & religionis successione conjunctam. Quando enim mentionem faciunt successionis, tum doctrinę etiam successionem commemorant, aut saltem intelligunt. Fides ergo quasi anima successionis est; quâ remotâ, nuda successio tanquam cadaver quoddam est. Et Patres quidem semper multó magis in successione fidem ipsam, quám hominum seriem spectabant. *Quartó* respondeo: Patres hoc argumento usos esse contra illos hæreticos, qui aut negabant Scripturas, aut adulterabant, aut Apostolos ita separatim & seorsim docuisse dicebant, quemadmodum ipsi docuerunt, aut denique sua scripta pro Canonicis obtrudebant. Patres ergo coacti fuerunt ad vivam Ecclesiæ vocem confugere, & hac perpetua ab ipsis Apostolis successione, ora illis obstruere atque occludere; ex qua probabant, nihil Apostolos docuisse, quale hæretici docebant. Nam hoc sumserunt semper pro vero & confesso, se successisse Apostolis in doctrina. *Quintó* respondeo: veteres feré solitos esse, in hac Episcoporum successione, Romanam Ecclesiá in primis recensere, non quód illa tum aliis externis Ecclesiis præesset, & in illas jurisdictionem exerceret (nihil enim hi Patres nórunt de primatu Pontificis Romani, aut de Ecclesiæ Romanæ in alias Ecclesias jurisdictione) sed quód illa Ecclesia fuit una

omnium notissima, illustrissima, & spectatissima, propter ipsius urbis dignitatem & prærogativam. Præluxit enim cæteris Ecclesiis, tum propter Imperii sedem in illa urbe, tum propter Petri & Pauli præsentiam, quorum utrumque ibi docuisse fama tunc fuit (Paulum enim ibi fuisse & docuisse, Scripturæ indicant; & mortuum etiam ibi esse, historiæ testantur; Petrum quoq; ibi fuisse, & vixisse, Patres crediderunt, quamvis hoc nulla probabili ratione confirmari possit, ut nos alibi Deo annuente docebimus:) tum deniq; propter Episcoporum in ea urbe virtutem. Episcopi enim illius sedis fuerant in fide constantes, & multis præclaris virtutibus ornati, unde urbis & Ecclesiæ illius celeberrima passim fama fuit. Jam veró his positis, facile erit ad Bellarmini argumentum respondere; quod hujusmodi est. Si veteres tanti fecerunt, ad veram Ecclesiam ostendendam, continuationem duodecim, vel viginti, aut quadraginta Pontificum: quanti nos facere debemus continuationem non interruptam Pontificum ducentorum & ampliús? *Respondeo:* non esse hoc argumentum horum Patrum. Non enim sumunt illi argumentum ex nuda successione locali; sed fidei etiam, doctrinæ, & religionis successionem urgent. Externam illi successionem ab interna separatam nihili faciunt. Atqúe hoc quidem modo argumentum á successione habet suas vires. Sed nos vel trecentorum Episcoporum nudam successionem localem contemnimus, quæ cum doctrinæ scilicet successione non conjungitur. Illi antiqui Episcopi in fide permanebant; at qui secuti sunt, apostatæ fuerunt. Ergo nos meritó possumus horum posteriorum Episcoporum successionem contemnere, & tamen superiorum

rum Epiſcoporum ſucceſſionem magni facere; quia hæc ſucceſſio mortua eſt, illa veró viva fuit.

Nunc ad Patrum prædictorum teſtimonia veniamus, & illis ſigillatim atque ordine reſpondeamus; quæ quemadmodum hîc á Bellarmino proponuntur, ita eadem etiam ſunt á Stapletono propoſita & tractata, lib. 4. princip. doctrin. cap. 5.

Primum teſtimonium eſt Irenæi lib. 3. cap. 3. quo loco enumerat Irenæus Epiſcopos Romanos, á Petro uſque ad Eleutherium, qui ſuo tempore Romæ ſedebat; & ait, per hanc ſucceſſionem confundi omnes hæreticos. *Reſpondeo:* Irenæus hoc in loco non intelligit perſonalem illam ſucceſſionem, quam tantopere urgent Adverſarii. Imó hic Irenæi locus, contra Adverſarios magis, quám cõtra nos facit. Refellit enim ille hoc in loco quosdam hæreticos, qui dixerunt Chriſtum Apoſtolos ſuos ſecreta quædam ſeorſim docuiſſe, & Apoſtolos etiam ipſos nõ omnia omnes docuiſſe, ſed ſecretiora quędam myſteria perfectis & idoneis viris ſeparatim viva voce tradidiſſe. Atq; hoc idem ſané Adverſarii noſtri dicunt, & docent. Contra hos hæreticos Irenæus ſic ratiocinatur. Si Apoſtoli ſecreta quædam myſteria perfectos docuiſſent, hæc iis procul dubio tradidiſſent, quibus Eccleſias tradiderunt: at iis nihil tale tradiderunt: ergo falſum eſt, Apoſtolos viva voce quædam ſecretiora myſteria perfectis quibusdam hominibus tradidiſſe, quod illi hæretici dicebant. Irenæi hæc verba ſunt: *Etenim ſi recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximé traderent ea, quibus etiam ipſas Eccleſias committebant. Valde enim perfectos & irreprehenſibiles in omnibus eos volebant eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum*

ipsorum locum magisterii tradentes, quibus emendatè agentibus, fieret magna utilitas; lapsis autem, summa calamitas. Nihil horum nobis convenit, Adversariis verò omnia; qui hanc ipsam horum hæreticorum opinionem tenent ac defendunt, ut nos in Quæstione de traditionibus docuimus. Hæc causa est, cur Irenæus Episcopos enumerat Ecclesiæ Romanæ, á Petro ad Eleutherium, ut doceat illis nihil tale traditum esse, quale hæretici illi fingebant, nec illos tale quicquam docuisse. Externam verò & personalem successionem ab Irenæo non intelligi, sed fidei & doctrinæ, ex ipso loco patet: *Annunciatam* (inquit) *ab Apostolis fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usq; ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.* Et postea ait: *Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconiatio pervenit usq; ad nos.* Sed apertissimè in lib. 4. cap. 43 *Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus; qui cum Episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò, qui absistunt á principali successione, & quocunq; loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, aut rursus ut hypocritas, quæstus gratiâ & vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi decidunt á veritate. Et hæreticiquidem alienum ignem afferentes ad altare Dei, id est, alienas doctrinas, á cœlesti igne comburentur, quemadmodum Nadab & Abihu.* Ex his verbis ista colligo. *Primò*, in Presbyteris & Episcopis multò magis spectandam esse fidei, quàm loci, doctrinæ, quàm hominum, successionem.

ſionem. Nam eos appellat Irenæus veros ſucceſſores Apoſtolorũ, & iis tantúm vult nos obedire, qui uná cum Epiſcopatus ſucceſſione, certum doctrinæ & veritatis chariſma acceperunt. *Secundó* colligo, fidei & doctrinæ ſucceſſionem eſſe principalem; unde ſequitur, loci & perſonarum ſucceſſionem, eſſe minús principalem. Nos ergo de minús principali ſucceſſione ne disputemus, relictâ magis principali. Æquum enim eſt, ut de magis principali magis ſolicitiſimus. *Tertió* colligo, eos á principali ſucceſſione abſiſtere, qui novam & adulterinam doctrinam inducunt, & tales ſimiles eſſe Nadab & Abihu, de quibus legimus Levit. 10. Quoad perſonas, hi duo ſuccedebant Aaroni; ſed quia alienum ignem ad Dei altare offerebant, igneá conſpectu Jehovæ exeunte conſumti ſunt. Sic hæretici (inquit Irenæus) alienum ignem afferentes ad altare Dei, id eſt, alienas doctrinas, á cœleſti igne comburentur. Papiſtæ hanc non principalem ſucceſſionem habent, quæ eſt loci & perſonarum; illam verò principalem non habent, quæ eſt fidei & doctrinæ. Nam alienas doctrinas afferunt; itaq; Nadab & Abihu ſimiles ſunt.

Secundum Bellarmini teſtimonium eſt ex Tertulliano in lib. de præſcript. contra hæret. ubi ſic ſcribit Tertullianus: *Cedant hæretici origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit authorem & anteceſſorem. Hoc enim modo, Romanorum Eccleſia, Clementem á Petro ordinatum refert.* Reſpondeo, ut ſuprá: Tertullianum loqui de ſucceſſione Epiſcoporum doctrinam Apo-

ſtolicam tenentium, quod ex ipſo Tertulliano in eodem libro patet. Inducit enim pauló póſt Eccleſiam loquentem in hunc modum: *Sum hæres Apoſtolorum; ſicut illi caverunt teſtamento ſuo, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adjuraverunt: ita teneo.* Hoc ſi probẽt Adverſarii noſtri de ſua Eccleſia, nos illorum ſucceſſionem amplectemur, & venerabimur. Præterea idem Tertullianus in eodem libro ait: *incedendum eſſe in ea regula, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli á Chriſto, Chriſtus á Deo tradidit.* Et iterum ait: *Ipſa hæreticorum doctrina cum Apoſtolica comparata, ex diverſitate & contrarietate ſua pronunciabit, neq; Apoſtoli alicujus authoris eſſe, neq; Apoſtolici viri.* Similiter nos de Adverſariorum noſtrorum doctrina dicimus. Et adhuc iterum ſic ſcribit: *Illic igitur & Scripturarum, & expoſitionum adulteratio deputanda eſt, ubi diverſitas invenitur doctrinæ.* Quare hoc eſt argumentum & nota falſæ Eccleſiæ ſecundúm Tertullianum, quód ejus doctrina Apoſtolicæ doctrinæ contraria ſit. Et hæc fuit ratio, cur ab hæreticis origines Eccleſiarum ſuarum produci voluit, nempe ut probarent inde, ſi poſſent, doctrinam ſuam eandem eſſe cum illa, quam Apoſtoli docuerunt. Idem in eodem libro jubet *Eccleſias percurrere ſonantes vocem Apoſtolorum, & repræſentantes faciem uniuscujusq;* Unde intelligimus, cur ad illas Eccleſias provocet Tertullianus, nimirum quia tum doctrinam Apoſtolicam perpetua ſucceſſione tenebant. Nam in lib. 4. contra Marcionem cap. 4. ſic ſcribit: *Ideſt verius, quod prius; id prius, quod ab initio; id ab initio, quod ab Apoſtolis.*

Tertium Bellarmini teſtimonium eſt ex Epiphanio in hæreſ. 27. contra Carpocrat. ubi cúm enumeraſſet Epiphanius Romanorum Pontificum ordinem

nem ab initio usque ad Anicetum, statim subjungit: *Et ne quis miretur, quód tam exactè singula recensemus. Per hæc enim semper claritas ostenditur. Respondeo:* Legite locum ipsum. Epiphanius *primó* ait, Paulum non minús quám Petrum fuisse Ecclesiæ Romanæ Episcopum; quod contra Adversarios facit, qui Petrum solum Episcopum Romanum fuisse contendunt. *Deinde*, non ait, per successionem horum Episcoporum claritatem ostendi in omni causa, quod vult Bellarmin°: sed agit de Marcellina quadam, fœminâ hæreticâ, quæ Carpocratis hæresin Romæ propagaverat; & demonstrat tantúm, quo tempore illa Romam venerit. Quod ut meliús faciat, recenset omnes illius Ecclesiæ Episcopos, qui ab initio fuerunt, usq; ad Anicetum, cujus tempore ait illam venisse Romam. Et tum ait, *χμή τις θαυμάσῃ ὅτι ἕκαστα ὕπως ἀκριβῶς διέλθομεν, διὰ γὰρ τούτων ἀεὶ τὸ σαφὲς δείκνυται. Et ne miretur quispiam, quód singula hæc diligẽti tam inquisitione percurramus. Per hæc enim semper claritas ostenditur.* Quid hoc quæso facit ad id probandum, quod vult Bellarminus, Episcoporum nempe successionem Ecclesiæ notam esse? Sané nihil. Turpiter ergo hoc loco abusus est. Videtur certé aut locum ipsum non legisse, aut non diligenter attendisse.

Quartum testimonium est Optati in lib. 2. contra Parmenian. quo loco enumerat Optatus omnes Romanos Pontifices, á Petro usque ad Syricium, qui tunc Romæ sedebat; ut ostendat non esse Ecclesiam apud Donatistas, qui per similem successionem ad Apostolos ascendere non poterant; & tum subdit: *Vos vestræ Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare. Respondeo:* Optatum contra Donatistas scribere, qui affirmabant, Ecclesiam

toto orbe periisse, & penitus ubique extinctam fuisse, nec ullibi extitisse, nisi apud se. Nec tamen illi doctrinam Catholicorum, sed mores tantúm impugnabant. Nihil enim á Catholicis in fide & doctrina mutatum poterant ostendere, nec illis aliquam hujusmodi mutationem objiciebant. Nostra causa admodum dissimilis est. Nisi enim major esset corruptio dogmatum & doctrinæ apud Pontificios, quám vitæ & morum; nos apud illos Ecclesiam esse nunquam negaremus. Meritó ergo illos urgere potuit Optatus, & ab iis requirere, ut Cathedræ suæ originem ostenderent, qui novam Ecclesiam erexerant, & nusquam nisi in Africa apud se Ecclesiam esse affirmabant.

Quintum testimonium est Augustini in Epist. 165, ad Generosum, in qua Epistola enumerat Augustinus similiter, & in eundem finem, omnes Romanos Pontifices á Petro usque ad Anastasium, qui tunc sedebat. *Respondeo:* Enumerat ille quidem, sed non tamen argumentum ducit ab externa & nuda illorum successione, quo illam veram Ecclesiam esse probet; sed pro concesso sumit, quod jure potuit, Episcopos illos omnes in fide permansisse. Quám parum veró tribuat nudæ successioni externæ, ex eadé Epistola patet, ubi pauló póst hæc verba habentur: *Etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ & innocentibus Christianis, quibus Dominus providens ait de præpositis malis, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim & non faciunt; ut certa sit spes fidelis, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nũquam tempestate sacrilegi schismatis disjiciatur.* Sic nos respondemus Adversariis, nostram spem, nostramq; fidem, non ex hominum successione, sed

ex

ex Deo pendere. Et alibi etiam in eadem Epistola ait: *Quanquam nos non tam de istis documentis præsumimus, quã de Scripturis sanctis.* Sed Adversarii econtra magis de his documentis præsumunt, hoc est, de externa hominum successione, quám de Scripturis. Tam illi (ut Patris cujusdam verbis utar) Scripturas fugiunt & pertimescunt, quám latro crucem. *Aliud* testimonium profert ex Augustino in Psalmo, quem fecit cõtra partem Donati, qui Psalmus habetur in principio tomi septimi. *Numerate sacerdotes* (inquit Augustinus) *vel ab ipsa sede Petri, & in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* *Respondeo* 1: Augustinum non intelligere externam tantúm successionem, personalem scilicet & localem, sed veram ac vivam doctrinæ & fidei successionem, in illa externa Episcoporum successione adhuc durantem. 2. *Respondeo*: externam & personalem successionem non esse ipsam petrã (hoc enim nunquam Augustino in mentem venit) sed fidem quam illi Episcopi in ea successione adhuc integram & incorruptam tenuerunt. Contra hanc portas inferorũ nõ posse prævalere, inquit Augustinus. Quæro enim, num putet successionem sine fide esse petram? non dixerit, opinor. Ergo in successione fidem esse præcipuam fateatur necesse est. *Tertium* Augustini testimonium profert ex libro ejus contra Epistolam Fundamenti c. 4. ubi sic scribit Augustinus: *Tenet me in Ecclesia, ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usq; ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* *Respondeo* 1: Augustinum afferre illam successionem, non ut firmum & solidum argumentum, neque ut fidei fundamentum, sed ut quandam inductionem, & persuasionem, ad

præparandos & alliciendos ad se animos Donatistarum. 2. *Respondeo*: ex hoc eodem capite constare, nihil esse tribuendum, ne certæ quidem & notæ, hoc est, ne præstantissimæ loci successioni, sine doctrinæ & veritatis successione, illam huic ne comparandam quidem, multó minús præponendam esse. Ait enim Augustinus, si Adversarii ejus veritatem manifestè monstrare possent, se velle alia illa omnia abjicere, quibus se in ecclesia Catholica teneri dixerat, & veritatem illis omnibus præponere. Quid igitur tribuendum esse censebimus vitiatæ illi, & longé corruptissimæ Pontificiorum successioni, quæ variis modis interrupta fuit, & in qua veritati nullus locus relinquitur?

Pergit deinceps Adversarius, atque ut vis hujus argumenti meliús intelligatur, quatuor ait notanda esse. *Primum* est, non posse ullo modo Ecclesiam esse sine Pastoribus & Episcopis, ut rectè docet Cyprianus lib. 4. epist. 9. ubi ait, *Ecclesiam esse plebem Episcopo adunatam, & Episcopum esse in Ecclesia, & Ecclesiam in Episcopo.* & Hieronymus in lib. contra Luciferianos ait, *Ecclesia non est, quæ non habet Sacerdotes.* Et hoc apertè probatur (inquit) ex Paulo Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes &c.* Ubi docet Apostolus, futuros esse Pastores in Ecclesia, usque ad diem judicii. Tunc enim occurremus Domino, in unitate fidei, in virum perfectum &c. Et Episcopos esse Pastores hujus gregis, probat ex Act. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Sed nec Lutherus (inquit) id negat, quin potiús in lib. de Ecclesia & Cõcil. inter notas

notas Ecclesiæ ponit, habere veros Pastores. Ex quo sequitur (inquit) eam non esse veram ecclesiam, quę aut nullos, aut non veros habet Pastores. *Respondeo* 1: Fuisse semper tales Episcopos in ecclesia, quales nũc sunt Pontificii, falsissimum est; nec unquam probari potest. Erant quidem in initio in singulis ecclesiis Episcopi, id est, Pastores, non tales, quales nunc sunt in ecclesia Romana. Petit ergo hîc principium, & nõ probat, quod fuit probandum. 2. *Respondeo:* Ecclesiam quidem sine Episcopis constare non posse, id est, sine Pastoribus, á quibus doceatur atq; instruatur. Doctrina enim ecclesiam facit sive constituit, ejusq; anima & vita est. Necesse igitur est, ut sint aliqui, qui doceant. Sed etsi hoc demus Adversariis, nihil tamen illos juvabit. Negamus enim, semper istam Pastorum successionem, ad unum locum magis alligatam esse, quám ad alium. In hoc nos ab Adversariis dissentimus. 3. *Respondeo:* nostram Pastorum successionem esse veram, esse legitimam, esse Apostolicam; ac proinde nostram ecclesiam, veram ecclesiam esse, quæ tales Pastores habuit semper, & nunc habet. Quid ergo? an nostra Pastorum successio visibilis semper fuit? Nequaquam; neque enim hoc necesse est. Non enim quia ecclesia sine Pastoribus esse non potest, ergo Pastores semper in una visibili successione habet. Sed ut ecclesia esse potest, & tamen latêre: sic Doctores in ecclesia esse possunt, & tamen non omnibus conspicui esse. Et certé nihil faciunt hæc testimonia á Bellarmino allata, pro visibili & personali successione Episcoporum. Licét ergo Pastores nostri olim conspicui non fuerunt, nec illos nos possumus nunc nominare: non tamen idco sequitur, nos nullos Pastores habuisse. Neque

enim aut ecclesiam Platonicam, aut Pastores Platonicos somniamus. Nam licét lateant, non sunt imaginarii. Ecclesiam veró semper mundo cognitam & conspicuam fore, quod Adversarii dicunt, falsissimum est. Mille enim aut centum homines in spelunca congregati, non videntur á reliquo mundo: & tamen possunt ecclesia esse. Sic latebat Ecclesia Apostolorum ad tempus, eamque Synagoga non videbat, & tamen vera fuit Christi Ecclesia.

Secundo loco notandum esse ait Bellarminus, illos solos in ecclesia semper veros Episcopos habitos fuisse, qui ab Apostolis per legitimam successionem & ordinationem descendisse ostendebantur. Christũ enim elegisse duodecim Apostolos. Apostolos elegisse atque ordinâsse Episcopos, & illis similem potestatem tradidisse, alios deinceps ordinandi. Ut enim in veteri Testamento nulli erant veri Sacerdotes, nisi qui á Levi per Aaron descendebant: sic in novo nullos esse veros Episcopos & Pastores, nisi qui Apostolis legitimé succedunt. Unde vult efficere, nostros Pastores non esse veros, quia successionem nó habent ab Apostolis. *Respondeo* 1: Fateor quidem, successionem Pastorum necessariam esse, & illam etiam veram ac legitimam: sed quæ tandem vera successio sit, & legitima, inter nos & Adversarios controvertitur. Itaque 2. *respondeo*: istam successionem non esse ad unam sedem, ad unum locum, ad unam ecclesiam alligatam. Potest enim Deus variis modis, & variis in locis, prout ei visũ fuerit, Episcopos excitare. Quod ad rem ergo attinet, inter nos & illos convenit (nam & nos etiam Apostolicam successionem requirimus, ut illi:) sed de modo non convenit, non enim eodem modo requirimus, quo illi. 3. *Respondeo*: non esse eandem

dem rationem ministrorum novi Testamenti, & Sacerdotũ veteris Testaméti. Sacerdotes enim Aaronici ex una sede & loco, ex una tribu & familia prodierunt. Ministri autem novi Testamenti non ex uno loco, aut ex uno hominum genere, sed ex variis locis, & ex variis hominum generibus assumuntur. 4. & postremo dico: nostros Pastores habere hanc legitimam ab Apostolis successionem, & veros ac legitimos Apostolorum successores esse. Sed hoc Bellarminus impugnat.

Tertió igitur ait, notandum esse, duo requiri, ut aliquis Episcopus dicatur ab Apostolis legitimé descẽdere, & proinde esse legitimus Episcopus. *Unum* est successio, *alterum* est ordinatio. *Respondeo* 1: hæc minimé inter se cohærere. Ut aliquis habeat legitimam successionem, duo (inquit) requiruntur, quorum unum est successio, alterum est ordinatio. At successio est, de qua quæritur. Quám hoc est ineptum? Perinde enim est, ac si diceret, ut aliquis habeat successionem legitimam, debet habere successionem legitimam. 2. *Respondeo*: nostros habere hanc legitimã successionem. Sed ille hoc refellit, quia verus Episcopus debet succedere alicui Apostolo, ut Clemens successit Petro, vel alicui, quem Apostolus aliquis fecit Episcopum; ut Ignatius successit Euodio, & Anianus Marco, quos Petrus fecerat Episcopos; vel denique si Episcopatus est novus, ut fiat Episcopus ab eo, qui habet Apostolicam authoritatem, qui est solus Romanus Pontifex. *Respondeo*: hæc omnia esse absurda & commentitia, nec ulla Scripturæ authoritate niti. Non est tale aliquid á Christo institutum, nec Scriptura uspiam tale aliquid requirit. Succedunt Apostolis, qui vocati legitimé, funguntur fideliter in ec-

cleſia munere ſuo, etſi non continuâ ab Apoſtolis ſerie. Apud illos quidem ii tantúm ſunt legitimi Paſtores, qui ſecundúm eorum ordinem vocantur & creantur: at nos dicimus, corruptum eſſe ipſorum miniſterium, ideoque non debere nos ab illis Epiſcopos fieri aut creari. Quod veró de Apoſtolica authoritate Romani Pontificis ait, falſum eſt. Petrus (inquit) habuit hanc authoritatem ex officio, cæteri veró Apoſtoli ex delegatione. Ineptum ſomnium. Omnes Apoſtoli á Chriſto inſtituti & ordinati ſunt: omnibus dictum eſt, *Ite in univerſum mundum, & docete omnes Gentes*: ergo omnes ex officio Apoſtoli fuerunt, & Apoſtolicam authoritatem habuerunt. Si veró reliqui delegati fuerunt, quæro, á quo tandem fuerunt delegati? num á Petro? at ille á Chriſto delegat' eſt, ut reliqui etiã Apoſtoli: Chriſtus omnes pari authoritate miſit, Johan. 20. 21. *Sicut me miſit Pater, ita ego mitto vos.* Ut Chriſtus ergo Patris legatus fuit: ita omnes Apoſtoli legati Chriſti fuerunt. Et ſi iſta Romanorum Epiſcoporum authoritas ſublata eſſet, tamen Epiſcopi in eccleſia legitimi eſſent. Sed illi nõ curant, quid dicant, quantumvis ſit impium, abſurdum, & blasphemum, modó pro authoritate Romani Pontificis aliquid faciat. Verúm hac de re poſtea plura nobis dicenda ſunt, an reliqui ſcilicet Apoſtoli Petri legati fuerint. Jam venio ad id, quod ſecũdo loco ait requiri ad legitimam ſucceſſionem. Illud veró eſt, ordinationem debere fieri á tribus Epiſcopis; qui & ipſi ſint ab aliis ordinati, & illi ab aliis, donec tandem ad Apoſtolos veniatur. Hoc veró neceſſarium eſſe probat, *primó* ex canone primo Apoſtolorum, ubi præcipitur, ut Epiſcopus ordinetur á duobus vel tribus Epiſcopis, id eſt, á duobus aſſiſtentibus Metro-

Metropolitano, vel á plurib. *Reſpondeo*: illos canones non eſſe Apoſtolicos, ut nos antea in prima Controverſia copiosé ſatis & perſpicué docuimus. *Secundó*, id probat ex epiſt. 2. Anacleti, ubi docet Anacletus, Jacobũ ordinatũ fuiſſe Epiſcopũ Hieroſolymæ, á Petro, Jacobo, & Joanne, & eodẽ modo á trib. ad minimum, omnes alios ordinari debere. *Reſpondeo*: illã Anacleti epiſtolam, nullam apud nos authoritatem habere. Omnes. n. feré Decretales Epiſtolæ in recentiorib. ſeculis confictæ, & antiquis Epiſcopis tributæ fuerunt. Et Jacobũ illũ, qui fuit Apoſtolus, Epiſcopũ fuiſſe falſum eſt. Fieri. n. ab Apoſtolo Epiſcopũ, eſt á majori authoritate ad minorẽ deſcendere. *Tertió*, docet, idem etiá haberi in Concil. Nicæno 1. cap. 4. & in Carthaginẽſi Concilio quarto, cap. 2. *Reſpondeo*: fuiſſe quidem hanc legem ab Epiſcopis latam, ut omnis Epiſcopus á duobus vel tribus Epiſcopis ordinetur, & eſſe piam, ſi id commodé fieri poteſt, & ſi ſint pii Epiſcopi, á quib. fiat ordinatio, ſed nõ aliter. Eccleſiaſtica ergo conſtitutio fuit, quæ in eccleſia ſtãte & floréte retineri poteſt; ſed nõ itidem, quãdo eccleſia eſt collapſa. Non tamen ex hoc ſequitur, neq; ex his Cõciliis probari poteſt, eſſe ſanctionẽ Apoſtolicam, quę ſemper in eccleſia neceſſarió requiratur. Sed Bellarminus vult probare, eſſe legẽ Apoſtolicã. *Quartó* igitur hoc probat ex Apoſtolo Paulo 1. Tim. 4. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyterii.* *Reſpondeo*: Hic locus contra Adverſarios facit vel maximé. Ex hoc enim loco intelligimus, fuiſſe Timotheo manus impoſitas á Presbyteris, qui tunc temporis communi conſilio ECCLESIAM regebant. At illi nolunt Presbyteros habere authoritatem ordinandi, ſed Epiſcopos

tantúm. At nomine Presbyterii (inquit Bellarminus) intelligit Apostolus cœtum Episcoporum, qui simul cum ordinante imponebant manus super caput ordinandi. Et hoc probat ex Chrysostomo, Theophylacto & OEcumenio, qui hunc locum sic exponunt. Item ex Euseb. lib. 5. hist. cap. 24. ubi Irenæus Romanos Pontifices vocat Presbyteros. *Respondeo*: Fateor olim inter Presbyterum & Episcopum discrimen nullum fuisse: non opus ergo fuit his testimoniis ad hoc probandum. Sed si hi Presbyteri, qui olim fuerunt, & á quibus ordinatus erat Timotheus, tales Episcopi erant, quales nunc in ecclesia Romana sunt: tum plures erant Episcopi unius urbis, & unius ecclesiæ; quod cum Adversariorum sententia & consuetudine pugnat. Id veró patet ex Act. 20. 17. ubi Paulus dicitur accersivisse Presbyteros, ecclesiæ Ephesinæ. Hi si Episcopi fuerunt, tum unius ecclesiæ Ephesinæ plures simul Episcopi fuerunt. Sed concedit tandem Adversarius, Episcopos non esse necessarios in ordinatione Episcopi, sed Abbates infulatos posse supplere locum Episcoporum ex dispensatione, propter Episcoporum raritatem. Ergo lex illa non simpliciter necessaria est.

Quartó, notandum esse ait, antiquos hæreticos cósueviisse olim, ut plurimúm ecclesiam imitari in ordinatione Episcoporum. Id probat ex Cypriano lib. 1. epist. 3. & ex Augustino epist. 165. ac proinde ait, sanctos Patres non reprehendisse in iis, nisi defectum successionis, & ex eo solúm probâsse, eos non esse veros Episcopos, quód ab Apostolis per successioné non ducerent originem. Nostri autem temporis hæretici (inquit) neutrum habent, id est, nec ordinationem, nec successionem, & propterea longé invere-

cundiús,

cundiús, quám ulli unquam alii hæretici, sibi nomen & munus Episcopi usurpant. *Respondeo* 1: Quis mos fuerit antiquorum hæreticorum, nos non moramur. Quid illi fecerint, nihil ad nos pertinet. Non enim sumus nos hæretici, quemadmodum Adversarii calumniantur. 2. *Respondeo*: Quod ait, Patres in antiquis hæreticis nihil reprehendisse, nisi externę successionis defectum: impudentissimum mendacium est. Sæpius enim & multó magis falsa dogmata reprehenderunt, quemadmodum ex illorum scriptis constat. Reprehenderunt quidem etiam, quód Episcoporum successione carerent, sed non propter hoc præcipué; nec quód personali tantúm successione carerent, sed quód fidei & doctrinæ successionem ostendere non poterant. 3. *Respõdeo*: falsum esse quod ait, nos minus verecundé, quám antiquos illos hæreticos, Episcoporũ nomen & munus vendicare. Nam nostri Episcopi & Ministri, etsi non sint á Papisticis Episcopis ordinati, tamen rité & legitimé ordinantur, juxta Christi legem, & quemadmodum Apostoli ipsi præscripserunt, suasque Ecclesias, in quibus ministerio suo funguntur, fidelissimé regũt. 4. *Respondeo*: Si illorum Episcopi essent Canonicé electi, quod tamen falsum est, hoc nihil valeret, nec pro iis quicquã faceret. Nam cum Bernardo in Concilio Rhemensi dicimus: *Quid prodest, si Canonicé eligantur, & non Canonicé vivunt?* Papistæ nobis pro egregio corpore, nudum σκελετὸν obtrudunt exanimis successionis.

His hoc modo expositis, hinc colligi posse, ait Bellarminus, argumentum insolubile contra nos; quod cujusmodi sit, videamus. Ecclesia (inquit) nõ potest esse sine Episcopis, ut ostendimus: at apud Lutheranos non sunt Episcopi, nam non habent ordinatio-

nem, nec ſucceſſionem ab Apoſtolis: igitur apud eos non eſt Eccleſia. Nunc videamus num hoc argumentum ſit ſolubile, nécne. *Reſpondeo* igitur *primó*, & quæro, quomodo majorem propoſitionem intelligat? Si per Epiſcopos, Paſtores intelligat, fateor illã propoſitionem veram eſſe. Nam ſine Paſtoribus Eccleſia eſſe non poteſt. Sin Epiſcopos Papales intelligat, qui jurisdictionem ſibi aſſumunt in alios, & tyrannidem in Eccleſiam ac populum Dei exercent, quiſque omnia ſibi ſumunt, præterquam ea quæ ſunt verorum Epiſcoporum: tum majorem propoſitionem prorſus nego. Poteſt enim Eccleſia eſſe ſine talibus Epiſcopis, & Adverſarii ipſi, hos non ſemper fuiſſe in Eccleſia, coguntur fateri. Opus ergo eſt, ut illam propoſitionem explicet. *Secundó* igitur reſpondeo: quod ponit in minore, Lutheranos non habere ordinationem, nec ſucceſſionem, ab Apoſtolis: falsũ id quoq; eſt. Nos enim dicimus & affirmamus, Eccleſias illas, quas ipſi vocant Lutheranas, habere legitimam ſucceſſionem & ordinationem, licét non Papiſticam, ac proinde in illis Eccleſiis veros Epiſcopos eſſe. At ille probat non habere, quia nec Lutherus (inquit) qui habitus eſt Epiſcopus VVittembergenſis; nec Zuinglius, qui habitus eſt Epiſcopus Tigurinus; nec OEcolampadius, qui in ipſo ſepulchri Epitaphio vocatur primus Baſileæ Epiſcopus; nec Calvinus, qui dictus eſt Epiſcopus Genevenſis; nec ulli alii illorum Epiſcopi, á tribus Epiſcopis ſunt ordinati, neq; ex dispenſatione ab uno, aſſiſtentibus Abbatibus. *Reſpondeo* 1: hoc non neceſſe fuiſſe, ut á trib⁹ Epiſcopis ordinarẽtur. Fuit hęc quidẽ ſanctio Eccleſiaſtica, quemadmodũ priús dictũ eſt, ut in ordinatione cujusvis Epiſcopi, tres Epiſcopi ad minimũ ad-

adessent, & in bonis illis Ecclesiæ temporib⁹, dū adhuc staret & floreret Ecclesia, locū habuit, & bona q̄ dē acpia sanctio fuit. Sed postq̄ Ecclesiæ status collapsus est & penitus evers⁹, hoc nō necesse fuisse dicim⁹. Valet ergo hæc sanctio in Ecclesia florente, & adhuc statum suum obtinente; in Ecclesia veró collapsa & eversa locum non habet. Nostrorum veró hominū, quos Bellarminus commemorat, vocationem, non ordinariam, sed extraordinariam fuisse dicim⁹. Sunt illi extra ordinem vocati, & donis extraordinariis prædiți; quia ordinaria vocatio penitus corrupta erat, & lupi locum Pastorum possidebant. Si.n. Deus ex lapidibus filios Abrahæ, multó magis ex hominū cœtu, Pastores etiam extra ordinem excitare potest. Episcopi qui tum erant, & á quibus ordinari debuerant, non erant Episcopi, sed lupi: ergo ordinatio ab iis petenda aut accipienda non erat. 2. *Respondeo*: istos, quos ille nominat, institutos fuisse ab ipsis etiam Papistis. Si quid ergo boni fuit in illorum ordinatione, ad hos transiit. Nam Lutherus fuerat Presbyter, sic Zuinglius, sic OEcolampadius. Ergo illi eam ordinationem habebant, quam probant Adversarii. Si dicant, ideo non veros Episcopos fuisse, quia á fide & religione Ecclesiæ Romanæ desciverunt, & illorum communionem deseruerunt: tum nec illorum Episcopos legitimos esse nos contendimus, quia illi á fide Catholica & Apostolica priús discesserant. 3. *Respō deo*: veros fuisse hos Pastores, quos nominat; quia sunt á suis populis & gregib. & á legitimis magistratibus vocati, ut rectè Brentius respondet; functi etiam sunt officio suo seduló, docuerunt populum sanam doctrinam, reliqua denique omnia fecerunt, quæ pios Episcopos facere deceret. Sed hanc

resp onsionem Bellarminus tollere conatur in hunc modum. Non hîc disputamus (inquit) de electione Episcopi, quam scimus varié variis temporibus celebratam, aliquâdo á populo simul cum clero, aliquâdo á clero solo. Cæterúm quomodocunq; fieret electio, semper fuit necessaria ordinatio; quam non populus, sed soli Episcopi, & quidem tres ut minimũ conferebant. Dicat ergo Lutherus (inquit) á quibus Episcopis ordinatus fuerit Antistes VVittembergensis. Dicant etiam cæteri, á quibus fuerunt ordinati: sed nec dicunt, nec dicere possunt. *Respõdeo*: Quód concedit variam olim fuisse electionem & vocationem Episcoporum, modó per Clerum, modó per populum: verissimum est, nec negari potest. Idẽ quoq; potuit de ordinatione dicere. Sed accipimus quod dat. Quód si vocationem nostrorum Episcoporum legitimam fuisse concedat, de ordinatione minús laboramus. Qui enim habent authoritatem vocandi, iidem etiam authoritatem ordinandi habent, si legitima ordinatio nõ possit impetrari. Nam ordinatio sequitur vocationem. Qui vocatur, is quasi in sui muneris possessionem mittitur. Ad Episcopos veró illorum temporum quod attinet, illi nunquam induci potuerunt, ut quenquam ordinarent, nisi qui illis per omnia faveret. Quód si illi recusaverint ordinare legitimé vocatos, qui rerum potiuntur, necesse est aliunde ordinationem petere. 2. De ordinatione per tres Episcopos priús responsum est, esse illam quidem constitutionem Ecclesiasticam, sed posse mutari; servandam esse rebus salvis & integris, & quamdiu Episcopi fuerint boni, aliter non. Quid.n. si Episcopi omnes Ariani fuerint, ut olim? an tum ordinatio per tres Episcopos necessarió nobis

bis servanda erit? nullo modo. Apostolus Paulus in Actis dicitur Presbyteros & Episcopos κατ' ἐκλησίαν constituisse Act. 14. 23: at non legimus habuisse secũ plures Episcopos. 3. *Respondeo*: Lutherũm, & reliquos illos nostros præclaros ac nobiles heroas fuisse Presbyteros, etiam ex ordinatione Romanæ ecclesiæ, ac proinde jure divino Episcopos: ergo quicquid ad Episcopos pertinet, idem ad illos quoque jure divino pertinebat, de quo postea. Nam quód Episcopi postea Presbyteris prælati sunt, is ordo human⁹ fuit, ad schismata tollẽda, ut historię testãtur. Et de adversariorũ argumẽtis hacten⁹, nũc ad nostra veniamus.

Primum argumentum nostrum contra hanc notã sic instituo. Fuit vera ecclesia, antequam fuit successio Episcoporum, & quidem Apostolica: ergo successio non est ecclesiæ nota; & illud etiam falsum atque ineptum est, quod ait Bellarminus in initio hujus capitis, propter successionem ab Apostolis, Ecclesiam dici Apostolicam. Nam in initio ecclesia fuit Apostolica: & tamen in initio non habuit successionem: ergo successio non est ecclesiæ nota, aut certé non propria nota. Illa ipsa ecclesia, cujus Christus author fuit, & magister, & in qua Apostoli educati atq; instituti sunt, caruit successione, & tamen vera ecclesia fuit. Cui enim successit Christus? cui Apostoli? num Aaroni Christus successit? num Sacerdotibus Leviticis? num ex illis Apostolos elegit? nequaquam; sed successit ille Melchisedecho. Fuit enim sacerdos, non secundúm ordinem Aaronis, sed Melchisedechi. Unde etiam colligo, veram & legitimam successionem posse esse interruptam. Christus enim Melchisedecho post multos annos successit. Sic nos dicimus, licét successio per multos annos fuerit interrupta, si

quis tamen ſanam doctrinam doceat, cum Apoſtolis ſuccedere. Sed forſan dicent, tunc novam Eccleſiã cœpiſſe. Verúm meminiſſe debemus, quid Bellarminus ſupra dixit, non fuiſſe hanc novam Eccleſiam, ſed ſtatus duntaxat eccleſiæ mutationem. Unde ego colligo, ſucceſſionem non eſſe veram, ſed accidentalem tantúm eccleſiæ notam; quia non ad eccleſiæ eſſentiam, ſed ad externũ dũtaxat illius ſtatũ pertinet.

Secundum noſtrum argumentum eſt hujusmodi: Synagoga Judaica tempore Chriſti, habuit legitimã Epiſcoporum ſucceſſionem: at non fuit vera Eccleſia: ergo ſucceſſio non eſt vera nota veræ Eccleſiæ. De majori propoſitione conſtat. Nam Adverſarii ipſi dicũt, Cajaphã propter hanc externã ſucceſſionẽ non Sacerdotem tantúm, verumetiam Prophetam fuiſſe, cúm in illo Phariſæorum & ſummorum Sacerdotum Concilio diceret, expedire ut unus homo pro toto populo moreretur, & tota gens nõ periret, Johan. 11. 50. Et idem etiam probant ex Matth. 23. 2. 3. Ubi Chriſtus ait, *In Cathedra Moyſis ſedent Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo, quæ dixerint vobis, ut ſervetis, ſervate & facite.* Minorem probo. *Primó*, Adverſarii ipſi dicunt, mutatum tunc fuiſſe eccleſiæ ſtatum. Mutato verò ſtatu Eccleſiæ, ipſam etiam eccleſiam mutatam fuiſſe, neceſſe eſt. Ergo non fuit eccleſiæ ſtatus apud eos, apud quos priús fuit. Unde ſic disputo. Si eccleſiæ ſtatus tunc fuit apud Chriſtum & Apoſtolos; tum non fuit apud Scribas, Phariſæos, & Sacerdotes: at primum verum: ergo & ſecundum. *Secundó*, damnavit Synagoga Chriſtum, & Chriſti eccleſiam, ut hæreticam, ejuſque doctrinam pro hæretica doctrina habuit, & omnes, qui eum ſecuti ſunt, pro hæreticis: ergo non potuit vera eccleſia eſſe. *Tertió*, Si

Syn-

Synagoga fuit vera Ecclesia, tum duæ simul veræ Ecclesiæ sibi invicem adversariæ in mundo fuerunt. Hanc enim fuisse Christi Ecclesiæ adversariam, constat ex Johan. 9. 22. & 12. 42. Ubi legimus, Scribas, Pharisæos, & Sacerdotes decreviſſe, excommunicandos esse eos omnes, qui Christum confessi sunt, omnemq; operam dediſſe, ut ejus Ecclesiam é mundo penitus extirparent. Sic ergo concludo: Synagoga de Christi Ecclesia ut de schismatica judicavit: ergo illi adversaria fuit: At Christi Ecclesia fuit vera Ecclesia: ergo Synagoga vera Ecclesia non fuit. Ex his constat, successionem non esse veram Ecclesiæ notam. Nam tum Christus cum suis Ecclesia non fuisset, & Sacerdotes cum suis fuissent Ecclesia. Miror quid de hac successione responsuri sint. Si interruptam fuisse dixerint, tum ecclesia poterit sine successione servari. Si non fuisse interruptam dixerint, tum successio nõ est Ecclesiæ nota. Nam Synagoga habuit successionem, & tamen vera Ecclesia non fuit. Et de hoc argumento satis multa diximus. Sequitur nunc, ut reliqua nostra argumenta contra Papisticam successionem proferamus.

Tertium igitur argumentum nostrum sic se habet. Successio Episcoporum potest á doctrinæ successione separari: ergo non est nota veræ ecclesiæ. Consequentia aperta est. Quærimus enim veræ Ecclesiæ notas. At vera Ecclesia esse non potest, quæ veram & Apostolicam doctrinam non habet: ergo si non adsit vera doctrina, successio nihil valet. Et Adversarii quidem ipsi fatentur, sine successione doctrinæ, Episcoporum successionem nihil valere: Ergo successio doctrinæ probat Episcoporum successionem, non hæc illam. Atq; hîc

quidem operæprecium est videre, quæ sit Adversariorum nostrorum perversitas. Ut probent, se habere Ecclesiam Apostolicam, proferunt successionem Episcoporum; & tamen concedunt, eam á successione doctrinę separari posse, & tum nihil valere. Quorsum ergo eam per se proferunt? Bellarmini ingenua est hac de re confessio, cujus hæc in hoc capite verba sunt. *Dico* (inquit) *argumentum á successione legitima afferri á nobis præcipué ad probandum, non esse Ecclesiam, ubi nõ est hæc successio, quod quidem evidens est; ex quo tamen nõ colligitur necessarió, ibi esse Ecclesiam, ubi est successio.* Ita aperté hanc non esse Ecclesiæ notam fatetur. Quomodo enim est successio ecclesiæ nota, quæ veram ecclesiam non indicat? Ficta certé, non vera nota est. Ejus defectus arguit falsam ecclesiam, sed ipsa non arguit veram, ex Adversarii confessione. Quare ex his sic denuo concludo: Successio Episcoporum potest esse sine successione doctrinæ, & ejus expers esse: ergo non est certa Ecclesiæ nota. Hæc omnia ab Adversariis non negantur. Quare ad aliud argumentum progrediamur.

Quartum nostrum argumentum est hujusmodi. Si Episcoporum successio sit nota ecclesiæ veræ, tum multæ hæreticæ & schismaticæ Ecclesiæ sunt veræ Ecclesiæ: at falsum secundum: ergo & primum. De minore satis constat. Eam enim dabunt Adversarii. Restat ergo, ut consequentiam majoris probemus, & eam firmam esse ostendamus. Hæreticas verò & schismaticas Ecclesias, hanc, de qua loquimur, Episcoporum successionem habere posse, satis constat. Nam Act. 20. 29. & 30. Paulus accersitis ecclesiæ Ephesinæ Presbyteris, sic illos alloquitur: *Ego illud scio, lupos graves non parcentes gregi, ingressuros esse in vos post discessum meum,*

meum, & ex vobis ipsis exorituros, qui loquantur perversa, ut discipulos post se abstrahant. Hi successionem ab Apostolis habebant, etiam eadem loca, & easdem sedes ac Ecclesias tenebant, quæ ab Apostolis tenebantur: non tamen erant veri Episcopi, nec illæ tum veræ Ecclesiæ, quando hos Episcopos habebant, quia in doctrina Apostolica non permanebant. Præterea Arianorum Episcopi, Eusebius Nicomedienſis, Eustathius, & alii, locorum, hominum, sedium, Ecclesiarum, ab ipsis Apostolis successionem habuerunt. Erant illi vocati, electi, ordinati, juxta morem Ecclesiæ, & leges Ecclesiasticas: non novam vocationem, aut ordinationem, sed legitimam habuerunt. Et sic etiam Donatistæ. Paulus Samosatenus in Ecclesia Antiochena successit Apostolo, ipsi nimirum Petro, quemadmodum Adversarii putant, perinde ac Pontifices Romani. Præterea in Ecclesia Græca adhuc servatur successio Episcoporum á Christo, & tamen Adversarii schismaticam esse illam Ecclesiam affirmant. *Respondet* Bellarminus de Græca Ecclesia; eam habere successionem á tempore duntaxat Constantini huc usque, non autem ab Apostolicis temporibus. *Respondeo:* Hoc aliquid est, quod Adversarii fatentur. Et certé hæc longa successio est, annorum scilicet mille ducentorum, & ampliús. Sed affirmo habere successionem á Christo & Apostolis. Nicephorus enim lib. 8. Chronologiæ suæ, cap. 6. enumerat Bizantinæ Ecclesiæ Episcopos numero viginti tres, & eos ab Andrea Apostolo continuâ successione deducit, & annos etiam cujusque tam accuratè numerat, quám illi solent in Romanis Episcopis. Sed hîc objicit quędam Bellarminus, quibus respondendum est. *Primó* ait, id nullos veteres tradere. *Respondeo:*

Non posse videri hęc á Nicephoro conficta. Nam ab Andrea Episcopos commemorat, usque ad Alexandrum, egregium illum Episcopum, cujus precibus sublatus est Arius, & Andream fuisse fundatorem & constitutorem illius Ecclesiæ, ibiq; prædicasse affirmat. Et omnes historiæ testantur, obtigisse illam provinciam Andreæ, in qua erat Bizantium, eumq; ab Ægea Achaiæ proconsule interfectum esse. *Secundó* objicit Bellarminus, Ecclesiam Bizantinam sive Constantinopolitanam, nunquam á Patribus dictam esse Apostolicam. *Respondeo:* Multas Ecclesias ab Apostolis ipsis fundatas, non fuisse vulgó dictas Apostolicas, cujusmodi erat Ecclesia Ephesiorum, Ecclesia Galatarum, Ecclesia Corinthiorum, & aliæ: ergo non ideo sequitur, non fundatam fuisse hanc Ecclesiam ab Andrea Apostolo, nec ab illo successionem habere, quia non est dicta Apostolica. *Tertió* objicit, Patres Concilii Constantinopolitani primi, Ecclesiam illam novellam vocare. *Respondeo:* Fateor hāc Ecclesiam ab istis Patribus novellam vocari. Sed abutuntur Papistæ hoc testimonio. Intelligebant enim Patres isti, non tum nuper cœpisse illam Ecclesiam, sed cúm antea á Macedonio hæretico oppressa fuisset, & pené extincta, nuper integritati & quasi vitæ suæ, Nectario substituto, restitutam esse. Novellam ergo dicebant illam Ecclesiam, quia nuper instaurata fuerat. Hæc fuit sententia Patrum illorum, quæ nihil facit pro Adversariis. Aut ergo Græcis tribuant Ecclesiam veram Adversarii nostri, quód illi præstantiorem habeant successionem, quám Romani: aut mittant istam suam fictam Ecclesiæ notam. Alterum horum eos facere est necesse.

Quintum argumentum nostrum sic instituo. Ecclesia

clesia Romana deseruit jampridem fidem veterem: ergo successio Papistica non arguit veram ecclesiam. Sequitur hoc argumentum ex ipsorum Adversariorum sententia, qui successionem sine fide nihil valere fatentur. Antecedens veró probabimus non levibus conjecturis, aut suspicionibus; sed ex tabulis Apostolicis, quas ipsi nobis Apostoli reliquerunt. Ex his (inquam) demonstrabimus, non retinere illos sanam doctrinam ab Apostolis traditam, sed eam jamdiu pervertisse. Ergo si volunt recté suam Ecclesiam defendere, debent hinc suam fidem probare. Nobis sufficit ad hanc illorum successionem evertendã, quód illos á fide Apostolica desciviſse ostendimus. Sic enim ratiocinamur: Successio quæ descivit ab Apostolica fide, non est vera nec legitima successio. Hoc illi dant. At nos assumimus, Romanam hanc successionem esse talem: unde sequitur, Romanæ Ecclesiæ successionem, non esse successionem veram & legitimam. Sic de minore omnis lis & controversia deinceps instituenda est. Nos dicimus, non convenire illorum doctrinam tabulis Apostolicis; sed illos fidem deseruisse, & in doctrina Apostolica non permansisse. Desinant igitur deinceps, nobis Episcoporum successionẽ objicere; & probent, doctrinam suam esse Apostolicam; alioqui evertitur hæc successio Episcoporum, quam illi tantopere urgent. Si doctrinam Catholicam esse constiterit, agnoscenda est successio Episcoporum: sin minus, non est agnoscenda. Sed Bellarminus ait, admisso quód sit dubium, ubi vera fides sit: tamen Episcopos Catholicos, qui per tot secula suas sedes pacificé possederunt, nõ posse eis privari, nisi legitimé judicentur & damnentur. Nam in omni controversia (inquit) melior

est conditio possidentis. *Respondeo* 1. De jure politico non contendam; sed jure divino damnandam esse illorum Ecclesiam, & Episcopos illorum non esse veros Episcopos, ac proinde etiam damnandos, affirmo. Oseæ 4. 6. Deus ait: *Quia tu scientiã repulisti, ego te repuli, ne sacerdotio fungaris mihi.* Sic Episcopi Pontificii sanam doctrinam non docent, & sunt apostatæ; atq; ita de jure, ipso facto, non sunt Episcopi. Ex Adversariorum sententia, si summus Pontifex in hæresin inciderit, tum ipso facto non est Episcopus. Possessio illum nihil juvat. Cúm ergo multi Pontifices Romani varias hæreses tenuerint: illos non tantúm jure divino, sed jure etiam Ecclesiastico, & Politico, non fuisse legitimos Episcopos, ex hac illorum confessione constat. Quod veró valet in summo Pontifice, idem etiam in omnibus Episcopis inferioribus valeat necesse est. Cúm ergo nos Episcopis illorum omnibus hæreseos crimen impingamus: meritó illos Episcopos esse negamus. 2. *Respondeo*, & dico: potuisse Cajapham Judæorum Pontificem, se hoc modo contra Christum & Apostolos ejus defendere, si qui possideant, semper sint meliori conditione. Nam ille potuit dicere, oportuisse se priús judicari & damnari, quám á sua sede dimoveretur; alioqui meliorem esse conditionem possidentis, Christum veró non habuisse authoritatem judicandi & damnandi ipsum. Cajaphas enim noluit CHRISTUM judicem agnoscere, quemadmodum nec Papistæ Scripturas, & in Scripturis loquentem Christum. Eadem ergo ratio Cajaphæ, & Pontificum Romanorum hac in re. Nam etsi Christus fuit missus á Deo, & ideo illius Ecclesia vera Ecclesia fuit: tamen hoc Judæi negabant, ut nunc Papistę, nostram Ecclesiam esse á Deo, negant.

negant. Et certé de nostra doctrina, non magis quàm de Christo ipso, dubitari potest.

Sextum nostrum argumentum sumitur á distributione, in hunc modum. Successio Episcoporum aut est ordinaria, aut extraordinaria. Quæro, utram intelligant Adversarii? Si extraordinariam: illam successionem dicimus in nostra Ecclesia inveniri. Quare si illa sit nota veræ Ecclesiæ, tum nostra vera est Ecclesia, quæ eam successionem habet. Extraordinariam verò successionem vocamus, quæ non sequitur morem consuetum, & passim receptum, sed cujus Deus ipse author est, sicut ipsi visum fuerit, cõtra communem morem, & vulgo receptam consuetudinem. Si hanc successionem intelligant, nos dicimus, nostram Ecclesiam posse hac nota commendari. Habuit enim nostra Ecclesia hanc successionem, quia ordinaria successio corrupta erat; quemadmodum Deus solitus est in statu Ecclesiæ desperato, ministros extra ordinem excitare. Sed hîc Adversarii egregium argumentum afferunt, quo hanc nostram extraordinariam successionem infringant: nempe extraordinarias successiones miraculis confirmari & comprobari oportere, at nostram successionem nullis miraculis comprobatam aut confirmatam fuisse: ac proinde non esse extraordinariam. *Respondeo* 1. hoc non esse necessarium, ut nostra vocatio aut successio miraculis confirmetur. Multi enim Prophetæ extraordinariè vocati, & in munere Prophetico collocati, nullis miraculis commendati fuerunt. Proferant enim Adversarii, si possunt, aliquod miraculum Jeremiæ, Ezechielis, Joëlis, Oseæ, Amosi, qui omnes extraordinariè vocati sunt. Sic Johannes Baptista extraordinariam vocationem habuit, & tamen nul-

lum miraculum edidit, ut patet Joh. 10. 41. ubi Evangelista sic scribit: *Multi veniebant ad Christum, & dicebant, Johannes quidem nullum signum edidit; quæcunq; autem de isto dixit, vera erant.* Quæ verba sic Theophylactus interpretatur: εἰ ἐκείνῳ ὅτις ἐπίσευσαμεν μηδὲν πεποιηκότι σημεῖον, πολλῷ μᾶλλον τούτῳ τῷ τοσαῦτα θαύματα ἐργασαμένῳ. *Si illi credidimus, qui nullum miraculum edidit, multó magis huic, qui tam præclara edidit miracula.* Et Chrysostomus in homil. 47. in Matth. sic scribit: *Quod signum fecit Johannes, qui tot tantasq; civitates erudivit? nam nihil ipsum miraculosé egisse, testatur Evangelista dicens, Johannes quidem nullum signum fecit.* Et sané Antichristus, non miraculis, sed spiritu Christi, id est, voce Evangelii, expugnandus & perimendus est, ut habetur 2. Thess. 2. 8. 2. *Respondeo:* Miracula á nobis hoc tempore non esse desideranda. Lutherus enim, Zuinglius, Calvinus, & alii Pastores nostri, non novam aliquam fidem aut doctrinam invexerunt, nec novam Ecclesiam erexerunt, sed veterem fidem instaurarunt, & Ecclesias variis modis corruptas perpurgarunt. Christi ergo & Apostolorum miracula nostra sunt, & his nostra Ecclesia celebratur; quia illi eandem fidem miraculis confirmarunt, quam nos docemus. Post Ecclesiam veró propagatam, miraculorum finis est. 3. *Respondeo:* Miraculum hoc maximum esse, quód illi homines nostri (Lutherum intelligo, & Zuinglium) monachi pauperculi cum essent, & homines nullius pretii & numeri in mundo: tantum tamen valuerunt, ut magnam Christiani orbis partem post se traherent, Antichristum tam potentem tam mirificé brevi debilitarent, & Ecclesias Christianas vel invito illo & repugnante passim instituerent. Sic Patres sæpiús

mundi

mundi conversionem in miraculis numerant. Ita Chrysostomus in 1. Corinth. homil. 6. Et Augustinus in lib. 22. de civitate Dei, cap. 8. hæc verba habet: *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Sed ordinariam forsan successionem, veræ Ecclesiæ notam esse, dicent Adversarii. At hanc nos dicimus, etiam in vera Ecclesia interruptam fuisse nonnunquam & interciſam. *Primó* enim, Deus familiæ Eli successionem interrupit, & sacerdotium ab illa familia in aliam transtulit, etiamsi antea promiserat, perpetuam fore Sacerdotum in illa familia successionem, quemadmodum legimus 1. Samuelis 2. 30. Postquam enim Eli, & filii ejus fœdus Domini violassent, & á Deo turpiter desciviſſent: non fuit Deus ulteriús illi familiæ astrictus. Ita quamvis Adversarii nostri haberent tale promissum, quale familia Eli habuit, quod non habent: tamen cúm á vera Dei religione jamdudum aberrarint, & veram fidem deseruerint, Deus illis jam obstrictus non teneretur. *Similiter* 2. Chron. 28. v. 24. 25. & 2. Regum 16. v. 10. 11. legimus, tempore Regis Achaz templum pollutum fuisse, & fores ejus fuisse occlusas, Uriam denique summum sacerdotem, verum DEI cultum in cultum alienum atque adeó in idololatriam mutasse. Ubi tum successio, cúm ipse summus sacerdos idololatriâ se pollueret, & cultum Dei prorsus corrumperet? Ita Ezechiel. 44. v. 12. 13. & in versibus sequentibus, minatur Dominus, se velle rejicere Levitas illos á ministerio suo, eosque é locis & sedibus suis deturbare, qui idololatriâ sese polluissent, & alios illorum vice ordinaturum. *Præterea* Christus non sequutus est ordinem successionis.

Non enim Apostolos suos é Leviticis Sacerdotibus elegit; sed ex ipsa plebe, atque adeó ex fece populi. *Deniq;*, temporibus Antichristi necesse est interrumpi successionem. Scriptura enim ait, fore ut ille apostasiam in Ecclesiam invehat, & omnia susq; deque vertat. Et tamen tunc Ecclesia erit. Non enim relinquet eam solam Deus, sed excitabit duos testes, ut legimus Apoc. 11. 3. hoc est, paucos fideles Pastores, non in ordinaria, sed in extraordinaria successione. Non ergo semper durat successio ordinaria; quâ sublatâ, Deus prospicit Ecclesiæ suæ modis extraordinariis, & Pastores extraordinariè excitat, & eosdem donis extraordinariis cumulat; ut Lutherum, Zuinglium, Farellum, Calvinum. Si illi expectassent vocationem Papisticam, nunquam aliquid boni fecissent. Nam illorum temporum Episcopi, causa erant corruptæ doctrinæ & omnium malorum, omnemq; operam dabant, ne quis Pastor aut Episcopus rectè suo munere fungeretur: ergo necesse fuit, ut extra hunc ordinem aliqui excitarentur. Quare cùm ordinaria successio corrupta esset, viam invênit Deus extraordinariam, qua Ecclesia restitueretur. Quemadmodum enim fieri solet in ædificio collapso, ut qui illud restaurare cupit, in veteri fundamento non ædificet, quia convulsum est, & minus firmũ, & plenum ruderum, sed novum aliquod fundamentum ponit: ita in restauratione Ecclesiæ factum est. Voluit enim Deus non in veteri fundamento, hoc est, in successione Episcoporum, sed novo quodam & extraordinario modo, illam restaurationem fieri.

Septimum nostrum argumentum contra successionem Papisticam, ex Patribus desumtum est; qui externam & personalem successionem, Ecclesiæ notam

tam non ſtatuunt, ſed fidei ſemper & doctrinæ ſucceſſionem requirunt. De Irenæo, Tertulliano, & Auguſtino ſuprá nonnulla diximus. De his ergo nunc pauciora dicenda ſuperſunt, ſed tamen aliqua. Auguſtinus in lib. de unitate Eccleſiæ cap. 16. ait, ſe nolle Eccleſiam probare, vel ex ſucceſſione Epiſcoporum, vel ex authoritate Conciliorum. Et Tertullianus in lib. de præſcript. adverſus hæret. hæc verba habet: *Non ex perſonis fidem, ſed ex fide perſonas probari oportet.* Sic nos Adverſariis dicimus: Probent perſonas ex fide, non fidem ex perſonis. At illi contrá faciunt. Fidem enim ſuam probant ex perſonali Romanorum Epiſcoporum ſucceſſione. Hieronymus, ut eſt apud Gratian. diſtinct. 40. capit. *Non eſt facile*, ſic ſcribit: *Non ſanctorum filii ſunt, qui tenent loca ſanctorum; ſed qui exercent opera eorum.* Ergo ſic doceant Adverſarii noſtri, ſic faciant, ſic credant, quemadmodum ſancti, qui ante illos fuerunt: alioqui ſucceſſionem urgere deſinant. Et idem Hieronymus ibidem ait, *non eſſe facile, ſtare in loco Petri & Pauli, & tenere Cathedram regnantium cum Chriſto.* Ambroſius in lib. 1. de pœnitentia, cap. 6. ſic ſcribit: *Non habent hæreditatem Petri, qui fidem Petri non habent.* Reddant ergo nobis Adverſarii Petri fidem, & nos illis Petri hæreditatem concedemus. Nazianzenus in libro quem ſcripſit de laudibus Athanaſii, egregiè multa ſcribit hac de re. Ait, Athanaſium Marco ſucceſſiſſe, & electum fuiſſe ψήφῳ τοῦ λαοῦ παντὸς, hoc eſt, *totius populi ſuffragio.* Tum ſubjungit; non minús, imó multó magis, pietatis & fidei, quám loci & dignitatis, ſucceſſionem habuiſſe: non enim immediatè Marco ſucceſſiſſe, ſi locum reſpiciamus, ſed longo póſt intervallo; at ſi fidem reſpiciamus, mox & proximè illi ſucceſſiſſe; &

hanc demum veram ſucceſſionem eſſe. Egregius locus eſt, & dignus quem inſpiciamus. Si hujusmodi ſucceſſionem habeant Adverſarii, oſtendant; ſed non poſſunt. Nazianzeni hæc verba ſunt: ὑχ ἥττον τῆς διδασκαλίας ἢ προεδρίας αὐτῆς διάδοχος. τῇ μὲν γὰρ πολλοστὸς ἀπ' ἐκείνου, τῇ δὲ ἀθρόως μετ' ἐκεῖνον δείκνυται, καὶ δι' ἀκριβείας ἐπόλιπτέον διαδοχήν. τὸ μὲν γὰρ ὁμόγνωμον, καὶ ὁμόθρονον· τὸ δὲ ἀντίδοξον, καὶ ἀντίθρονον. καὶ ἡ μὲν, προσηγορίαν· ἡ δὲ ἀληθῶς ἔχει διαδοχῆς. *Non minús pietatis, quám primariæ ſedis ſucceſſor. Ut enim ſi hanc ſpectes, remotiſſimus ab eo futurus eſt: ita ſi illius rationem habeas, ſtatim illi proximus invenietur. Quæ quidem proprié ſucceſſio exiſtimanda eſt. Nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, ejusdem quoq; throni particeps eſt: Qui autem contrariam fidem amplectitur, adverſarius quoq; in throno cenſeri debet. Atq; hæc quidem nomen, illa verò rem ipſam & veritatem habet ſucceſſionis.* Poſtremó Bellarminus ipſe nobis in hac cauſa favet. Ait enim in hoc capite, non colligi neceſſarió, Eccleſiam ibi eſſe, ubi eſt ſucceſſio. Quo in loco docet, defectũ ſucceſſionis arguere falſam Eccleſiam; ſed ipſam ſucceſſionem non continuó veram Eccleſiam arguere. Ergo non eſſe illam veram Eccleſiæ notam concludo. Ita jam ipſi Adverſarii in noſtra caſtra tranſierunt. Unde etiam conſtat, falſum eſſe illud, quod ſcribit Stapletonus lib. 4. de princip. doctr. cap. 20. ſucceſſionem doctrinæ non poſſe á perſonali & locali ſucceſſione ſeparari. Quod ſi verum eſſet, tum non modó ſucceſſionis defectus Eccleſiam falſam, verum etiam ipſa ſucceſſio veram Eccleſiam ſemper argueret. Et ſic quidem Annas & Cajaphas, ſic Scribæ & Phariſæi, ſic illi de quibus Act. 20. 29. 30. doctrinæ ſucceſſionem ſibi arrogare & vendicare poterant. Et de hac quinta nota non opus eſt ut plura dicamus.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

In quo sexta Ecclesiæ nota á Bellarmino proposita refellitur.

DE quinq; Bellarminianis Ecclesię notis ea diximus, quæ nobis dicenda videbantur; & quam quæque vim haberet, ostendimus. Nunc ad sextam veniamus. Sextam notam facit, conspirationem in doctrina cum antiqua Ecclesia. Et hîc duo agit. *Primó*, probat hanc esse notam. *Secundó*, argumentum hinc colligit pro Ecclesia Romana. *Primum* duobus testimoniis probat. *Primum* testimonium sumitur ex Tertulliano in libro de præscript.contr.hæres.ubi ait, veram Ecclesiam dici Apostolicam, non solúm propter successionem Episcoporum ab Apostolis, sed etiam propter doctrinæ consanguinitatem; quia videlicet doctrinam retinet, quam Apostoli tradiderunt. Certum autem est (inquit) antiquam Ecclesiam primis quingentis annis veram Ecclesiam fuisse, & proinde Apostolicam doctrinam retinuisse. *Respondeo* 1. Quod ait Bellarminus, conspirationem in doctrina cum antiqua Ecclesia, esse notam Ecclesiæ: si per antiquam Ecclesiam intelligat Apostolicam, agnoscimus verum esse quod dicit. Conspiratio enim in doctrina cum hac Ecclesia, veræ Ecclesiæ nota est. Sin per antiquam Ecclesiam, intelligat eam, quę subsecuta est quingentis aut sexcentis annis post Christum: dicimus, conspirationem in doctrina cum hac Ecclesia, non aliter veræ Ecclesiæ notam esse, nisi quatenus hæc Ecclesia cum Apostolica conspiravit. 2. *Respondeo:* Si volunt ergo Adversarii nostri probare, suam Ecclesiam esse Apostolicam; ostendant, se doctrinę consanguinitatem cum Ecclesia Apostolica habere. Hoc si fecerint, nos acquiescemus.

Sed debent hoc ex veris literis & tabulis Apostolorum, non ex levibus quibusdam conjecturis demonstrare. Quare ergo istam cum Ecclesia Apostolica doctrinæ consanguinitatem non urgent? 3. Dico, Ecclesiam illam quæ quingentis aut sexcentis annis post Christi tempora fuit, etsi vera fuit Ecclesia, tamen non per omnia tenuisse doctrinam Apostolicá; nec tam puré & sinceré omnia fidei dogmata tradidisse, quám tradidit Ecclesia Apostolica; id quod ex scriptis Patrum, qui illis temporibus vixerunt, manifesté liquet. Quin & ipsis Apostolis adhuc vivis, cœpit mysterium iniquitatis operari. Tamen illa Ecclesia omnia necessaria fidei dogmata, & omnia Christianæ religionis fundamenta salva tenuit. Et licet errores etiam quosdam simul tenuit: tamen illi errores non erant capitales. Neque enim si vera Ecclesia fuit, in nulla re eam errasse sequitur. Nam tum nulla vera Ecclesia posset errare. At dant Adversarii, hanc & illam Ecclesiam errare posse. Tenuit quidem illa Ecclesia Apostolicam doctrinam, in partibus præcipuis & plurimis, non in omnibus.

Alterum testimonium á Bellarmino allatum, quo probat conspirationem in doctrina cum antiqua ecclesia, esse verę Ecclesiæ notam, sumitur ex Zozomeno lib. 7. histor. cap. 12. Ubi laudat Zozomenus Theodosium Imperatorem, quód hac arte hæreticos sui temporis compescuerit. Jussit ille principes sectarum in unum locum convenire; deinde ab illis quæsivit, an existimarent antiquos Patres, qui Ecclesiam rexerant ante disidium illud, quod tunc de religione ortum fuerat, recté consensisse, & veré sanctos ac Apostolicos fuisse; quod cúm illi concessissent, & rem ita se habere respondissent; subjunxit

statim

statim Theodosius: *Examinemus ergo doctrinam vestram ad illorum scripta; & si cum illis consenserit, retineatur; sin minus, abjiciatur. Respondeo* 1. Me quidem probare hoc inventum, cujuscunque tandem fuerit. Erat enim satis commodum & pium. Volunt quidam, inventum fuisse Agellii cujusdã, Episcopi Novatiani. Sed quæstio tum fuit de Trinitate tantúm. Nos libenter doctrinam veterum Patrum hac de re amplectimur. Si tempora, Christi & Apostolorum ætatem subsequentia, in reliquis omnibus religionis capitibus tam pura fuissent, quám in hoc fuerunt; nos Ecclesiæ illorum temporum in omnibus assensum nostrum libenter præberemus. 2. *Respondeo:* Si doctrina potest examinari ad scripta hominum, cur non etiam ad sacras Scripturas? Si rectè dixit Princeps ille, *Examinemus vestram doctrinam ad Patrum scripta:* cur non rectiús multó nos dicamus, examinandam esse omnem doctrinam ad Scripturas; quæ luce, dignitate, claritate, omnes omnium Patrum libros superant? Non enim debemus existimare, Patres meliús, sanctiús, aut sinceriús docuisse, quám docuit Spiritus sanctus in Scripturis. Et nos quidem non recusamus istam examinationem, quam Theodosius memoravit, si Adversarii nos ad Scripturas tandem devenire patientur. 3. *Respondeo:* Quare non provocavit Princeps iste ad Pontificem Romanum? quare non dixit, Eamus ad summum Controversiarum judicem in terris? Forsan hoc illo tempore cognitum non fuit, illum summum in terris Controversiarum judicem fuisse. Et verissimum hoc quidē est. Sed respondebunt illi fortasse, ut sunt satis callidi, rem huic Principi fuisse cum hæreticis, qui Romani Pontificis judicium recusare voluissent. Verúm hanc

ego reſponſionem ſtatim tollam. Si enim hoc verum ſit; tum hæreſis hæc fuit, nolle Romanũ Pontificem ſummum in terris judicem agnoſcere. At non fuit. Oſtendant enim, quis illius hæreſeos author fuit, aut quis unquam propter eam damnatus eſt, & alia illa omnia, quæ ipſi de omni hæreſi oſtẽdi poſſe affirmant. At iſta nunquam poſſunt oſtendere, nec propter hoc quisquam unquam pro hæretico habitus eſt.

Jam *ſecundó* Adverſarius ex hac nota vult probare, ſuam Eccleſiam eſſe veram. Hoc veró, ait, duobus modis probari poſſe. *Primó*, proferendo ſententias veterum, quibus ſingula illorum dogmata confirmari, noſtra veró refutari poſſent. Sed hunc modum ait nimis prolixum eſſe, & multis calumniis & objectionibus obnoxium. *Reſpondeo*: Hunc modum nos non improbamus. Nam etſi non judices eſſe Patres agnoſcimus: tamen teſtes eſſe veritatis nõ negamus; ſic tamen, ut non ſint omni exceptione majores. Nã omnes errarunt. Tamen nos noſtram doctrinam fuiſſe omnibus ſeculis in Eccleſia, poſſumus ex Patrum ſcriptis probare. Sed Adverſarius hanc viam non probat. Aliâ ergo viâ progreditur. Altera via (inquit) eſt brevior & certior, nimirum oſtendendo primúm ex confeſſione Adverſariorum, noſtra dogmata eſſe doctrinam omnium veterum; deinde dogmata Adverſariorum habita fuiſſe in Eccleſiâ antiquâ, pro exploratis hæreſibus. Sic enim conſtabit (inquit) doctrinam noſtram conſpirare cum doctrina veterum Catholicorum, doctrinam veró illorum conſpirare cum doctrina veterũ hæreticorũ. Jta *primó* docet, ſe eadem dogmata tẽnere, quæ antiqui Patres tenuerunt. *Secundó* oſtendit, nos eadem tenere cum antiquis hæreticis. *Reſpondeo* 1. Nos quidem fatemur, quosdam

quosdam errores Papisticos esse antiquos, & á Patribus etiam teneri, ac defendi. Quod nos certé liberé & aperté profitemur. Non enim causam nostram quicquam lædit. Nam religio cœpit corrumpi, vivis adhuc Apostolis; & mysterium iniquitatis, quemadmodum antea diximus, tum peragi cœptum est; quod postea paulatim, magis indies magisq; crevit. Ergo hoc nihil ad rem; nisi probet, ea dogmata quæ ipsi ab antiquis Patribus habent, esse eadem quæ Apostoli docuerunt; ut tandem ad antiquissima tempora veniant. 2. Agnosco, quædam nostra dogmata á quibusdam Patribus improbari; quæ tamen nos non esse improbanda dicimus; quia possumus probare, eadem omnia cum doctrina Apostolica consentire; & nos illa tenendo, cum antiquissima Ecclesia conspirare. Nostram verò doctrinam nulli pro hæresi damnarũt, nisi qui Scripturam ipsam damnaverint. Nam si potest ex Scriptura refelli, nos illam quoq; hæreticam esse fatebimur. Aliter non moramur, si nostrum aliquid Pater aliquis damnet; modó id sine authoritate Scripturæ faciat. Nunc Adversarius *primó* probat, sua dogmata, ex nostra confessione, ab antiqua Ecclesia recepta fuisse. *Secundó* docet, nostra dogmata hæretica esse. Nos nunc de utrisq; breviter respondeamus.

Quod ad primum attinet, profert quædam testimonia ex Calvino & Centuriarum scriptoribus. Isti quosdam veterum errores annotarunt, quos cum Papistis cómmunes habuerunt; nempe de libero arbitrio, de meritis, de limbo, de invocatione Sanctorum, de cælibatu Episcoporum, de satisfactione, & quibusdam hujusmodi. Ergo Bellarminus ait, nos concedere, veterem Ecclesiam sic sensisse, quemad-

modum ipsi sentiunt, imó omnes veteres sic sensisse. *Respondeo:* Verum esse, quod Calvinus ait, & qui Centurias scripserunt, in multis erratum esse á veteri ecclesia; ut de limbo, de libero arbitrio, de operum meritis, & reliquis illis quæ suprá commemorantur. De singulis respondere, nimis longum esset. Suo loco omnia Deo favente tractabuntur. Sed in his colligendis testimoniis, Bellarminus triplicem fallaciam adhibuit. *Prima* est, quia persuadere vult, quod de quibusdam Patribus dicunt Calvinus & Centuriatores, id de omnibus Patrib⁹ intelligi; quasi ea omnium Patrum sententia fuisset. Exempli gratiâ, de invocatione Sanctorum, & de satisfactione, omnes Patres non idem docuerunt, quod Papistæ. Quod ad satisfactionem attinet, de ea quidem Patres loquuntur, sed illi Ecclesiasticam quãdam satisfactionem intelligebant, non talem, qualem Papistæ. *Secunda* Adversarii fallacia est, quód quæ Calvinus & Centuriatores ex iis Patribus producunt, qui sunt in manibus, ea non tantúm omnium Patrum, sed totius etiam Ecclesiæ dogmata fuisse colligit. Sed unde hoc intelligit, aut quomodo id statuere potest; cúm quidem Patres nihil scripserint; quorundam veró libri, quos scripserunt, jam non extent? *Tertia* ejus fallacia est, quód errores veterum Patrum, pro certis & sinceris fidei articulis obtrudit; & se esse veram Ecclesiam contendit, quia errores veterum Patrum tenent; quasi illi non potuerint errare. At illi in multis errarunt, quemadmodùm nos probare possumus; & in quibusdam certé errasse, Adversarii ipsi fatentur. Ita hæc est Adversariorum defensio: quando Patres cum illis faciunt, tum non errant; quando cõtrá, tum errant. Ita ea tantúm in Patribus vera esse volunt,

quæ

quæ Papistis convenientia docent; & sic illi loquuntur, quemadmodum olim Donatistæ, *Quod volumus, verum est.* Nam illorum sententia, est regula omnium Patrum. Sed nos Scripturam, & illorum, & Patrum, regulam esse volumus. Itaque á Patribus ad eam statêram provocandum est: ad eam trutinam omnia sunt examinanda; & quærendum, utra Ecclesia cum ea consentiat. Et de hoc primo plura non respondebimus.

Jam *secundo* loco Adversarius proponit viginti hæresiarcharum hæreses, quas omnes ait á nobis & nostris magistris renovatas esse. Longũ esset omnes accuraté tractare; & istæ disputationes in sua loca reservandæ sunt: paucis tamẽ percurremus. *Prima* hęresis est Simonianorum, de quibus Irenæus lib. 1. cap. 20. Illi docebant, salvari homines secundúm gratiam Simonis, quem Deum faciebant, & *non secundúm operas justas.* Sic enim se verba habent apud Irenæum. Et eadem fuit hæresis Eunomii; qui docuit, non posse homini ulla peccata nocere, modó fidem habeat; ut testatur Augustinus in lib. de hæres. ad Quod-vult-deum, cap. 54. & idem Augustinus in lib. de fide & operibus, cap. 14. ait, hanc hæresin de sola fide sufficiente ad salutem sine operibus, ortam esse tempore Apostolorum, ex non intellecto Paulo; & propterea contra hanc hæresin stylum præcipué direxisse alios Apostolos in suis Epistolis, id est, Petrum, Joannem, Jacobum & Judam. At hæc eadem (inquit Bellarminus) est sententia omnium sectariorum hujus temporis. Sic Lutherus in lib. de captivitate Babylon. ca. de Eucharistia: *Non aliâ viâ* (inquit) *potest homo cum Deo convenire, aut agere, quám per fidem; opera ille nihil curat.* Et ibidem: *Tam dives est Christianus, ut non possit per-*

ire, etiamsi velit, quantumcunq; malé vivat; nisi nolit credere. Et Calvinus ac Brentius (inquit) etsi opera dicunt esse necessaria, ut effecta fidei: tamen adhuc hærent in eodem errore, cúm negant opera mereri vitam æternã; & si quis post omnia peccata habeat actum fidei, ei nullum peccatum imputari; quod nihil aliud est, quám quod Eunomius docuit. *Respondeo*: Viginti hæ hæreses, viginti calumniæ sunt. Sed nos de singulis ordine respondebimus, & primó de Simone. Nostráne sententia similis est sententiæ Simonianorũ? Blasphemum. Simoniani nihil referre docebant, quomodo quis viveret; salvari enim omnes per gratiam Simonis, modó illum mundi servatorem esse credant. Hæccine, obsecro, nostra sententia est? num nos aliquid huic simile tenemus? Sed urget Adversarius, hanc fuisse Simonianorum sententiam, *non servari homines secundúm operas justas*; quasi Irenæus in ea fuisset sententia, ut crederet Simonianos in hoc errâsse; quod falsum est. Quid enim? num Irenæus sensit nos merito operum servari, quia hoc in Simone reprehendit, quód dixit nos per ipsius gratiam, non per operas justas servari? Non sequitur. Simon dixit, virtutem non esse curandam, nec operationes justas; quia non sunt naturaliter, *sed ex accidentia*, ut loquitur Irenæus, *quemadmodum posuerunt, qui mundum fecerunt Angeli, per hujusmodi præcepta in servitutem deducẽtes homines.* Hæc Simon dixit. Nos virtutes & opera bona esse necessaria dicimus; & nos quoq; secundúm operâ servari, etsi non merito operum; quod Irenæus nunquam sensit; aut si sensit, certé erravit. Ad Eunomium etiam quod attinet, qui credentibus impunitatem scelerum promisit, similiter respondemus. Papistæ sunt Eunomio similiores, quám nos. Nam Eunomius

nomius ejusmodi fidem docuit, quæ cum quibuslibet peccatis stare possit, etsi homo in illis perseveret, ut testatur Augustinus, in lib. de hæres. cap. 54. Nósne tale aliquid docemus? mera calumnia est. Imó nos dicimus, opera esse necessaria, & omnibus fidelibus esse pié & sancté in hoc mundo vivendum, nec posse honestatem á vera fide magis divelli aut separari, quã lucem á sole. Execramur ergo illam Eunomii opinionem, qui dixit, licere cuiq; vivere ut vult. Sunt opera bona, necessarii & inseparabiles effectus fidei. Sed nos dicimus tamen, si quis actum fidei habeat, ei peccata nõ nocere. Id quidem Lutherus affirmat: id nos omnes dicimus. Sed fallit nos Bellarminus per ὁμωνυμίαν. Nam ille per actum fidei, scientiam tantúm religionis intelligit, & cognitionem dogmatum; nos autem veram fidem & fidei πληροφορίαν intelligimus, illam nimirum, de qua Propheta, & Apostolus, *Justus ex fide sua vivet*: & dicimus, quantumvis aliquis peccator maximus fuerit, tamen si credit, remissa ei esse peccata omnia, adeó ut ei non noceant. Scripturas afferre possem ad hoc probandum, nisi quód ad reliquas hæreses properare cupiam.

Secunda hæresis, quam nobis ascribit Bellarminus, est Florini, qui affirmavit, Deum esse causam peccatorum, quam Irenæus apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 20. dicebat esse plus quám hæresin; quam etiam tribuit Vincentius Lirinensis in suo Commonitorio Simoni Mago. Sic Calvinus (inquit) docuit, sic Lutherus, sic Martyr, sic Melanchthon. *Respondeo*: hanc esse impiã calumniã. Nos illã sententiã execramur, Deũ esse cujusquã peccati causã; & cũ Irenęo dicim⁹, eã esse quavis hæresi majorẽ. Hoc solúm nos dicim⁹, peccata nõ sine Dei volũtate & decreto fieri, & Deum

omnia omnium hominum peccata regere; quod ipsa Scriptura manifestè docet; & horum otiosam permissionem, esse dogma Epicureum affirmamus. Sed peccatorum propria causa est Diabolus, & nosmetipsi.

Tertia hæresis est Origenis, qui docuit, Adamum peccantem, totam Dei imaginem, ad quam creatus fuerat, perdidisse; ut testatur Epiphanius, hæres. 63. Idem (inquit) Calvinus docet, lib. 2. Institut. cap. 1. sect. 5. *Per peccatum primi hominis, obliterata est cœlestis imago.* Item Origenis fuit error (inquit) infernum nihil esse, nisi conscientiæ horrorem, teste Hieronymo in epist. ad Anitum. Idem docet Calvinus (inquit) lib. 3. Insti. c. ult. sect. ult. *Respondeo*: nos in neutro cum Origene consentire. Quod ad primum attinet; Calvinus ait, non deletam esse prorsus omnem Dei imaginem in homine, imó ejus reliquias quasdam in anima remanere affirmat, rationem, intelligentiam, sapientiam, & hujusmodi; sed hæc dona esse naturalia, & magna ex parte corrupta; supernaturalia verò affirmat penitus amissa & extincta esse, sanctitatem, justitiam, veritatem; quod nisi Adversarii dãt, sunt planè Pelagiani. De secundo quod ait, Calvinũ dicere, infernum nihil esse, nisi conscientiæ horrorem, falsissimum est. Calvinus semper eam opinionem improbavit. In loco verò citato nihil tale apud Calvinum habetur.

Quarta hæresis est Peputianorum, qui mulieribus sacerdotium tribuebant, ut testatur Augustinus in lib. de hæres. cap. 27. Ita Lutherus (inquit) affirmat in artic. 13. ex iis quos Leo decimus damnavit, in Sacramento pœnitentiæ æquè absolvere posse mulierem, vel puerum, atque Episcopum, vel Papam. *Respondeo*:

spondeo: Insignis hæc de Luthero calumnia est. Lutherus ait, & quidem verissimé, ei veré remissa esse peccata, quem veré peccatorum pœnitet; sive sacerdos absolvat, sive non. Num hoc est mulieribus sacerdotium tribuere? Ait ille quidem, mulierem non minus absolvere posse, quám Papam: tamen non ideo mulieri sacerdotium tribuit, quemadmodum nec puero; nam & puerum etiam ibidem nominat. Sed audite calumniam nobilem. Et jam re ipsa (inquit) Calvinistis in Anglia mulier quædam est summus Pontifex. Quis hoc ferre potest? quis non Papisticam insaniam execretur? Serenissima Regina nostra nihil aliud facit, nisi quod David, Ezechias, Josias, & alii omnes pii Principes fecerunt semper, & facere debent; hoc est, veram religionem in suis Regnis fovet ac tuetur, falsam removet atque é medio tollit.

Quinta hæresis est Procli cujusdã hæretici, de quo mentio fit apud Epiphan. hæres. 64. Is dicebat, peccatum in renatis semper vivere; concupiscentiam enim veré esse peccatum; nec tolli per Baptismum, sed sopiri per fidem; quod idem postea docuerunt Messaliani hæretici apud Theodoret. lib. 4. de hæreticis fabulis. Hæc (inquit) est ipsissima sententia Lutheri artic. 2. & 31. atque in assertionibus eorundem articulorum, item Philippi in locis communibus cap. de peccato originis, & Calvini lib. 4. Instit. cap. 15. sect. 10. *Respondeo:* Nostra sententia non est, quæ fuit Procli. Nam concupiscentiam in renatis peccatum esse nos dicimus, non tamen in iis sic vivere, ut Proclus dicebat, hoc est, in iis non regnare, nec illis imputari. Ita sentimus, quod Paulus & Augustinus senserunt, non quod Proclus.

Sexta

Sexta hæresis est Novatianorum, qui dixerunt nō esse in Ecclesia potestatem reconciliandi homines Deo, nisi per Baptismum; & postea etiam addiderūt; non debere baptizatos inungi chrismate ab Episcopo, ut refert Theodoret. lib. 3. de hæret. fab. & Cornelius Papa apud Euseb. lib. 6. hist. cap. 33. Sic Calvinus (inquit) & Lutherus. *Respondeo*: Novatus pœnitentiæ post Baptismum nullum locum reliquit. Nos aliter. Sed pœnitentiam tamen non esse novum Sacramentum dicimus; nam Baptismum obtinere vim suam per omnem vitam. Atque hæc quidem est causa hujus calumniæ, nimirū quód pœnitentiam Sacramentum esse negamus; quod quidem absurdum & impium est dicere. Ergo illud Hieronymi dictū, *pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium*, si per secundam tabulam secundum Sacramentum intelligat, repudiamus: sin tantúm remedium quoddam esse sentiat, quo lapsi post Baptismum uti possunt, ut cum Deo in gratiam redeant, concedimus.

Septima hæresis est Sabellii, qui docuit, unam tantúm personam esse in Deo, non tres: ut testatur Epiphanius hæres. 57. Idem docuit (inquit.) nostro tempore Michaël Servetus lib. 1. de Trinitate, sine ullis ambagibus, & nunc ea sententia in multis locis regnat. *Respondeo*: Nónne pudet illum nobis Servetum & Servetanos objicere; quorum non doctrina modó á nobis improbatur, verumetiam ipsi damnantur? Nostri enim fuerunt, qui Servetum damnârunt, & morte mulctârunt; quod ipse ignorare non potuit.

Octava hæresis est Manichæorum, qui hominum damnârunt naturam, & liberum arbitrium sustulerunt; ut testatur Hieronymus in præfat. dialogorum contra Pelagianos. Et August. de iisdem in l. de hæres. c. 46.

c.46.ſic ſcribit: *Peccatorum originem non tribuunt Manichæi libero arbitrio.* Sic Lutherus (inquit) & Calvinus. *Reſpondeo*: Manichæi omnem arbitrii libertatem ſustulerunt. Non ſic Lutherus, aut Calvinus. Nam illi concedunt, liberrimam eſſe hominis voluntatem ad peccandum & malé agendum, ſed in bonis non item. Quod veró ait, Lutherum & Calvinum peccatorum originem Deo tribuere, falſum eſt. Nam libero arbitrio, non Deo tribuunt. Hunc igitur Manichæorum errorem nos non tenemus. Nam peccati originē in Diabolo & hominibus á libero arbitrio, non á Deo fluxiſſe dicimus. *Aliud* dogma hæreticum Manichæorum hoc fuit, quód patres veteris Teſtamenti paſſim accuſabant, ut Abrahamum, Samſonē, Saram, Rebeccam, & ſimiles; ut teſtatur Auguſtinus in l.22.contra Fauſt.& duobus libris contra adverſar. Legis & Prophetarum. Idem fecit Calvinus (inquit) lib.3.Inſt.c.2.ſect.31.& lib.3.c.5.ſect.8.& lib.3.cap.14. ſect.11.& lib.3.c.20.ſect.15. item lib.4.c.15.ſect.22. *Reſpondeo*: Impudentiſſima hæc calumnia eſt. Calvinus tantúm docet, illos interdum ut homines peccâſſe; quod ex ſcripturis facilé confirmari poteſt; nec eſſe in omni re imitandos, quód omnes peccatores fuerunt. Et hoc quidem de omnibus Patribus dici poteſt. Sed Manichæi illos damnabant, ut homines malos. Quis non iſtam calumniandi libidinem oderit?

Nona hæreſis eſt Donatiſtarum, qui Eccleſiam ex ſolis juſtis conſtare volebant; atq; inde deducebant, eccleſiam viſibilem periiſſe de orbe terrarũ, & in ſola Africa remanſiſſe; ut docet Auguſtinus in lib.de unitate eccleſiæ, c.12. Et iidem (inquit) Monachos & Epiſcopos oderunt. Sic Calvinus. *Reſpondeo*: Nos quidem dicimus, Eccleſiam Catholicam, quæ eſt electorum tantúm, ut antea docuimus, ex ſolis juſtis

constare; quod Scripturæ, & omnes Patres testantur; & visibiles quasque Ecclesias ex bonis simul & malis constare; nec periisse omnes, sed semper aliquam esse in mundo Ecclesiam visibilem, etsi non omnibus visibilem. Donatistæ autem, etiam visibilem quamque ecclesiam ex solis justis & bonis constare affirmârunt. Neque nos totum Episcoporum ordinem damnamus, ut ille falsó calumniatur; sed Pseudepiscopos tantúm Pontificios. Ita ille nihil præter mendacia affert.

Decima hæresis est Arianorum, qui filium Dei esse Patre minorem dixerunt. Et sic hodie Tritheitæ (inquit.) *Respondeo:* Nos Tritheitas pro nostris non agnoscimus. Imó Arianos & Tritheitas omnes execramur, & multó meliús quám illi, refutamus. Non debent ergo Adversarii nobis vel Arium objicere, vel Tritheitas: quos nos tam capitali odio prosequimur, quám illi. Sed præterea ait, nos cum Arianis consentire, quód traditiones recusamus. Intelligo quid vult. Verbum ὁμοούσιον illi recusabant, quód non in Scripturis expressé legeretur, etsi ejus sensus ibi habeatur. Quasi hæc traditio sit. At nos de verbis non contendimus; nec tam illorum nova verba, quám nova dogmata recusam⁹. Interim videte, quæso, quá impii sint Adversarii; qui Arianos non aliter quám per traditionem damnari affirmant. At nos illos, cum Patribus, ex Scripturis damnamus.

Undecima hæresis est Aërianorum, qui docuerunt *primó*, non esse orandum pro mortuis; *secundó*, stata jejunia non esse celebranda; sed cúm quisque voluerit, jejunandum; *tertió*, Presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ debere discerni. Sic Calvinus, inquit, & Centuriatores. *Respondeo:* non fuisse Aërium

ab

ab omnibus pro hæretico habitum. Epiphanius quidem, & Epiphanium sequens Augustinus, inter hæreticos eum numerat; sed si nihil aliud præter ista tenuit, non fuit hæreticus. Nam hæc omnia Scripturæ, & ipsi Patres confirmant, ut suo loco docebitur. Theodoretus verò in lib. de fabulis Judæorum, non ponit eum inter hæreticos, nec Historia ecclesiastica; sed potiùs Eustathium, qui illum oppugnabat. Nec sunt Aëriani in ullo Concilio damnati. Hæc enim dogmata, rectè intellecta, damnari non possunt, nec debent.

Duodecima hæresis est Joviniani, cui quinq; hæreses tribuit, nobis communes. *Prima* est, non posse hominem peccare post Baptismum, si verè baptizatus fuerit. Et ait Calvinũ idem sensisse, quippe qui affirmat, veram fidem semel habitam, nunquam amitti posse. *Respondeo*: Quasi Baptismus, & fides, idem sit. Nos fidem semel acquisitam amitti non posse dicimus; & tamen hominem peccare posse post Baptismum fatemur. *Secundò*, docuit Jovinianus, ciborum delectum, & jejunia non esse meritoria. Sic Calvinus, inquit. *Respondeo*: An ciborum delectus est meritorius? Ineptum. Jejunare in eum finem, ut æternam vitam mereare, est jejunio abuti. Nos cum Joviniano libenter hac in re sentimus. *Tertiò* docuit Jovinianus, conjugium virginitati dignitate & merito æquari. Sic Lutherus, inquit. *Respondeo*: Sic etiam Paulus, sic Christus, sic nos omnes docemus. Invehitur quidem in Jovinianum Hieronymus, hanc ob causam; sed Erasmus requirit in eo modestiam, & ait eum nimis fuisse acrem. Atque hoc quidem rectè. *Quartò* docuit Jovinianus, Mariam amisisse virginitatem in partu. *Respondeo*: Tum impudentissimus hæreticus fuit.

Sed ait, nos similiter docere; & nominat Bucerũ ac Molinæum. *Resp.* Hoc ait, quia non admittimus fictã illam partus rationem, quam illi tenent, Christũ scilicet nascentem non aperuisse vulvam Mariæ; quæ illorum opinio ex Luc. 2. 23. facilé refelli potest. Nam Christ⁹ διάνοιξε τὴν μήτραν, ut in illo loco habetur; sed tamen Maria postea virgo permansit. *Quintó* ait, Jovinianũ docuisse, præmia beatorum esse paria. Et sic Lutherus (inquit) in sermone de natali beatæ Mariæ, & in commẽt. in 1. Pet. ubi ait, omnes Christianos esse æqué sanctos ac justos, atque est mater Dei. Ex quo (inquit) sine dubio sequitur, fore omnes æqué beatos. *Resp.* nos cum Joviniano in hac opinione minimé consentire. Præmia enim fore paria non dicimus, & hac de re nolumus sine authoritate Scripturæ aliqd commentari. Quod veró Lutherus ait, omnes æqué sanctos & justos esse, ac fuit Maria mater Christi, si inhærentẽ justitiam & sanctitatem intelligamus, nõ est verum; sed si Christi sanctitatem & justitiã respiciamus nobis imputatã, tum est verissimum. Tamen non hinc sequitur æqualitas præmiorum. Nam tum propter Christi obedientiam vitâ donamur æternâ: tum virtutibus etiam præmia tribuuntur varia. Et hic etiam Jovinianus fuit in nullo antiquo Concilio damnatus pro hæretico.

Decimatertia hæresis est Vigilantii, qui docuit quatuor. *Primó*, Sanctorum reliquias non esse venerandas. Sic Lutherus & Calvinus, inquit. *Resp.* Reliquias colere, est idololatriam committere; sed abjicere, est profanum. Si hoc docuit Vigilantius, erravit. Nos cũ reverentia quadam seponendas & servandas esse dicimus sanctorum reliquias, non autẽ adorandas. *Secundó* docuit Vigilantius, orationes mortuorum pro

aliis

aliis non exaudiri; ex quo sequitur (inquit) frustra Sanctos invocari. Sic Calvinus, inquit. *Resp.* Utrúm orent pro nobis mortui, & audiantur, nécne, nos in medio relinquimus; sed si orent, non sequitur, illos esse invocandos. *Tertió* docuit, Ecclesiasticos debere esse uxoratos. Sic Lutherus (inquit) & Calvinus. *Resp.* Si Vigilantius legitimum conjugium Pastorum intellexit, in eo rectè sensit. Qui hanc opinionem hæresin esse dicit, is Scripturam damnat. *Quartó* ait, Vigilantium docuisse, non expedire relinquere omnia, & dare pauperibus, & ad religionem relicto sæculo properare. Sic Lutherus, inquit. *Respondeo*: Sanè sic omnia relinquere, ut relinquunt Papistæ, non expedit. Nam illi sua relinquunt amicis, & religionem suscipiunt, & omnibus tamen abundé affluunt. Nec hic etiam Vigilantius fuit unquā publicé damnatus. Et Erasmus in Hieronymo desiderat modestiā. Et sanè si quis Hieronymū legerit; inveniet, Vigilantiū argumētis, Hieronymū verò cōviciis & calumniis uti.

Decimaquarta hæresis est Pelagianorum, qui duo inter alia docebāt. *Primum* est, peccatum originale nō esse. Sic Bucerus (inquit) & Calvinus negant esse in filiis fidelium peccatum originale; quos dicunt sanctos nasci, & salvari etiam sine Baptismo. *Respondeo*: Hæc calumnia Apostolum Paulum attingit, non minùs quàm Bucerum & Calvinum, ut patet 1. Cor. 7. 14. Nam hi non negant originale peccatum in filiis fidelium; qui fatentur illud etiam in ipsis fidelibus remanere. Sed tamen cum Apostolo dicunt, esse sanctos, quia sunt in fœdere. Si hoc sit non habere peccatum, tum Apostolus est Pelagianus. *Secundó* docuerunt Pelagiani, per quodlibet peccatum quamvis leviſſimum perdi justitiā, ac proinde omne peccatū

esse mortale. Sic Lutherus (inquit) sic Melanchthō, & Calvinus. *Respondeo:* Nos non dicimus, perdi justitiam per quodlibet peccatum; sed peccata tamen omnia esse in se mortalia. Nam Pelagiani illa leviora ne in peccatis quidem numerabant.

Decimaquinta hæresis est Nestorianorum, qui docuerunt, in Christo duas esse personas, & duas naturas. Sic Lutherus (inquit) & Calvinus. *Respondeo:* Hāc esse impudentem calumniam. At Beza (inquit) hoc tempore id docet, sive ex ignorantia, sive ex malitia, qui in libro de hypostatica duarum in Christo naturarum unione dicit, se duas in Christo uniones hypostaticas ponere, unam animæ cum carne, alteram divinitatis cum humanitate. *Respōdeo:* Fateor, tale aliquid Bezæ aliquando per errorem excidisse, sed postea admonitus correxit, ut in illo libro apparet; & hodie nihil tale tenet.

Decimasexta hæresis est quorundam eodem tempore, qui & ipsi an Nestoriani fuerint, nescit Bellarminus. Hi docuerunt, in Eucharistia non manere corpus Christi, si servetur in alteram diem; quos Cyrillus in Epistola ad Calosirium Episcopum, insanire dicit. Sic Bucerus, (inquit) sic Melanchthon, sic Calvinus. *Respondeo:* Veteres quidem Eucharistiam servabant in plures dies, & mittebant ad amicos, non tamen quód ibi esse verum Christi corpus existimarent. Fuit hic Sacramenti abusus. Nam Sacramentum in usu consistit.

Decimaseptima hæresis est Eutychianorum; qui docuerunt, unā esse in Christo naturam, sicut unā personam. Sic Svvenckfeldius (inquit,) sic Smidelin⁹. *Respondeo:* Nos hanc illorū opinionē nō probamus. Etsi poni unā tantúm in Christo naturā ab illis, mendacium est.

Decima-

Decimaoctava hæresis est Xenaiæ, cujusdam Persæ, qui palám asseruit, Christi & Sanctorum imagines non esse venerandas. Idem nunc (inquit) Calvinus docet, lib. 1. Instit. cap. 11. toto, ubi etiam sect. 7. non vult ullo modo erigi signum crucis; in quo (inquit) se fratrem Diaboli ostendit; nisi quód Diabolum ipsũ impietate vincit. Diabolus enim crucem execratur, quia timet, & timendo honorat; Calvinus autẽ execratur, quia despicit, atq; irridet. *Resp.* Xenaias nõ docuit hoc primus, ut postea patebit, cúm ad illam Quęstionem ventum fuerit. Calvinus negat crucem esse adorandã, quia hæc idololatria est. In quo Diabolum hostem habet, qui amat idololatriam. Nam istas ligneas aut lapideas cruces Diabolus non timet magis, quám lignum aut lapidem. Quid. n. timeret in cruce? num materiam? at ea nihil aliud est, quám lignum, aut lapis, aut argentum, aut aliquid hujusmodi, quæ ei timorem incutere non possunt. num formam timet? non magis certé, quám duas in ædificio transversas trabes. Ergo nõ timet crucem omnino.

Decimanona hæresis est Lampetianorum; qui docuerunt, Monasteria debere esse libera, id est, sine votis perpetuis. Sic Lutherus, inquit. *Resp.* Nos hac in re cũ Lampetianis sentimus, si hæc illorũ opinio fuit. Nam vota Papistica execramur, & damnam° prorsus.

Vicesima & postrema hæresis est quorundã, qui negabant Eucharistiam esse veré carnem Christi, & tãtúm esse volebãt figurã seu imaginẽ corporis Christi. Sic Zuinglius (inquit) & Calvinus. *Respondeo*: Nos sanẽ panẽ & vinũ in sua natura remanere dicimus, & Christi naturale corpus nusquã actu nisi in cœlo esse affirmamus, percipi tamen fide á Christianis. Nam Christi corpus veré sumi dicimus á fidelibus, sed non corporali modo.

HUCUSQUE varias Adversarii calumnias & mēdacia, quibus ecclesiam nostram maculare conatur, diluimus; & ostendimus, Ecclesiam nostram nullum hæreticum dogma defendere; sed quæ nos docemus & profitemur, ea omnia posse Scripturarum testimoniis confirmari. Quám futilia, quám levia, quám inepta illa omnia sint, quæ ab Adversario objiciūtur, vidimus. Nunc mihi liceat Adversarium imitari, & in illius vestigiis insistere. Possem igitur & ego probare, Ecclesiam nostram Catholicam esse, duobus illis modis, quos ipse commemoravit. *Primó*, testimonia Patrum producendo, quibus nostra dogmata confirmantur, & illorum dogmata refutantur. Sed hæc nimis prolixa via esset, & hanc ob causam Adversarius eâ uti noluit. Atq; hæc etiam mihi satis justa causa est hujus orationis omittendæ. Multi etiam é nostris hoc antea fecerunt. *Secundó*, possem & ego ostendere, illorum dogmata esse hæretica, & non viginti modó hæreses, sed quadraginta commemorare, ab illis defensas. Sed tenebo modum, & pauca tantúm ex multis delibabo; ut quám hæretica sit illorum doctrina, aliqua saltem ex parte omnibus innotescat. Nec agam ut illi calumniosé, sed sinceré.

Primó veteres hęretici soliti sunt dicere, Apostolos quædam perfectos seorsim viva voce docuisse, & nó omnia literis mandâsse; Scripturas non sufficere ad veritatis cognitionem sine traditionibus. Sic Irenæus lib. 3. cap. 2. & 3. Et in hunc finem citârunt illam Pauli sententiam: *Sapientiam loquimur inter perfectos*, 1. Cor. 2. 6. Similiter olim Thalmudistæ docuerunt, Deum Mosi in monte non Legem tantúm, sed Legis etiam explicationem tradidisse; Mosen verò Legem scripsisse, & omnibus quidem promulgâsse: at interpreta-

pretationem Legis, Josuæ tantúm & aliis quibusdam perfectis hominibus tradidisse. Idem Papistæ sentiunt & docent, ut constat ex Genebrardi Chronologia lib. 1. ætat. 4. & ex Cano lib. 3. loc. com. cap. 3. fundamento 4. Canus in loco citato eadem proponit fundamenta opinionis suæ, quibus veteres hæretici & Thalmudistæ usi sunt. Nam & illud de Mose recitat, & Pauli etiam locum affert, *Sapientiam loquimur inter perfectos*; & sic Christum ac Apostolos fecisse ait; & hoc fuisse consentaneum. Hac igitur in re sunt hæretici. Denique Scripturam solam esse fidei regulam, veteres hęretici noluerunt; ut constat ex Irenęo multis locis, & ex Tertulliano in lib. de præscript. adversus hæret. Sic Papistæ Scripturas plumbeam & Lesbiam regulam esse affirmant. Turrianus in lib. 1. contra Sadeelem pag. 99. hæc verba habet: *Si Scripturam solam fidei regulam in Ecclesia Christus reliquisset, quid aliud quàm gladium Delphicum haberemus?* His & hujusmodi contumeliis Scripturas onerant Papistæ? At veterum Patrum sententia longé diversa est, posse scilicet omnia necessaria religionis dogmata ex Scripturis peti & confirmari.

Secunda Papistarum hæresis est Marcionis & Manichæorum, qui docuerunt, Christum habere corpus imaginarium & phantasticum, ut ex antiquis Patribus constat. Sic Papistæ, qui Christi corpus sub specie panis in Eucharistia latêre affirmant; quod fieri non potest, nisi sit phantasticum. Verum enim corpus ibi esse non potest; quia caret qualitatibus & proprietatibus veri corporis. Omne enim corpus verum, est in loco, & habet dimensiones; quorum neutrum de Papistico Christi corpore in Eucharistia dici potest. Hoc igitur est hæreticum.

Tertia hæresis est Manichæorum, qui multa sané impia dogmata in ecclesiam Dei invexerunt. Adversarii nostri cum his multa communia habent. *Primó*, Manichæi duo principia statuerunt; quod licét ab omnibus Papistis non teneatur: tamen Augustinus Steuchus ih sua Cosmopœiâ in princ. Genes. simile quiddam habet, ubi scribit, cœlum Empyreum fuisse coæternum Deo. Quod si verum sit, tum certé Deus fuit. Quod enim non habuit principium, Deus est. Et sic duo dii erunt. Si Calvinus aut alius quisquam é nostris tale aliquid scripsisset, aut docuisset; quis illorum clamores ferre potuisset? *Secundó*, Manichęi in communione alteram duntaxat speciem adhibuerunt, ut testatur Leo in Sermone 4. de Quadragesima, & Gelasius apud Gratianum in 3. parte de consecrat. distinct. 2. capite, *Relatum est*, & capite, *Comperimus*. Ita Papistæ. Synodus enim Constantiensis sess. 13 hoc ipsum decrevit, contra Scripturas, & ex sentétia Manichæorum. Sic illi Manichæorum consuetudinem probaverunt. *Tertió*, Manichæi in electis suis, hoc est, in Sacerdotibus, nuptias damnabant; in aliis veró, quos auditores vocabant, ferebant. Hoc constat ex Augustino epist. 74. Ita nostri Papistæ hodie nuptias in Sacerdotibus improbant; in laicis veró tolerant quidem, sed non valde probant. Nam deillorum etiam nuptiis indigné admodum scribunt. *Quartó*, Manichæorum & Papistarum jejunium per omnia simile est. Nam Manichæi in suis jejuniis ciborum delectum adhibebant. A carnibus enim abstinebant, sed aliis deliciis utebantur; ut patet apud Augustinum in lib. 2. de moribus Ecclesiæ & Manichæorum, cap. 31. Et hic quidem mos est Papistarum. Papistæ enim cúm jejunant, exquisitissimis epulis

utuntur;

utuntur; & si á carnibus abstineant, præclaré se jejunasse putant. Ergo hisce in rebus, & religionis capitibus, Manichæis veteribus Papistæ similes sunt.

Quarta hæresis est Pelagianorum. Multa, imó feré omnia Pelagianorum dogmata Adversarii tenent, quæ fuerunt olim in Ecclesia Dei damnata. *Primó* docuerunt Pelagiani, Adamum fuisse moriturum, si non peccasset. Sic Augustinus Steuchus, Papista magni nominis, in annotat. in Genes. 2. hoc idem affirmat. Mortem enim naturalem esse dicit, & peccatum non esse ejus causam; infantes enim mori, etsi peccato careant, & Adamum moriturum fuisse, quantumvis non peccasset. *Secunda* Pelagianorum hæresis est, in homine post lapsum reliquam esse aliquam arbitrii libertatem ad bonum. Consentiunt Adversarii cum Pelagianis hac in re, licét non per omnia. In hoc tantúm differunt, quód Papistæ arbitrii nostri libertati gratiam adjungunt, quam Pelagiani removent. *Tertia* hæresis Pelagianorum est, Gentes potuisse ex philosophia Deum cognoscere, & servari. Sic Andradius lib. 3. orthodox. explicat. Sic Catharinus præclarus author Papisticus, qui Concilio Tridentino interfuit, in comment. in 1. Tim. 4. ait, quosdam non fideles posse servari; quod perinde est, ac si diceret, quosdam servari posse, qui Deum, qui Christum nesciũt. Hoc certé plus quám Pelagianum est, & dirum ac horrendum. *Quarta* hæresis Pelagianorum est, hominem posse implere legem Dei, & perfectè justum esse; si verò injustus aliquando dicatur, ita dici comparatione factâ cum Deo. Atque ita istas Scripturæ sententias interpretantur: *Justitia nostra est instar panni menstruati*, &, *Nemo bonus, ne unus quidem*, & alias sententias hujusmodi. Sic Pa-

pistæ ferè omnes docent, posse homines implere legem Dei, ita ut ex lege justitiæ vitam æternam mereantur & consequantur, & eodem modo superiores illas Scripturæ sententias interpretantur, quo Pelagiani. Sic nominatim Jodocus Tiletanus in lib. contra confessionem Antuerpiensem cap. 6. de justificatione. At Hieronymus in Jerem. 13. hanc interpretationem hæreticam esse dicit, & damnat etiam Pelagianorum opinionem de perfecta legis impletione. In dialogis etiam suis contra Pelagianos copiosissimé & apertissimé probat, hominem non posse Legem Dei implere. *Quinta* hæresis Pelagianorum est, infantes originali peccato carere. Sic Pighius in libro de controversiis, in controversia de peccato originali, diserté scribit, non remanere in baptizatis peccatum originis; habere quidem infantes pœnam peccati, non autem peccatum. Atque ut intelligatis, hoc non valde displicuisse Patribus Tridentinis, illi nihil de natura originalis peccati statuerunt; ut hæc Pighii sententia ab illis non improbata fuisse videatur. Præterea, Mariam sine originali peccato natam fuisse scribit Pighius eodem in loco; quod certé est peccatum originale tollere. Nam illa fuit filia Adami. Et addit præterea, non ideo fuisse Christum per Spiritum sanctum conceptum, ne peccato originali inficeretur; sed tantúm ut præter morem humanum nasceretur. Thomas Aquinas in 3. parte Summæ quæst. 27. artic. 5. diserté scribit, Mariam habuisse plenitudinem omniũ gratiarum; quod certé est eam Deo exæquare, & Christo parem facere. *Sexta* hæresis Pelagianorum est, homines prædestinari propter opera bona. Hanc esse hæresin docet Catharinus in comment. in Rom. 8. Et eodem in loco ait, multos

multos Scholasticos & Theologos in ea hæresi esse, hoc est, esse Pelagianos. Et hanc esse communiorem Theologorum Papisticorum opinionem, satis constat. Sic enim credunt difficultatem tolli, quomodo prædestinatio non afferat necessitatem. *Præterea*, hæc fuerunt axiomata Pelagianorum: Præstãtibus quod in se est, nunquam defuit, deest, aut deerit gratia divina. Idem Papistæ. quod perinde est, ac si dicerent; si quis agat quod in se est, etiam sine gratia, servari posse. *Secundó*, Voluntas ex suis naturalibus potest se disponere ad gratiam. *Tertió*, Liberum arbitrium ex se potest quodlibet novum peccatum cavere. *Quartó*, Homo per liberum arbitrium ex suis naturalibus potest præcepta divina quoad actus substantiam implere. Quod si verum sit, tum totam DEI legem implere potest. Hæc eadem dogmata á Papistis tenentur.

Quinta hæresis est Peputianorum. Illi fœminis sacerdotium permittebant, ut antea docuit Bellarminus. Sic Papistæ fœminis baptizandi potestatem concedunt, cúm ficta quædam nescio quæ necessitas obtigerit. At indignum est, eas ullam omnino sacri ministerii partem tractare.

Sexta hæresis est Anomorum (qualis fuit Eunomius) qui rectè ἄνομοι dici possunt, quia contra Legem multa docuerunt. Legis enim obedientiam non esse necessariam dixerunt. Sic Papistæ. *Primó* enim concupiscentiam sine consensu, negant esse peccatũ. At Lex contrá clamat. *Secundó*, negant in decalogo prohiberi. *Tertió* dicunt, Deum non intensivé supra omnia, sed appretiativé tantúm diligendum esse. Sic Sylvester Prierias dixit, *esse de honestate, non de necessitate, ut Deum supra omnia diligamus*. Sic etiam Molanus de

Theolog. practic. tractat. 3. cap. 16. concluſ. 1. num. 11. Quod perinde eſt, ac ſi dicerent, non requiri á nobis, ut Deum intenſiſſimo animi affectu ſupra omnia amemus, ſed ſatis eſſe, ſi eum maximi pretii eſſe, & amore intenſiſſimo dignum eſſe ſciamus & ducamus. Cúm autem Lex á nobis requirit, ut toto corde Deum diligamus; omnem certé animi intentionem requirit. Idem Molanus in libro de Theolog. pract. tractat. 3. cap. 8. concluſ. 3. numero 19. ait, non præcipi nobis á Deo, *ut pro inimicis in ſpeciali oremus.* At debemus ex Lege in ſpeciali inimicos diligere: ergo & in ſpeciali pro iis orare debemus. Præterea idem alibi ſcribit, nempe tractat. 3. cap. 16. concluſ. 3. num. 22. non præcipi, ut inimicum amicé & benevolo animo ſalutemus. Deindè in tractat. 2. cap. 20. concluſ. 2. num. 16. ſic ſcribit: *Qui manifeſtum defectum ignoranti non indicat, non eſt injuſtus.* At philoſophi ipſi hoc injuſtum eſſe dicunt. Idem adhuc in tractat. 2. cap. 23. concluſ. 5. num. 51. ſic ſcribit: *Qui minus malum conſulit, ut omittatur majus; non peccat.* Quid de aliis illorum circa Legem erroribus verba faciam? nulla pars Legis Dei eſt, quam non corruperunt. Præcipué autem legem de idololatria violant. Idololatriam aperté committunt in cultu imaginum. Quid enim aliud ſunt illorum imagines, quám ſimulacra & idola? Nec eſt quód ſe putent poſſe ſubterfugere tritâ illâ ſuâ diſtinctione δουλείας, λατρείας, & ὑπερδουλείας. Nam & λατρείαν etiam creaturis tribuunt; exempli gratiâ, cruci; in qua etiam ſpem ſalutis ponunt. Sic Thomas Aquinas in 3. parte Summæ, quæſt. 25. artic. 4. ubi etiam citat hymnum Eccleſiæ, *O crux ave ſpes unica.* Ita crucem ſpem noſtram unicam vocant; quod horrendum ac blasphemum ſacrilegium eſt. Hæ ſunt

Legis

Legis horribiliores depravationes, quám fuerunt olim Phariſæorum. Quid quód Torrenſis in lib. de Reſidentia contra Catharinum ei objicit, quód negarit Legem Moſis eſſe Legem Dei, & Pauli præcepta eſſe Chriſti præcepta.

Septima hæreſis eſt Origenis, qui putavit impios eſſe tandem ſervandos. Sic docuiſſe eum veteres ſcribunt; tamen non extat hujusmodi quippiam in libris ejus. Huic non diſsimilis eſt opinio Catharini, quæ habetur in ejus comment. in Hebr. 1. quam etiam poſtea repetit in comment. in 2 Pet. 3. *Terram poſt diem judicii eſſe renovandam, ut ſit habitaculum eorum hominum, qui nec cœlo, nec inferno digni ſunt.* Qui iſti ſunt, quæſo?

Octava hæreſis eſt Angelicorum, qui Angelos colebant; ut conſtat ex Auguſtino in lib. de hæreſ. ad Quod-vult-Deum, hæreſ. 93. An non Papiſtæ etiam Angelos colunt?

Nona hæreſis eſt Apoſtolicorum, qui ſocietatem quandam novam ex certo quodam hominum genere certis quibusdam ritibus & regulis viventium conflârunt. Iſti Apoſtolici omnino parentes fuerunt Monachorum, & aliorum religioſorum ordinum inter Papiſtas. Nam illi nullos in ſuam communionem aut ſocietatem recipiebant, qui aut uxores duxerant, aut res proprias privatim poſſidebant; ut teſtatur Auguſtinus in lib. de hæreſ. cap. 40. Sic Monachi & Jeſuitæ nec uxores ducunt, nec aliquid proprium poſſident, ſed omnia habent communia. Atqui hoc eſt Anabaptiſticum, omnia communia habere. Jeſuitæ tamen & Monachi putant, in hoc ſummum apicem, ſummumque gradum perfectionis conſiſtere.

Decima hæresis erit ipsius Mahometis. Quidni enim illum inter hæreticos numerem? Sed quid? an Papistæ sunt Mahometi similes? Sané possum eos ad illum aggregare sine ulla omnino injuria. Mahometes docuit, Christum non fuisse revera crucifixum. Nihilne simile Papistæ docent? Imó ipsi sine causa crucifixum dicunt; quod perinde blasphemum est. Nam Alanus ex sententia Papistarum & Tridentini Concilii in lib. 2. de Eucharist. cap. 8. ait, novum Testamentum fundari in sanguine Christi immolato antequam crucifigeretur, & Christum veré fuisse Pascha in cœnaculo pridie quám pateretur, id est, veré fuisse immolatum, & ait, hoc esse fundamentum totius doctrinæ Christianæ ex sententia Concilii Tridentini. Quod si verum sit; quorsum opus fuit Christo postridie sanguinem suum in cruce fundere? Si enim Christus Pascha nostrum antea immolatus fuit, in cœna scilicet pridie quám pateretur; tum totam nostram redemtionem antea perfecit. Et in capite sequenti ejusdem libri idem Alanus scribit, Christum nunquam sacrificasse Aaronicé; quod perinde est, ac si diceret, nunquam fudisse sanguinem. Hic apertus Atheismus est. Non fuisse quidem Christum Sacerdotem ex ordine Aaronico fateor, sed ex ordine Melchisedechi. At hoc ad personam ejus pertinet. Sacrificium autem ejus aut fuit Aaronicum, aut nos nondum sumus Deo reconciliati. Hæc sunt Papistica & hæretica dogmata. Alan' enim pro summo magistro Catholicæ fidei apud Papistas habetur. Præterea illi scribunt, legitimum Baptismum esse, si quis baptizet in hunc modum, *Baptizote in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, & beatæ Virginis Mariæ.* Hoc patet ex novo Sacerdotali in parte 1. pag. 25. At

25. At hoc est tollere Trinitatem. Possem progredi. Sed alibi plures illorum hæreses recensui. Non nunc repetam ea, quæ alibi á me dicta sunt. Hæc ferè nova accessio est. Ex his igitur concludo, Papistas multis in rebus cum veteribus hæreticis consentire & conspirare. Et de hac sexta nota hactenus.

CAPUT OCTAVUM.

In quo septima Ecclesiæ nota á Bellarmino proposita refutatur.

SEx Ecclesiæ notas Bellarminianas percurrimus & diluimus: nunc restat, ut ad reliquas progrediamur. Septimam notam facit, unionem membrorum inter se, & cum capite. Et huc refert illa Scripturæ loca, in quibus Ecclesia dicitur unum corpus, una sponsa, unum ovile, Rom. 12. Cantic. 6. Johan. 10. & quod in Symbolo Constantinopolitano dicimus, nos credere unam Ecclesiam. *Respondeo* tria: *Primó* hæc loca Scripturæ non de visibili, sed de invisibili Ecclesia electorum intelligi; quæ quidem corpus Christi dicitur, quia arctissimé cum Christo capite suo copulatur: sponsa Christi, quia ab eo amatur, & quia Christus spirituali quodam matrimonio sese cum ea conjunxit: ovile Christi, quia vocem ejus audit, & cum sequitur. Hæc conveniunt solis electis. At nos Ecclesiæ visibilis notas quærimus, quæ ex electis & reprobis simul mistis constat. *Secundó* respondeo: unitatem per se non esse notam Ecclesiæ, nisi fuerit cum fide & verâ doctrinâ conjuncta. Unitas quidem in fide & verâ doctrinâ, nota est; at non unitas per se. *Tertió* respondeo: posse illos in rebus quibusdam dissentire, qui tamen ad hanc unam Ecclesiam pertinent; ut postea docebimus. Nam hic non

necesse est omnes idem sentire. Si talis unitas requiratur, nulla uspiam esset Ecclesia.

Adversarius hoc loco duo facit. *Primó* probare vult, unitatem esse notam. *Secundó*, hinc argumentum colligit pro Ecclesia Papistica. Quod ad primum attinet, primó probat, Ecclesiæ membra convenire cum capite, deinde inter se. Caput Ecclesiæ vult esse Papam, & unitatem cum illo esse notam Ecclesiæ. Quod ut probet, non Scripturam aliquam affert, sed tantúm quædam protrita testimonia Patrum: de quibus sigillatim responderem, nisi esset alibi de illis dicendum. Nunc in genere tantúm respondeo, laudari quidem ab his Patribus consensum cum Ecclesia Romana, non quód esset Ecclesia illa aliarum Ecclesiarum omnium domina, sed quód tunc temporis fidem Apostolicam teneret, primamque dici Ecclesiam illam, & caput Ecclesiarum, non authoritate & jurisdictione; sed exemplo, constantiâ, & fidei firmitudine. At nunc tantum abest, ut aliarum Ecclesiarum caput dici possit, ut ne cauda quidem dici mereatur. Sed subjungit Bellarminus, Asiaticas & Africanas Ecclesias, quæ quondam ita florebant, ut numerosissima Concilia celebrarent, & semper haberent multos homines, vel doctrinâ, vel sanctitate, vel utroque Dei munere clarissimos: ab eo tempore, quo á Romana Ecclesia schisma fecerunt, nulla Concilia celebrasse, nullos habuisse homines fama sanctitatis aut doctrinæ toti orbi notos, & nunc in summa ignoratione versari. *Respondeo*: hanc esse calumniam. Intelligit illud schisma, quod factum est tempore Augustini, cúm Concilio quodam vetitum fuit Pastoribus Ecclesiæ Africanæ, Romam provocare. Cujus schismatis, si modó schisma fuit,

fuit, Augustinus si non author, at certé particeps erat. Sed num Ecclesiæ illæ postea, quando cum Romano Pontifice reconciliabantur, illustriores fuerunt, aut meliores Episcopos habuerunt? Nequaquam.

Nunc deinceps pro sua Ecclesia disputat Bellarminus, & hinc probat eam Catholicam esse. Primo veró loco sic ratiocinatur. Nam (inquit) in nostra Ecclesia in primis omnes Scriptores sacri mirificé inter se consentiunt, licét fuerint homines diversi, & in locis, temporibus, ac linguis diversis scripserint; quod pro re plané divina (inquit) beatus Augustinus observat, in lib. 18. de civitate Dei, cap. 41. *Respondeo*: Inter sacros quidem scriptores nulla omnino dissensio est. Nam á Spiritu sancto regebantur. Philosophi, ut in eodem loco docet Augustinus, confusé & varié scribunt; sed sacri Scriptores in nulla re disentiunt. Sed quorsum hoc? Nam hoc non magis facit pro illorum Ecclesia, quám pro nostra; imó hoc contra adversarios facit vel maximé. Sacri enim Scriptores pro nobis magis faciunt, quám pro Papistis; & nos illis plus tribuimus, quám ipsi. Nos enim in Scripturis causæ nostræ fundamenta ponimus; quod Adversarii facere recusant. Præterea ab Adversario quæro, quænam causa fuit hujus tantæ consensionis, quam inter sacros Scriptores videmus? num ideo consentiebant, quia ab uno homine in terris pendebant, aut unum in terris caput habebant, cujus sententiam amplexi sunt, & in eâdem acquieverunt? nequaquam; sed quia Spiritus sanctus illorum linguas & manus regebet. Sic veré consentiunt, qui sacram hanc doctrinam sequuntur, & Dei spiritum intus in corde habent, á quo regantur. Et sic una Ecclesia

dicitur, cúm unam Propheticam & Apoſtolicam doctrinam amplectitur; cumque ejusdem doctrinæ veritas, in cordibus illorum, qui ad eandem Eccleſiam pertinent, per Spiritum ſanctum confirmatur. Non ergo una eſt Eccleſia, cúm omnes ſe uni homini ſubjiciunt; plerique veró neſciunt, quid credant; quod in Eccleſia Papiſtica fit: ſed cúm homines & ſciunt quæ credunt, & in iisdem, quæ ſciunt, conſentiunt. Eſt enim hæc vera unitas, ſcire quid credas; & ſcire, hoc eſſe á Deo; non pendere ex aliena voluntate. Sic primo Bellarmini argumento á ſacris Scriptoribus deſumto reſponſum eſt, & ſatisfactum.

Secundum Bellarmini argumentum eſt, omnia legitimorum Conciliorum & Pontificum decreta, etiam in omnibus dogmatibus, inter ſe convenire; licét edita fuerint á diverſis hominibus, diverſis locis, temporibus, occaſionibus, & contra diverſiſſimas, imó ſæpe cõtrarias hæreſes. *Reſpondeo:* Quám hoc falſiſſimum eſt? Sed ſuo loco hoc docebimus, ne res nimiúm perturbaté tractentur. Legite quæſo, quid hac de re Eraſmus copioſé ſcripſit in 1. Cor. 7. & invenietis, Papas non modó inter ſe diſenſiſſe, verumetiam de quibusdam dogmatibus falſa ſanxiſſe, & poſſe etiam judicialiter errare.

Tertium Bellarmini argumentum eſt hujusmodi. Nunc omnes Catholici (inquit) toto orbe diſperſi, de omnibus dogmatibus fidei ſentiunt idem, nec poſſunt aliter ſentire; cúm omnes ſubjiciant ſenſum ſuum ſenſui unius & ejusdem ſummi Paſtoris, ex Cathedra Petri, cum conſilio aliorum Paſtorum, Eccleſiam dirigentis. *Reſpondeo* 1. Horum Catholicorum, quos ille intelligit, duo eſſe genera. Aliqui nihil

hil sciunt, & hi dici non possunt idem sentire de religione; quia nihil sentiunt omnino; nec intelligunt, quid religio sit; sed ut pecudes reguntur. Hujusmodi est vulgus & multitudo. Qui verò sciunt aliquid, ii sunt aut religiosi, aut Ecclesiastici. Religiosi omnes, cùm Papæ sint addicti, & ab illo toti pendeant, non audent ab eo disentire, imò ne dicere, aut mutire, aut etiam cogitare aliquid contra eum; quia ipsius creaturæ sunt. Potest ille, quando vult, illorum claustra deturbare, ordines dissolvere, eosque ad extremam inopiam redigere. Talis est Jesuitarum hodie conditio. Deinde Ecclesiastici (Episcopos intelligo, Patriarchas, Cardinales, Parochos, & totum reliquum Clerum) á Papa pendent omnes, & illius stipendio aluntur. Quare pacem cum eo diligenter conservant, & ei se libenter subjiciunt; quia nolunt regnum suum distrahi. Vident enim, istam pacem sibi utilem fore, & meliùs multò jam cum iis actum esse, quàm si religio restitueretur; quia tum tantam dignitatem, splendorẽ, & ocium, non haberent. Denique hi omnes, metu & tyrannide in ista concordia continentur. Non enim audent liberam vocem emittere, quæ Pontifici displiceat. Si liberé aliquid dicere tentaverint; non sinuntur, privantur, puniuntur. Præterea, omnes in verba Pontificis jurati sunt. Ergo pro ejus decretis, & pro dignitate ejus, sibi necessariò dimicandum esse existimant, tanquam pro aris & focis. Imò quod est omnium iniquissimum, cùm in unum congregati sunt in Concilio, ut de resarcienda religione, & de emendandis rebus deliberent, nihil se decreturos jurant, quod contra Ecclesiam Romanam, aut contra Pontificis Romani dignitatem faciat. Quando hoc unquam in

veteri aliquo Concilio factum est? quando Patres unquam antiqui ita fecerunt? In Concilio Tridentino quidam Episcopus, quia ausus est aliquid liberiús dicere, & reformationem postulare, ejectus é Synodo, Romam proficiscí coactus est, ut veniam deprecaretur. Et hoc Bellarminus ipse fatetur, cúm sic ait: Nec possunt aliter sentire, cúm omnes subjiciant sensum suum sensui unius. Quæ hæc ratio est? Digni certé sunt, qui pereant, qui sensum suũ sic subjiciunt. Servum sané pecus. Saltem hoc priús illis constare debuerat, debere se sic sensum suum unius sensui subjicere. Sed ubi hoc præcipitur? certé nusquam. Ergo sic faciunt, quia sic Papa vult. Miserum. Hoc modo cogetur aliquis dimittere sensum suum, quem ex Scripturis hauserit; si modó Pontifex aliter senserit, & aliter sentire jusserit. Quid? omnésne suos sensus unius sensui subjiciunt? Rectè. Igitur in hoc sensu peribunt omnes. Hic status est, hæc consensio Ecclesiæ Papisticæ, ut omnes salutem suam ab uno homine suspendant, uniusque hominis sensui sese subjiciant. Hæc non sincera, sed ἐμπαθὴς pax est. Illyricus in libro de sectis & dissensionibus Pontificiorum, multa præclaré hac de re scribit. Varias ille causas, seu potiús species, hujus Papisticæ pacis & unitatis commemorat, & persequitur. *Prima* species est Satanica. Ille secum consentit, pacem inter suos fovet; regnum ejus non dividitur. Atque hoc modo solet ille regnum suum stabilire. Sic vulgó dici solet, *Unus corvus alteri oculum non effodit.* *Secunda* species est Ethnica, cúm ideo consentiunt homines, quia nolunt contentiosi videri. Vident fortasse aliquid melius; ne tamen alios offendant, & rixas aut turbas excitent, in veteri consuetudine acquiescunt. Sic Ludovicus

dovicus Vives de quodam Domitio Calderino scribit; qui cúm non solitus esset sponte sua Missam frequentare, admonitus tamen non raró, & veluti expugnatus ab amicis, eum secum trahentibus, Missam tandem adiit, cum hoc epiphonemate, *Eamus sané ad communes errores, quandoquidem ita vultis.* *Tertia* species pacis seu unitatis est belluina sive pecuina, cúm homines nihil omnino de religione intelligunt, sed aliorum tantúm opiniones sequuntur, & ea omnia vera esse putant, quæ vulgó recipiuntur. Hujusmodi fuit carbonarius ille, qui á Satana tentatus, & de fide sua interrogatus, respondit se credidisse, quemadmodum Ecclesia credidit; cumque instaret Diabolus, & quæreret, quænam esset fides Ecclesiæ, respondit ille, Ecclesiam credidisse id, quod ipse credidit; nec potuit Diabolus aliud responsum ab eo extorquere. *Quarta* unitatis species est Iscariotica, quando homines muneribus & præmiis corrupti, idem sentiunt. Hæc causa multos in regno Antichristiano continet. Hac ratione Patres Concilii Basilienses multos ad Eugenium adductos fuisse, Æneas Sylvius scribit. *Quinta* est tyrannica, quando terroribus prohibentur homines aliter sentire. Sic leges Papisticæ adeó immanes & tyrannicæ sunt, ut nemo, nisi quem Spiritus sanctus peculiari quodam modo excitaverit, vocem pauló liberiorem emittere audeat. Illa Hispanica inquisitio, quám dira, quám horrenda est! *Sexta* consensionis species est Herodiana. Quemadmodum enim Herodes cum Pilato consensit de Christo é medio tollendo: ita Pontificii inter se de nobis tollendis consentiunt. *Postrema* est ventris causâ. Sic Papistæ multi ventri consulunt; atque hæc causa illos in

concordia & consensione continet, quia vident scilicet se non posse in aliquo precio esse apud nos. Quem enim locum Monachi inter nos haberent? nos illos certé in nullo numero haberemus, nedum tam saturos esse pateremur. Impia certé pax est, & impia consensio, quæ ex hujusmodi causis oritur. Talis autem est unitas & pax Papistica. 2. *Respondeo*: Etsi omnes Papistæ colunt Papam tanquam Deum, & ejus sententiam tanquam divinam suspiciunt & admirantur, & per illum tanquam per caudam invicem colligantur: tamen non per omnia consentiunt, nec veram pacem habent; quia mutuó sese mordent. Sunt enim inter illos acerrimæ contentiones, & disentientes opiniones, non de externis tantúm ritibus & ceremoniis, verumetiam de maximis dogmatibus, & summis religionis capitibus, quod multis exemplis declarari potest. Scripsit Illyricus hac de re egregié in libro de sectis & dissidiis Papistarum. Harum ego contentionum exempla quædam aperta proponam (nam á calumniis abhorreo) ut omnes intelligant, licet externam inter se pacem foveant, eam tamen non sinceram esse. *Primó*, magna est inter illos contentio, utrúm Papa possit errare, & fieri hæreticus. Diversi diversa sentiunt: alii posse, alii non. Hac de re nihil vel ab ipso Papa, vel ab aliquo Concilio definitum est. Catharinus in comment. in Galat. 2. hac de re sic scribit: *De quolibet alio Papa, prater beatum Petrum, prima conclusio ista sit, Nihil prohibet Papam errare etiam in fide, ac deficere; etiamsi quidam novitii scriptores ausi sint oppositum defendere, prater communem sensum Doctorum.* Sed quid tum fiet, quando Papa errat, vel in fide deficit? *Respondet* Catharinus

nus eodem in loco, *Papam, cùm amisit fidem, amisisse quoq; Papatum.* Præclarè. Sed quid si ille velit negare se esse hæreticum, & alios hæresin suam docere, & reliquos qui contrá sentiunt, excommunicare? Quid tum faciendum sit, non constat. Sed rationem subjungit Catharinus, cur Papa unà cum fide Papatum amittat. Quia (inquit) infidelitas repugnat substantiæ tanti Sacerdotii. Præclara certè ratio. *Secundò*, disentiunt inter se Papistæ, utrùm Papa sit supra Concilium, an é diverso. Hoc enim nondum, quod sciam, decîsum est. In Constantiensi & Basiliensi Concilio decretum est, Concilium esse supra Papam: quæ etiam Concilia Papas quosdam actu deposuerunt. At nunc communior opinio est, Papam esse majorem Concilio; & hanc partem omnes ferè Jesuitæ hodie tuentur. Alphonsus autem de Castro lib. 1. cap. 6. contra hæres. veterem opinionem defendit, & Papam vult Concilio subesse. Et in hac opinione multi sunt Theologi etiam inter Papistas. Tamen controversia maxima est. De hoc nihil á Papa decretum est: licet igitur de eo litigare. *Tertiò*, nota est disensio Scotistarum & Thomistarum, quæ duæ familiæ sunt Theologorum inter Papistas, de rebus planè maximis. Tertia præterea est familia, quæ ab utrisque disentit, familia scilicet Occamistarum. Occamus enim plurima scripsit contra utrumque; & is multò plures habuit discipulos, quàm vel Scotus, vel Thomas habuit. De horum pugnis scribit Erasmus in lib. 2. contra Latomum, & in Enchridio. *Quartò*, controvertitur inter illos, utrùm homo debeat dubitare, sítne in statu gratiæ nécne. Magnæ sunt hac de re contentiones inter Catharinum, & Sotum. Catharinus contra

sotum defendit, aliquem posse, & debere, de gratia Dei, & sua salute, certum esse. Et Tridentinum Concilium hac de re nihil definivit; sed vetant nos tantúm illius Concilii Patres præsumere; quod idem á nobis prohibetur. *Quintó*, controversia inter illos est, utrum votum continentiæ sit de jure divino, an ex statuto Ecclesiæ. Catharinus in libro contra Torrensem, ait esse de jure Ecclesiastico, non divino; Torrensis econtra adversus libros quos scripsit Catharinus de Residentia Episcoporum. *Sextó*, idem Catharinus in eodem libro asserit, jejunium Quadragesimale non esse juris divini, & Thomam citat. At contrá Torrensis in libro de residentia ministrorum. Et nunc Papistæ esse divini juris contendunt; & Telesphorum post tempora Apostolorum non primum instituisse, sed intermissum denuó restituisse, & revocasse. *Septimó*, de conjugio post divortium Catharinus librum scripsit, in quo ab aliis Theologis disentit. Probat enim, hujusmodi conjugium legitimum esse; qua quidem in re cum Cajetano, Erasmo, & nobis consentit. Alii veró Papistæ contrá sentiunt. *Octavó*, de peccato originali maxima est inter illos contentio. Aliter Pighius sentit, quám reliqui Papistæ. Concilium Tridentinum, quia noluit errare, hac de re nihil definivit. *Nono* loco, de conceptione beatæ virginis Mariæ, ante annos centum, ut patet ex Erasmo, gravissimæ contentiones fuerunt, inter Dominicanos, & Franciscanos. Diu duravit hæc controversia, & per annos multos Ecclesiam Dei exercuit. Dominicani contenderunt, non sine peccato originali conceptam fuisse, Franciscani econtra. Adeó acris fuit contentio, ut Xystus quartus Pontifex Romanus, suam authori-

authoritatem interponere cogeretur. Ille ſecundúm Franciſcanos judicavit. Dominicani non ratione perſuaſi, aut refutati ſunt; ſed vi & tyrannide tacere coacti. Hóccine eſt controverſiam componere, mactare, nî taceant? In Concilio Tridentino renovata fuit hæc controverſia, & vulnus, quod jamdudum obductum videbatur, recruduit. Nam dum deliberant Patres hac de re, editus eſt Romæ liber Cardinalis de Turre cremata, quem ſcripſerat contra incontaminatam conceptionem beatæ virginis. Acquievit tandem Concilium in decreto Xyſti quarti, & illud decretum confirmavit. Sic illorum pax tyrannica & Satanica eſt. Legite Examen Concilii Tridentini á Gentilleto editum ſeſſ. 5. 53. *Decimó*, de re Euchariſtica mille ſunt inter illos controverſiæ. Nullus finis eſſet, ſi ſingulas commemorarem; ergo paucas tantúm é multis attingam. Catharinus librũ ſcripſit de Conſecratione in Miſſa; in quo disputat, & docet, Chriſtum non conſecrâſſe verbis illis, quibus nonnulli eum conſecrâſſe putant, his nempe, *Hoc eſt corpus meum*, ſed illis, quibus pani & vino benedixit. Fatetur ſuam ſententiam multis displicere, & ſe propterea á multis oppugnari; ſed pergit tamen, eamque defendit. Et ait, Papiſtas ſic urgeri in disputatione de Miſſa, ut quó ſe vertant, non ſciant; & utrúm conſecratio facta ſit, cúm Chriſtus benedixit, an cúm dixit, *Hoc eſt corpus meum*, neſciant. Ergo alii Papiſtæ cõſecrationem tribuunt benedictioni panis & vini, alii his verbis, *Hoc eſt corpus meum*. *Secundó*, de Tranſubſtantiatione innumerabiles ſunt inter illos controverſiæ. Nos aliquot proponemus; nam infinitum eſſet omnes percurrere. *Prima* controverſia eſt de pronomine (Hoc) quid ſignificet in hac ſententia, *Hoc*

est corpus meum. Hinc de individuo vago commentũ futile & ineptum. De pane veró non potest intelligi; nam hæc non est vera propositio, Hic panis est corpus meum. *Secunda* controversia est, utrúm quantacunque massa panis possit consecrari, an solummodo tantum panis, quantum percipitur. *Tertia* est inter Thomam & Scotum, utrúm substantia panis annihiletur, an mutetur in substantiam Christi. *Quarta* est, utrúm Christo, ut est in Sacramento, sit motus corporalis, nécne. Magna hęc quęstio est inter Scholasticos. *Quinta* est, utrúm Christi corpus possit tangi in Sacramento, nécne. Aliqui negant, aliqui affirmant. *Sextó*, de speciebus sive accidentibus, multiplices sunt controversiæ, quomodo sint sine subjecto. Esse, concordant omnes; de modo veró non concordant. Nam quidam in aëre hærere dicunt, quidam in corpore Christi, alii veró in aliquo præterea subjecto. *Septima* controversia est, utrúm species sive accidentia panis possint frangi: nam aliquid frangitur: at non corpus Christi, nec substantia panis, quæ vel annihilatur, vel in substantiam corporis Christi mutatur: ergo panis species sive accidentia frangi videntur. *Octava* est, utrúm species sive accidentia nutriant. *Nona* est, utrúm aqua illa, quæ cum vino mista est in calice, mutetur in sanguinem Christi, an in alium aliquem humorem, aut liquorem. De vino nõ dubitant, quin in verum Christi sanguinem mutetur, de aqua veró inter se litigant. *Decimó* & ultimó (quid enim ego persequar tam inepta, tam incerta, tam futilia, quę ineptam illorum Transsubstãtiationem sequuntur) controvertitur inter illos de vermibus, unde nascantur, utrúm ex speciebus sive accidentibus panis, an ex ipso corpore Christi; & quid

quid mures comedant, cúm incidunt in cruſtulum conſecratum, num accidentia panis, an corpus Chriſti; & quamdiu ſub ſpeciebus ſive accidentibus panis maneat corpus Chriſti; cumque inde migrat, quó tendat, num in nihilum ſcilicet diſſolvatur, an alicubi maneat. Hæc opinionum portenta ſunt; hæ inexplicabiles ſunt, & inextricabiles controverſiæ, de quibus nondum convenit, nec unquam certé conveniet, inter Papiſtas. Hæc natura falſitatis eſt, ut ſeſe evertat. Non auſus eſt Papa, vel Patres Tridentini, de his rebus aliquid ſtatuere, ſive definire, & lites has inter Scholaſticos componere, ſed eos in erroribus ſuis ſinunt computreſcere. Tantúm curant, ne quis erumpat, & Eccleſiæ pacem perturbet. Sed hæc impia pax eſt, in errore cõſentire. Hinc videamus quám falſum ſit, Catholicos inter ſe conſentire, & unius ſenſum ſequi. Nam Innocentius tertius hisce de rebus multa ſcripſit; qui tamen non recipitur. Hæ feré omnes quæſtiones Papiſtarum, & diſſenſiones de Euchariſtia, & innumerabiles hujusmodi, apud Pelbertum habentur, tomo 4. capite de Euchariſtia, in aureo Roſario. Plures á nobis addi potuerunt, ſed ex his de unitate Papiſtica poſſumus judicare. De his & hujusmodi Scholaſticorum diſſenſionibus Eraſmus in Epiſt. ad Cardinal. Moguntin. quę habetur in Farragine Epiſtolarum pag. 422. ex ult. edit. meminit. Ubi de Luthero ſcribens, hæc verba habet: *Auſus eſt ex parte negligere Scholaſtica decreta; ſed quibus ipſi nimium tribuunt, & in quib. nihilominus inter ſe diſſentiũt; poſtremó, quæ ſubinde mutant, pro veteribus reſciſſis inducentes nova.*

Hactenus quemadmodum Adverſarius Eccleſiæ ſuæ unitatem probaverit, docuimus. Nunc deinceps pergit, & diſſenſiones nobis objicit. Nos enim cum

Philosophis & priscis hæreticis comparat, qui inter se perpetua bella gesserunt. Fateor quidem Philosophos inter se pugnare, & verũ esse, quod Basilius ait homil. 1. ἑξαήμ. *non opus esse, ut nos contra illos pugnemus, cùm illi mutuis dissensionib. sufficiant ad suam ipsorũ doctrinam evertendam.* Similiter hæreticos inter se dissentire concedimus, idq; justo Dei judicio fieri, ut tandẽ ad nihilum deducantur. Id patet ex Isai. 19. 2. *Concurrere faciam AEgyptios adversus AEgyptios.* & ex Hilario lib. 7. de Trinitate, ubi sic scribit: *Bellum hæreticorum, pax est Ecclesiæ.* Hæc nos vera esse concedimus. Quod autem scribit de multitudine sectarum Lutheranarum, fretus Staphyli & Andreæ Fabricii fide, mera calumnia est. Ait numerari centum diversissimas sectas, quæ ab uno Luthero prodierunt. *Respondeo primó:* hoc falsum esse. Staphylus apostata fuit. Fabricius homo fuit nulla fide dignus. Fingunt illi plures esse inter nostros dissensiones, quám re vera sunt; & pro diversis ponunt, quæ diversæ non sunt. Præterea numerant eos inter Lutheranos, qui Lutherani non fuerunt, ut Anabaptistas, Libertinos, Svvenckfeldianos, Osiandrum, Memnonem, Servetum, Valentinum Gentilem, & alios. Hos Lutherus, Calvinus, & omnes Ecclesiæ nostræ damnant. *Secundó* igitur respondeo, argumentum non sequi: Hi ex Luthero prodierunt: ergo Lutherus fuit hæreticus. Nam 1. nõ ex Luthero proprié prodierunt, sed ex Diabolo. Lutherus horum nec author, nec causa fuit, nisi per accidens. 2. Sic quoq; Apostoli damnari possunt. Novimus enim, ex ipsis Apostolis exiisse pseudapostolos, qui circumcisionem urgebant, qui carnis resurrectionem negabant. Apostolus Paulus Act. 20. 30. Ecclesiæ Ephesinæ Presbyteros in hunc modum alloquitur:

loquitur: *Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Et quanta multitudo sectarũ variarum ex illa Ecclesia primitiva prodiit, omnes nôrunt; Simoniani, Nicolaitæ, Ebionitæ, Cerinthiani, & alii hujusmodi. Quid? non erat ergo illa vera Ecclesia, quæ eo tempore fuit? Quis dixerit? *Tertió respondeo*: nostrarum Ecclesiarum consensionem in doctrina, ex harmonia confessionum probari posse. Ex quo libro facilé cuivis constare potest, nos in præcipuis fidei articulis & religionis capitibus consentire; ideoque etsi sunt inter nonnullos é nostris leviores quædam de rebus quibusdam controversiæ: nostras tamen Ecclesias veras Ecclesias esse. *Quartó*, fatemur esse aliquam inter Ecclesias Reformatas dissensionem de Cœna Domini, & paucis quibusdam aliis rebus; & hoc acriter Adversarii urgent. De quo *respondeo* 1: hanc nostram de Cœna Dominica controversiam, ex Transsubstantiatione Papistica, tanquam ex sentina quadam putidissima fluxisse, ex qua Lutherus non potuit plané emergere, & quam Lutherani adhuc pertinaciter defendunt. Quare hunc errorem Lutheri, esse Papistis tribuendum dicimus. 2. *Respondeo*: nos de re, materia, & substantia Sacramenti, consentire, de modo tantúm dissentire. Hæc veró non est fundamentalis dissensio. Facilé enim & libenter iis assentior, qui hoc non esse inter fundamentalia ponendum affirmant. 3. *Respõdeo*: nos non diffidere, hujus etiam controversiæ finem tandem futurum esse, & fore inter nos concordiam, si pertinaces quidam é medio sublati fuerint. Interim contra Papam consentimus omnes, & nos mutuó amamus, & Deum precamur, ut nostras Ecclesias uniat, & sic aliquando futurum speramus. At hoc Bel-

larminus fieri non posse probat. Quo, quæso, argumento? Quia non est (inquit) apud hæreticos ulla regula finiendarum controversiarum; at Catholici habent certam regulam, nimirum sententiam summi Pastoris, in qua acquiescunt. *Resp.* At nos firmiorẽ & certiorem regulam habemus, nempe Scripturam. Illa firma, perpetua, & sibi constans est, non est studiosa partium, omnis perturbationis expers est, nunquam mutatur, sed eadem permanet in æternum. Sententia veró summi Pontificis facilé mutari potest, qui etiam, homo cúm sit, errare potest; & sæpe etiam erravit; ut suo loco docebitur. Ergo ejus sententia nõ est idonea regula. At objiciet fortasse, Scripturam esse omnium hæreticorum regulam, ac proinde sic nullum fore controversiarum finem. Scripturam enim omnes hæretici se habere dicunt, & alii se aliis hoc nomine præponunt. *Respondeo* 1: hæreticos quidem Scripturas afferre, sed iis abuti. Nullam enim Scripturam habent rectè & veré intellectam. Sic Diabolus Scripturis abusus est; at quomodo, quæso, eum refutavit Christus? nónne ex Scripturæ authoritate? Eodem modo nos impios hæreticorũ abusus ex Scripturis possumus refellere. Atque hæc optima ratio est finiendarum controversiarũ. 2. *Respondeo*: Etsi hæretici nolunt statim suos errores fateri, & agnoscere se Scripturis abuti, easque in pravum sensum detorquere: tamen fieri potest, ut tandem aut ipsi, aut qui ipsos sequuntur, errores suos videant, & hæreses suas agnoscant, & tum demum pax erit. Veritas enim tandem elucescit, etsi non statim. At objiciunt, multa interim incommoda evenire, quia distrahentur hominũ mentes, nec scient quid sequantur. *Resp.* igitur 1: Sic olim in Ecclesia multi errores

rores diuturni fuerunt, at tandem veritas vicit & illuxit. Veritas enim temporis filia est. Quare hoc nos minimé debet offendere, concertationes & dissensiones in Ecclesia diuturniores esse; quia hoc antiquitus factũ esse novimus. Legimus enim durâsse cõtentiones in Ecclesia aliquando centũ, aliquando ducẽtis annis, quasdam etiã trecentis, & interim homines in varias sententias distractos fuisse. 2. *Resp.* hoc utile esse Ecclesiæ, ut has dissensiones habeat, quó electi, & ii qui Dei sunt, manifesti fiant, & veritatẽ certiús teneant. *Oportet hæreses esse inter vos* (inquit Apostolus) *ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν, ut qui probati sunt, fiant inter vos manifesti.* 3. *Resp.* nullam unquam fore veram concordiam, nisi Scriptura judex sit; nec esse aliquam aliam viam finiendarum litium & controversiarum, quám per Scripturas. Potest forsan aliter externa dissensio vitari, possunt controversiæ externé sedari; sed interna pax animorum nulla erit, aut cõscientiæ tranquillitas, nisi quisque id, quod tenet, ex Scripturis verum esse sciat. Potest quis forsan ex alterius hominis judicio suspicari, aut probabiliter existimare, verum esse, quod tenet; at hæc non est πληροφορία illa, quã pius quisq; habere debet. 4. *Respondeo*: hanc fuisse olim rationem, in Ecclesia usurpatam, finiendarum omnium controversiarum. Solebant enim in veteri Ecclesia Episcopi, & magistri Ecclesiarum, sacros libros inspicere, & ex his omnes controversias finire. Ratio veró seu regula illa, qua utuntur Adversarii, veteri Ecclesiæ incognita fuit. Nonenim fuit tunc quisquam habitus pro Episcopo universali, aut pro summo Pastore, & summo in terris controversiarum judice, ad quem tanquam ad oraculũ omnes confugerẽt, & in cujus sententia atq; judicio

omnes acquieſcerent; nec quisquam unquam pro hæretico damnatus eſt, qui Romanum Pontificem hunc eſſe judicem negaret. Si quisquam hujusmodi fuit, eum nominent: ſed non poſſunt quenquam nominare. 5. *Reſpondeo*, & quæro, quas controverſias á Pontifice finiendas eſſe ſtatuant Adverſarii? num omnes, an quasdam tantúm? Non omnes: nam quędam poſſunt authoritate Scripturæ ita aperté tolli, ut nemo negare, aut contradicere audeat. Aliquarum igitur tantúm judex erit. Quarum tandem? num earum quæ ex apertis Scripturæ locis colliguntur, an quæ ex obſcuris? Apertorum locorum interpres nó eſt; nam illi per ſe ſatis dilucidi ſunt, nec ejus interpretatione egent. Nec obſcurorum; quia Patres docuerunt, obſcura Scripturæ loca ex apertis eſſe interpretanda; quæ via licet non facilis ſit, tamen tutaac certa eſt. Ex his quæ dicta ſunt, quanta ſit veræ unitatis vis, intelligamus; ut contra hanc nihil valere poſſit. Sed hæc unitas Papiſtica, id eſt, externa conſenſio, & conjunctio, hujusmodi non eſt.

NUNC noſtra argumenta proferenda ſunt, quib. hanc unitatem non eſſe veram & certam Eccleſiæ notam demonſtremus. Et multa quidem proferre non erit opus, pauca tamen proferam. *Primó* igitur ſic diſputo: Unitatem iſtam & impii habere poſſunt, & pii non habere: ergo non eſt Eccleſiæ nota. Conſequentia patet, nec aliquâ probatione eget. Antecedens probo, & primó quidem priorem illius partẽ de impiis, illos ſcilicet hanc unitatem habere poſſe. Auguſtinus in libris de Civitate Dei ſic ſcribit: *Ut eſt Dei una Eccleſia, ſic eſt Diaboli una Babylon.* Quám bene conſentiebant illi inter ſe, qui vitulum aureum ſibi conflari voluerunt, & qui poſtea Regem ſibi præfici poſtu-

postulârunt? Nónne etiam legimus, omnes Sacerdotes Baaliticos contra Micheam, & totum populũ tempore Jeremiæ contra verum Dei cultum conspirâsse? Quin etiam Christus ipse, communi populi voto, & voce damnatus fuit: omnes enim clamârũt, Crucifige eum. Antichristum veró omnes sequentur, magni, parvi; divites, pauperes; liberi, servi; ut patet Apoc. 13. 16. Hæc maxima erit unitas, & mirifica consensio. Contra Paulum pro Diana, tota civitas Ephesiorum vociferabatur, Act. 19. 28. 29. Post Christi ascensionem, totus mundus contra illum insurgit, & tollendos esse Christianos omnes, clamat. Omnes deniq; hæretici, suis sectis & hæresibus summâ animorum conjunctione consentiunt. Quare quando videmus impios posse inter se consentire, unitatem non esse ecclesiæ notam constat. *Secundó* probo, pios posse in aliquibus disentire. Act. 11. 2. legimus, pios multos cum Petro litigâsse, quód ausus est Evangelium Gentibus proponere, & ipse coactus est facti sui rationem illis reddere. Tempore Cypriani, Concilium illud Africanum disentit de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizabantur. Utrinq; erant & multi & docti Episcopi. Postea inter Orientales & Occidentales Ecclesias de celebrando Paschate acerrima contentio & controversia fuit, quæ multis seculis duravit; nec á Papa, sed á Concilio Nicæno finita fuit. Quid singulorum hominum contentiones commemorem? Petri & Pauli? Pauli & Barnabæ? Chrysostomi, Theophylacti, & Epiphanii? Augustini & Hieronymi? Cyrilli & Theodoreti? inter quos constat de variis rebus acres & acerbas contentiones fuisse. Unde manifestum est, posse pios diversas sententias tueri ad tempus, & quidem ad lon-

gum tempus, & acriter ac vehementer inter se dissentire. Quare non est tanta piorum conjunctio speranda, ut nulla de re dissentiant. Revelabit quidem Deus tandem suis veritatem, sed nunquam perfectè; donec omnes occurramus in unitate fidei, & evadamus in virum perfectum, ad mensuram staturæ Christi. Hujus dissensionis tres potissimùm causæ sunt. *Prima* est, malitia Satanæ. Ille enim semina discordiæ inter pios continuó spargere non cessat. *Secunda* causa est, φιλαυτία etiam in bonis. Remanent enim in piis reliquiæ carnis. *Tertiò* causa est ignorantia. Possunt enim pii multa ignorare, & scientiæ suæ nimium confidere. His aliæ piorum infirmitates adjungi & annumerari possunt: sed hæ præcipuæ dissensionum inter illos causæ sunt. Et de primo nostro argumento hactenus.

Secundum argumentum nostrum est hujusmodi. Si unitas sit Ecclesiæ nota; tum nostra ecclesia, vera potiús Ecclesia erit, quám Ecclesia Papistica: at nostram Ecclesiam veram ecclesiam esse illi non concedent: ergo & unitatem Ecclesiæ notam esse negét necesse est. De assumtione non opus est, ut quicquam dicam, est enim per se satis manifesta. De propositionis igitur consequentia quæram; & ostendam, sinceriorem esse inter nos, quám inter Papistas concordiam. De variis Papistarum dissensionibus diximus, ex quibus possumus conjicere, quæ illorum consensio sit. Manifestum est, non esse illorum concordiam in fidei & Spiritus unitate, sine qua externa consensio nullius momenti est. Si esse dixerint, tum hîc insistamus. Aliâs quantumvis una fuerit illorum Ecclesia, non tamen vera erit. Deinde nunquam inter nos tantæ contentiones fuerunt, quantas inter

ter illos fuisse legimus. Si velim' annales evolvere, & memoriam antiquitatis repetere, innumerabiles inter illos controversias fuisse inveniemus. Fuerunt Papæ Papis contrarii. Dùo, imó tres simul fuerunt Papæ (ne illorum tam sinceram & minimé interruptam consensionem putetis) quorum unus alterum damnavit, & diris devovit. Genebrardus in Chronologia sua enumerat schismata plus quám viginti. Et illa schismata non brevia, sed diuturna fuerunt. Quædam enim illorum per triginta annos continuos durârunt. Sic lacerata Ecclesia fuit; nec constabat quidem, ubi Ecclesia esset; quia quis verus Papa fuit, non constabat. Qui enim hunc Papam secuti sunt, damnârunt alterum; & qui alteri Papæ adhæresebant, ab hoc alieni fuerunt. Miserrimum fuisse illorum temporum statum necesse est. De illorum veró diversis opinionibus suprá accepimus; ut inter eos re vera nullam esse pacem, nec externam, nec internam, appareat. Jam veró hujusmodi inter nos schismata esse non possunt, quia nos ab uno aliquo homine in terris non pendemus: at inter eos hujusmodi schismata etiam hac ætate sunt, & in posterum denuó oriri possunt. Jam nostræ ECCLESIÆ unitatem videamus; quam esse illorum unitate multó finceriorem, argumentis multis demonstrare possumus. *Primó* enim nostri homines non unius alicujus metu aut tyrannide, non minis, non præmiis, ut Papistæ, sed per Spiritum sanctum, propter ipsam rei veritatem, & verbi divini authoritatẽ in concordia conservantur. Nostrã ergo pacem solidam, constantem, & sinceram esse necesse est; quia nullis externis causis nititur. At si Papa semel é medio tolleretur, Papistæ distraherentur,

& disilirent á se invicem, tanquam scopæ dissolutæ. *Secundó*, nos non habemus diversarum sectarum & professionum authores, quales inter Papistas sunt; quod ad externam unitatem & concordiam multum valet, & magna causa est, cur tam arctè multi Papæ adhæresçant. Sic Franciscani, sic Dominicani, sic Jesuitæ, sic omnes illorum ordines religiosi, arctiùs multò cum Papa colligantur, quám reliqui. Nihil illi faciunt, aut facere audent, quod cum Papæ mente pugnat; sed pacem cum illo accuratissimè conservát. Nos verò tales magistros non habemus; sed Christiani tantúm vocamur omnes, á nullo verò homine nomen sumimus. *Tertia* ratio, cur nostra concordia illorum concordiâ & unitate sincerior sit, hæc est, quód nos non sequimur unũ aliqhem hominem in terris; nec ex arbitrio, aut sententia cujusquã hominis pendemus; sed solam scripturam sequimur, abeaque pendemus; quicq; sua dogmata ex Scripturis cõfirmare possunt, eos recipimus; qui non possunt, rejicimus. Papistæ verò palám profitentur, imó solenni & sacro juramento se obstringunt, nolle se unquã á Papa dissentire, sed semper credituros esse, quemadmodum ille credit. Magnum ergo discrimen est inter illorum pacem & nostram. Illorum enim pax externa tantúm est, nostra verò est interna. *Quartó*, nostræ contentiones, si quæ sint, sunt piæ & modestæ, propter fidem, propter religionem, propter conscientiam, propter verum Dei cultum susceptæ; rejicimus enim eas sententias, quæ á Scripturis dissentiunt. At quemadmodum illorum consensio carnalis est: ita contentiones illorum sunt frivolæ & futiles, de figmentis & commentis sui cerebri, ad stabiliendam idololatriam, & ad superstitionem promovendam

dam

dam institutæ. Nostra ergo pax Christiano dignissima est, illorum non item.

Progredior nunc ad *tertium* atque ultimum nostrum argumentum, quod ex Patrum testimoniis constat. Ostendemus verò ex Patribus, in unitate fidem requiri: ergo unitas ex fide, non fides ex unitate, æstimanda & dijudicanda est. Cyprianus in libro de unitate Ecclesiæ, Ecclesiam ait esse unam, *sicut est unum solis lumen, etsi multi sint radii: una arbor, etsi multi rami; unus fons, etsi multi rivuli; quia unitas servatur in origine.* Per originem verò Christum, non Papam intelligit. Ita una Ecclesia est, licét multæ sint particulares Ecclesiæ; quia unitas in origine, hoc est, in Christo, servatur. Hæc præclara sententia est. Non ergo videndum est, an homines inter se, sed an cum Christo consentiant. Quare etiamsi Papistæ per omnia inter se consentiant; tamen si in origine non consentiant, hoc est, in Christo; illorum consensus nullius omnino momenti est. Optatus in lib. 2. contra Parmenian. sic ait: Ecclesias sub uno intellectu (hoc est, in una fide) jungi in corpore, ut in manu junguntur digiti. Verba Optati hæc sunt: *Quas Ecclesias constat ita sibi connexas & individuas esse, ut intelligatur una ab altera separari non posse. Etenim numerantur in nomine, sed uno intellectu suo junguntur in corpore suo, ut in manu digiti, quos intervallis singulos videmus esse distinctos.* Hilarius in libro contra Auxentium Episcopũ Mediolanensem in principio sic scribit: *Speciosum quidem nomen est pacis, & pulchra opinio unitatis. Sed quis ambigat, eam solam Ecclesiæ atq; Evangeliorum unitatem pacẽ esse, quæ Christi est.* Et multa in hanc sententiam addit, aitq;, quod est verissimum, *Antichristi ministros pace sua, id est, impietatis suæ unitate, se jactare, agentes se, non*

ut Christi Episcopos, sed ut Antichristi Sacerdotes. Sic Adversarii nostri pacem atque unitatem suam jactant; ita tamen se gerunt, ut illos manifestos esse Antichristi Sacerdotes agnoscamus. Nazianzenus in oratione prima de pace hæc verba habet: *κρείσσων ἐμπαθὴς ὁμονοίας ἡ ἐξ εὐσεβείας διάστασις. Melius est dissidium pietatis ortum causâ, quàm vitiosa concordia.* Basilius in Epist. 73. probat, unitatem veram esse in fide; quia Apostolus ait, *Unus Dominus, una fides, unus Baptismus.* Augustinus in sermone 166. de tempore, hac de re sic scribit: *Pax cum bonis, & Dei præcepta servantibus, non cum iniquis & sceleratis custodienda est, qui pacem inter se habent in peccatis suis.* Idem in sermone 26. de verbis Domini, unitatem multis verbis laudat: *Da unum* (inquit) *& populus est; tolle unum, & turba est. Quid est enim turba, nisi multitudo turbata?* Sed qualis illa unitas esse debeat, docet, nempe in fide. Nam addit, quod habetur 1. Cor. 1. 10. *Obsecro vos, fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia,* ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ. & quod Christus ait Joan. 17. 11. *Sancte pater, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut illi unum sint, sicut & nos unum sumus.* Leo in sermone 6. de nativitate Domini, sic scribit: *Ubi fuerit veritas pacis, nihil ibi potest deesse virtutis.* Sic Thomas Aquinas rectè in Ephes. 4. lect. 1. in illa verba, *Solliciti estote servare unitatem Spiritus in vinculo pacis,* unitatem esse duplicem ait; unam bonam, aliam malam; & bonam esse, quæ est Spiritus sancti, de qua ibidem Apostolus, *Solliciti estote servare unitatem Spiritus.* Sic non sufficit Adversariis ostendere, illorum Ecclesiam esse unam; nisi ostendant, qualis illa unitas sit, num in Spiritu, an in carne. Papistas verò non

non Spiritus sanctus, non pietas, non sanctitas, non religio; sed error, impietas, falsitas, sacrilegium, in concordia & unitate retinent. At non hæc, sed illa, nos in pace tenent. Unde constat, nostram esse meliorem & sinceriorem pacem, quám est illorum. Atque hæc de unitate.

CAPUT NONUM.

In quo octava Ecclesiæ nota á Bellarmino proposita examinatur, & refellitur.

SEptem Ecclesiæ notas Papisticas vidimus, easq; commẽtitias & fallaces esse docuimus. Reliquæ, quæ sequuntur, sunt minutiores. Octava Ecclesiæ nota, est doctrinæ sanctitas. Ait enim, veram Ecclesiam dici sanctam, quia professio ejus sancta est. At nos istam opinionem suprá refutavimus, & evicimus, ideó sanctam dici Ecclesiam, quia Christi sanguine lota, purgata & redemta est, & Spiritu sancto donata, qui eam sanctificat. Ephes. 5. 27. Apostolus ait, Ecclesiam *non habere maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi*; quod est, esse sanctam. Et ideo talis ab Apostolo dicitur, quia hîc talis est inchoatè, postea verò perfectè talis futura. Et Augustinus in Psalm. 85. sanctam esse ait, *quia accepit gratiam sanctitatis, gratiam Baptismi, & remissionis peccatorum.* Et Papistæ ipsi in Sacerdotali Pontificio parte 1. ideo sanctam dici affirmant, *quia pretioso Christi dilecti sponsi sui sanguine, ab omni peccati inquinamento mundata est.* At ista sanctitas est invisibilis Ecclesiæ nota; nos verò de visibili Ecclesia disputamus, ejusque notas quærimus. in qua etsi sunt, qui sanctè vivunt; tamen plures sunt hœdis, quám ovibus similiores, & vera sanctitas Deo soli nota est. Sed demus, hanc doctrinæ

sanctitatem Ecclesiæ notam esse; quod contendit Adversarius. Hinc contra Papistas argumentum satis firmum possumus colligere in hunc modum: Sanctitas doctrinæ est Ecclesiæ nota: ergo doctrina ipsa multó magis nota est. Nam sanctitas est doctrinæ tantúm qualitas. Si Ecclesia ergo sancta esse intelligitur, propter hujus doctrinæ sanctitatem; tum multó magis propter doctrinam ipsam. Ergo omnis inter nos & illos controversia de doctrina esse debet. Nam unde possumus intelligere, hanc aut illam doctrinam esse sanctam, nisi ipsa doctrina á nobis antè percepta fuerit? Unde autem percipi doctrina potest, nisi ex ipsis Scripturis? Num ex humana ratione? at ratio cæca est in rebus sanctis & divinis. Ergo doctrina ipsa suæ sanctitatis testis est. Nũc igitur videtur Adversarius in nostra castra trãsiisse. Nos enim doctrinam, Ecclesiæ notam esse dicimus; & nostram doctrinam, sanctissimam esse affirmamus; quia Christi, Prophetarum, & Apostolorum doctrina est. Sed non alienum erit, quomodo hinc suam esse veram Ecclesiam probet, videre, & argumenta ejus excutere.

Primó igitur sic orditur. Ex hac nota (inquit) evidenter ostenditur, nullam esse veram Ecclesiam, nisi nostram. Quare tandem? Quia nulla est secta (inquit) vel Paganorum, vel Philosophorum, vel Judæorum, vel Turcarum, vel hæreticorum, quæ non cõtineat aliquos exploratos errores, & rectæ rationi manifestè contrarios. Et tum ille particulares errores horum omnium enumerat. *Respondeo*: Hoc non egebat aliqua probatione. Nos hoc concedimus; & manifestum quidem est, Paganos, Philosophos, Judæos, Turcas, & omnes hæreticos multa impura docuisse,

cuisse, imó omnem feré illorum doctrinam impuram esse, & á sanctitate remotissimam. Sed quid hoc pro illis, & contra nos facit? Ex istis certé nihil evincet Adversarius; nisi probaverit, doctrinam Papisticam hujusmodi erroribus vacare, nos veró aliquem hujusmodi errorem tueri. Quod si probandum susceperit; tum de genere doctrinæ, quam tenet utraque Ecclesia, illorum, & nostra, dispiciendum erit. Nos igitur utrumq; negamus; ille utrumq; probet. Nónne nunc doctrina examinanda est? nónne hinc sequetur, penes quos doctrina vera sit, hos esse Ecclesiam? Et quid hoc aliud est, quám quod nos volumus? Sed audiamus, quomodo pro ipsis disputet contra nos, & quomodo nostram doctrinam tanquam impuram & erroribus plenam improbare & labefactare conetur, videamus.

Nos esse Paganis, Philosophis, Judæis, Turcis, & superiorum temporum hæreticis similes, & exploratos errores tenere, in hunc modum probat. Sectarii (inquit) nostri temporis docent, omnem hominem justificari sola fide speciali, qua quisque certó credit, se propter Christum coram Deo esse justum. Et hanc doctrinam ait cum quolibet paradoxo comparari posse. Non enim est id (inquit) supra, vel præter rationem, sed plané contra omnem rationem. *Respondeo* 1. In hac doctrina nullum esse παράδοξον, nec aliquid rectę rationi contrarium. Estne enim hoc contra rationem, ut me credam Deo reconciliari, & in gratia apud illum esse, propter alium, qui ejus in me iram pacavit? At hoc etiam inter homines usitatum est. Nónne enim hoc sępe fieri videmus, ut qui alteri iratus est, aliorum precibus & meritis reconcilietur ei, quicum priús offensus erat? Consentaneum ergo

hoc dogma est veræ rectæq; rationi. Nónne pudet hunc sic cum ratione pugnare? 2. *Respondeo:* Si haberet hoc dogma in se aliquid, quod rationi humanæ non conveniret, sed cum illa pugnaret: non tamen propterea improbandum esset; quod vel ipsi Papistæ docent. Regula enim fidei nostræ non est humana ratio, sed Scriptura; fidesque nostra tantó verior est, quemadmodum illi volunt, quantó est á ratione remotior. 3. *Respondeo:* Si rationem regulam constituant, multa ipsorum dogmata sunt respuenda; quæ insulsa prorsus, & absurda sunt, & cum ratione omni pugnant, inprimis illorum dogma de Transsubstantiatione; quod non modó suprá, sed & contra rationem est. Sed videamus, quomodo hoc dogma nostrum de justificatione improbet Bellarminus. Contra hoc veró tali nitur sophismate. Cúm incipio credere (inquit) me esse justum; vel sum justus tunc, vel injustus. Atque ita Adversarii argumentatio est bicornis. Agé, quid tum? Si justus sum (inquit) tum justificor per fidem illam, quæ est posterior meâ justitiâ, & sic justitia erit ante fidem. Si injustus sum; tum fides est falsa & mendax; atque ita non est fides divina justificans; nisi dicamus, homines justificari per mendacium. *Respondeo:* non intelligere Adversarium, quid dicat. Fides enim neque prior neque posterior est justitiâ, sed simul cum ea. Relativa enim sunt, quorum unum non est prius vel posterius altero. Nam cúm primúm promissionem remissionis peccatorum, & vitæ æternæ propter Christum amplector, id est, cúm primúm credo, tum justus sum; & cúm justus sum, tum credo. Veluti si malefico cuiquam venia cum hac conditione proponatur, si eam

amplecti velit; cúm primum veniam oblatam amplectitur, á pœna liberatur, & veniam consequitur; neque priús, neque posteriús. Num hîc aliquid est contra rationem? Stulti certé sunt, qui esse dicunt. Sed pergit Bellarminus, & alio adhuc argumento contra hoc dogma nostrum utitur. Lutherani (inquit) omnes spiritum precum & invocationem extollunt; & tamen hæc fides specialis tollit orationem Dominicam. Num fides specialis orationem Dominicam tollit? Quomodo id quæso? Nam si certó credo (inquit) me nullum habere peccatum; mentior, si cum hac fide dico, *Dimitte nobis debita nostra.* Si enim credo, mihi remissa esse per Christum peccata omnia; non opus est, ut ea mihi remitti petam. *Respondeo:* Nos non dicimus, certó nos credere, nullum nos habere peccatum; sed agnoscimus quotidie peccata nostra, eaq; serió deploramus, nosque peccatores esse fatemur; & tamen non diffidimus nos justos esse; quia justitia nostra in alterius obedientia posita est, non in obedientia nostra; & quamvis peccatis laboramus, tamen quotidie contra ea militamus. Justi enim possumus esse per fidem, & tamen peccata habere; quia justi sumus non propter nostram, sed propter alienam justitiam. Ergo precamur quotidie, & quidem serió, ut dimittantur peccata nostra, quæ in nobis multa esse agnoscimus. Imó Adversarii nunquam hoc ex animo dicere possunt, *Dimitte nobis debita nostra.* Nam si mandata possunt impleri, & si in illorum impletione sit justitia, tum frustra dicimus, *Dimitte nobis peccata nostra.* Nam qui legem implet, ei non opus est dicere, *Dimitte.* Præterea qui vitam æternam ex bonis operibus sperant & expectant, iis

non opus est ut remittatur aliquid. Sic illorum sententia tollit Dominicam orationem, non nostra. Sed pergit Bellarminus, & alio adhuc argumento utitur. Calviniſtæ (inquit) Anabaptiſtas omnino damnant, nec eos poſſe juſtificari cenſent, nec ſalvari, niſi ab erroribus ſuis convertantur: & tamen ſciunt, Anabaptiſtas certó credere, ſe eſſe juſtos. Ergo coguntur dicere, eos ſimul & juſtos, & non juſtos eſſe. *Reſpondeo:* Illum neſcire, quid loquatur. Anabaptiſtæ enim ſunt hæretici, qui nunquam poſſunt credere, ſe eſſe juſtos; quia veram fidem nunquam guſtarunt. Opinari forſan poſſunt, ſe eſſe juſtos; credere non poſſunt. Nam fides eſt donum Spiritus ſancti, quo hæretici carent. Opinioni verò falſitas ſubeſſe poteſt, non autem fidei. Progreditur Adverſarius, & hæc verba ſubjungit: Præter hoc dogma commune (inquit) ſinguli habent ſua propria dogmata, plena manifeſtæ abſurditatis; & tum quædam Anabaptiſtarum dogmata commemorat; quæ nihil ad nos ſpectant. Accedit tandem ad Lutheranos, & ait, illos hunc quaſi proprium errorem manifeſtiſſimum habere, quód infantes, dum baptizantur, tantur ratione, audiant verbum Dei, credant, & diligant. *Reſpondeo:* hoc falſum eſſe. Nunquam docuit Lutherus, infantes aut actu credere, aut audire verbum Dei, aut diligere. Quám illi perverſo animo Lutheri ſcripta legant, ex Eraſmo conſtare poteſt in Epiſt. ad Card. Moguntin. in volum. epiſt. pag. 421. ex ult. edit. *Compertum eſt, ab his* (inquit) *damnata ut hæretica in libris Lutheri, quæ in Bernardi Auguſtiniq; libris ut orthodoxa, imó ut pia leguntur.* Porró Calviniſtæ (inquit) affirmant, omnia fieri abſolutâ neceſſitate, & Deum eſſe cauſam peccatorum. *Reſpondeo:* egregiis hæc

hæc esse mendacia. Neutrum verum. Exhaustos illos esse apparet, quando ad hæc mendacia confugere coguntur. Et hæc in nostra doctrina reprehendit, quó minús sancta dici possit.

Nunc pergit Adversarius, & jam deinceps in hoc capite suam doctrinam laudat. At Ecclesia nostra Catholica (inquit) nullum errorem, nullam turpitudinem, nihil contra rationem docet; etsi multa supra rationem; proinde sola est absolutè sancta; eique soli convenit, quod in Symbolo dicimus, *Credo sanctam Ecclesiam. Respondeo* 1. Si hoc verum sit, quod ait, doctrinam Papisticam sanctam esse: tum hac de re contendamus, in doctrina insistamus, eam exploremus, & illorum ac nostram doctrinam cum Scripturis conferamus. Quæ cum illis consentit, admittatur & probetur; quæ ab illis dissentit, rejiciatur. Hoc est, quod nos dicimus, doctrinam esse indicem testemq; veræ Ecclesiæ. Nisi enim nos possumus evincere, illorum doctrinam á Scripturis dissentire, nostram verò cum iisdem consentire; non recusamus, quin illorum Ecclesia sola sit & dicatur Catholica. 2. igitur *respondeo:* dogmata Papistica omnia esse falsa, sed alia tamen aliis falsiora. Justificatio per operum merita, purgatorium, invocatio sanctorum, mera figmenta sunt humani cerebri. Præterea quædam illorum dogmata turpia sunt. Quid enim idololatriâ turpius, & indulgentiarum mercaturis, quibus nihil apud illos crebrius, aut familiarius est? Quin & quædam etiam docent rationi contraria; cujusmodi est illorum dogma de transsubstantiatione. Ratio enim docet, duo contradictoria nullo modo simul vera esse posse. At hæc contradictoria sunt, unum idemque corpus simul esse in loco, & non esse

in loco; simul esse quantum, & non quantum; quæ illi de corpore Christi in Sacramento affirmant. Et aliæ sunt hujusmodi contradictiones in illorum dogmate de Transsubstantiatione. Nos quidem fatemur cum Augustino & Scholasticis, fidem non esse rationi contrariam; si rationem eam intelligat, quæ verbo Dei sese subjiciat, quæque vera, sincera, & recta ratio sit. Sic Augustinus in lib. 22. de civitate Dei, cap. 7. *Persuadebatur veritas, nova consuetudini, non contraria rationi.* Non intelligit ille corruptam rationem, sed puram & incorruptam. Et hac de re Thomas recte ait in lib. 1. contra Gentiles, cap. 7. non posse duo contraria ex uno fonte fluere. Rationem verò divinitus inditã esse, ut & fidem; ergo non esse contraria. Et multas præterea rationes adjungit in eandem sententiam. Et citat idem Thomas eodem in loco testimonium ex libro secundo Augustini de Genesi ad literam, quod hujusmodi est: *Illud, quod veritas patefacit, libris sanctis sive veteris Testamenti, sive novi, nullo modo potest esse adversum.* Sed de hac nota sic breviter contra Papistas disputamus: Si sanctitatem doctrinæ volunt ex animo esse notam Ecclesiæ; tum doctrina sancta est veræ Ecclesiæ nota: at illi negant doctrinam Ecclesiæ notam esse: ergo cúm doctrinæ sanctitatem Ecclesiæ notam esse dicunt, ex animo non loquuntur. Et de hac nota hactenus.

CAPUT DECIMUM.

In quo de nona Ecclesiæ nota á Bellarmino propositâ agitur.

VEnio nunc ad nonam Ecclesiæ notam, quam Bellarminus facit doctrinæ efficacitatem; de qua aliquid necessarió dicendum est. Esse quidem veram doctrinam efficacem fatemur; sed errores etiam

etiam efficaces sunt; ut postea patebit. Verúm respõdeo. Si per efficacem doctrinam intelligat eam, quæ multum valeat, quæq́; multis persuadeat, & á multis recipiatur: tum doctrinæ efficacia non est Ecclesiæ nota; nam Philosophorum & quorundã etiam hęreticorum doctrina á multis recepta est. Sin eam doctrinam efficacem esse intelligat, quæ habet in se vim convertendi homines ad Deum: tum fateor, nullibi nisi in Ecclesia valere & efficacem esse doctrinam. Nam Ecclesiæ soli commissum est ministerium τῆς πλανης, ut habetur 2. Corinth. 5. 18. Et Propheta ait Psalm. 19. 8. legem Domini convertere animas. Et Apostolus Hebr. 4. 12. affirmat, sermonem DEI *vivum esse, & efficacem, & quovis gladio ancipiti penetrantiorem, pertingentem usq; ad animæ & spiritus divisionem.* Fateor hoc sensu Evangelii doctrinam multó esse quavis vel Philosophorum vel hæreticorum doctrinâ efficaciorem. Philosophorum doctrina si cum illa hac in re conferatur, ei cedat necesse est; quippe quæ nullam talem vim habuit. Illi etsi viri acuti & eloquentes fuerunt, sua tamen placita paucis tantúm persuadere potuerunt. At Apostoli hisce dotibus carentes, viri plané rudes & indocti, totum mundum brevi spacio hujus doctrinæ vi & efficaciâ ad CHRISTI fidem traxerunt. Et hoc, miraculo simile est, ut docet Augustinus lib. 22. de civitate Dei, cap. 5. Hæretici veró non tam convertere homines dicendi sunt, quám illos pervertere, & á vera fide avertere. Sed postquam Adversario concessa sunt ista omnia, quid nos amisimus? quid ille adeptus est? quid ista magis pro illorum Ecclesia, quám pro nostra faciunt? Nos enim affirmamus, doctrinam illam, quam nostra Ecclesia profitetur,

eandem esse cum illa Apostolorum doctrina, quam ipsi tam latè sparserunt & prædicârunt; & sic hanc esse notam Ecclesiæ nostræ. Sic idem ille dicit, quod nos dicimus, doctrinam esse Ecclesiæ notam. Nam efficacia, tantúm doctrinæ affectio quædam est. Sed videamus quomodo hinc pro ecclesia Papistica contra nos concludat. Lutherani (inquit) vix unum aut alterum Judæum aut Turcam converterunt; cúm tamen comparent se cum Apostolis & Evangelistis, & habeant in Germania plurimos Judæos, & in Polonia & Hungaria vicinissimos Turcas. At hoc nostro seculo (inquit) in novo orbe multa millia Gentilium Catholici converterunt; Judæorum quoque singulis annis convertuntur & baptizantur Romæ aliqui, á Catholicis Pontifici Romano addictis; nec desunt etiam Turcæ, qui tum Romæ, tum alibi á Catholicis convertuntur. *Respondeo:* Non dicam, quám multos illi aut Turcas aut Judæos converterunt; nec id nunc solicité quæram; & quot Lutherani converterunt, nescio. Sed *respondeo* 1. Si nostri homines paucos aut nullos converterunt, id non doctrinæ tribuendum est, sed ipsis personis. Doctrina ipsa non est propterea reprehendenda; sed tota hæc culpa hominum ipsorum esse potest, qui non ita forsan doctrinam tractarunt, quemadmodum eam tractari oportuit. Eadem enim est doctrina nostra cum illa, quam Apostoli olim tradiderunt, sed ministri nõ sunt iidem. Non enim sanctificat Deus omnium ministerium eodem modo, & eâdem mensurâ; sed in aliis efficacior est, quám in aliis. Apostoli eâdem doctrinâ multos homines ad fidem converterunt, quâ sequentis seculi Pastores paucos tantúm convertere potuerunt. In Apostolis efficax fuit hæc doctrina, at non

non perinde in iis qui secuti sunt. Vel si nulla fuerit ministrorum culpa, qui doctrinam tractarunt; at eorum tamen esse potest, quibuscum illi rem habuerunt. Quidam enim perversi sunt, & nolunt converti. 2. *Respondeo*: Quám egregié conversi sunt, quos illi á se conversos esse dicunt, nescio, nec possum facilé existimare. Interim tamen si illi multos converterunt, non fuit hoc in doctrinæ efficacia positum, sed aut in Papistarum solertia, aut in externis ceremoniis, quibus usi sunt, aut in hominum ipsorum ingenio, quibuscum illi rem habuerunt. Potuerunt enim singularem quandam persuadendi vim & solertiam habere, potuerunt carnales homines carnalibus persuasionibus ad se allicere. Errores enim facilé imbibuntur. Et qui Spiritu sancto carent, ii ad errores propensiores sunt, quám ad veram doctrinam, & ad veram Christi religionem; & falsa faciliús, quám vera amplectuntur; ut fatetur Stapletonus lib. 8. de princip. fidei doctrin. cap. 2. 3. *Respondeo*: Etsi sint Papistæ, per quorum ministerium quidam convertuntur: tamen non est necesse, ut hanc vim corruptelis Papisticis tribuamus, sed doctrinæ illi veræ, cujus apud illos reliquiæ quædam sunt. Christum forsan proponunt illis mundi servatorem. Hoc quidem verum est. Et fieri potest, ut hoc ministerio quosdam ad fidei Christianæ agnitionem adducant. Potest enim Deus per malum ministrum, & hęreticum, hominem á Turcismo aut Judaismo convertere, & efficere, ut ipse meliús sciat Christum, quám is, á quo conversus fuerit. Sin autem illi, quos Papistæ converterunt, sic per omnia credunt, ut ipsi; tum certé sunt duplo magis filii Gehennę, ut Christus de iis loquitur, quos Pharisæi converterunt. 4. igitur *respon-*

deo: Non ſimpliciter, ab una religione ad aliam homines convertere, arguit doctrinam efficacem, aut veram Eccleſiam; ſed ad veram tantúm religionem illos convertere, qui alieno ab illa animo ſunt. Fieri enim poteſt, & ſæpe fit, ut homines ab una hæreſi ad aliam convertantur. 5. & ultimó *reſpondeo:* illas converſiones tam multarum Gentium poſt tempora Gregorii, de quibus hîc Bellarminus loquitur, non puras & integras fuiſſe, ſed corruptas, & multis modis ſuperſtitioſas. Nam Chriſti fides tum multis erroribus & ceremoniis corrupta fuit. Tamen hoc miniſterio uti Dominus potuit ad gloriam ſuam. Studium forſan & conſcientiam habebant illorum temporum Paſtores, ſed non tantum ſcientiæ. Multa veré docuerunt, & principia nondum penitus corrupta erant. Et hæc converſio tribuenda non eſt efficaciæ illi, quam in ſe tota illorum doctrina habuit, ſed quam habuit, quod in ea verum fuit. Hoc illud erat, quod multos attraxit. Bonifacius ille, quem convertiſſe Germanos dicunt, homo ſuperſtitioſus fuit, & ad eam, quam ipſe tum profitebatur, religionem illos convertebat; & licet nonnulla forſan dogmata puré tradebat, non tamen omnia.

NUNC contra hanc notam aliquid dicam; non quód ego exiſtimem non omnino eſſe notam, ſed quód non ſit nota eo modo intellecta, quo Adverſarius intelligit. Nam ſi efficacia doctrinæ ſit nota Eccleſiæ, tum efficax doctrina nota eſt, quod nos volumus. Sed contra hanc notam eo modo ſumtam, quo ſumitur ab Adverſario, pauca quædam proferam.

Primó, hæretici poſſunt habere efficacem doctrinam, & multos efficaciter & potenter fallere, & poſt ſe trahere: ergo doctrinæ efficacia non eſt Eccleſiæ nota.

nota. Antecedens probo ex 2. Tim. 3. 13. ubi Paulus de hæreticis verba faciens, quos γόητας, hoc est, præstigiatores vocat, ait, προκόψουσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον, πλανῶντες καὶ πλανώμενοι, *procedent in pejus, tum seducentes alios, tum seducti ipsi.* Præterea Joh. 5. 43. Christus hæc verba habet: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recipitis me; si venerit alius in nomine suo, illum recipietis.* Ita efficaciorem esse aliquando erroris vocem constat, quám ipsius veritatis. Quis enim minister potest meliús persuadere, quám Christus ipse? & tamen Christus repudiatus est, pseudochristi recepti. Apostolus Galatas in hunc modum alloquitur, Gal. 3. 1. *O stulti Galatæ, quis vos fascinavit, ne veritati obsequeremini?* Ergo errores tam efficaces sunt aliquando, ut fascino similes esse videantur. Huic simile illud est, quod legimus Isai. 19. 14. *Dominus miscuit illis spiritum vertiginis, & errare fecerunt AEgyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens.* Præterea 2. Thes. 2. 9. Apostolus ait, venturum esse Antichristum κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ, *secundúm efficacitatem Satanæ, cum omni potentia, & signis, ac prodigiis mẽdacibus.* Satanas ergo Antichristũ omnibus suis viribus adjuvabit, adeó ut quantum Satanas valeat, tantum ipsum valere necesse sit. Et in vers. 11. subjungit fore, ut Antichristum sequentibus mittat Deus ἐνέργειαν πλάνης, εἰς τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει, *efficacitatem erroris sive deceptionis, ut mendacio credant.* Ita patitur Deus nonnunquam Satanæ spiritum in ore ministrorum suorum efficacem esse, non minús quám est in ore suorum ministrorum Christus. Simile est quod legimus de illis Pseudoprophetis, quorum mentio fit 2. Chron. 18. 21. & 1. Regum 22. v. 22. Ubi Dominus ait malo illi & mendaci spiritui, qui hanc in se provinciam suscepit, ut

Achabum Regem Iſraël deciperet, *Decipies, & prævalebis; egredere, & fac ita.* Habent ergo Pſeudoprophetæ errores & mendacia, quibus doctrinam ſuam efficacem faciunt, & multis perſuadent. Idem poſſum ego de Papiſtis ſine calumnia affirmare. Fallunt illi, & potenter quidem fallunt; oſtentant ſuæ Eccleſiæ antiquitatem, gloriam, ſplendorem, hierarchiam ſuam, pompam Pontificis & Cardinalium, ordines Eccleſiaſticos, amplitudinem, opinionem ſanctitatis, aliasq; hujusmodi fallacias multas habent, quibus apud homines miſeros & imperitos valent, eosque in errorem ducunt, quos Deus in reprobum ſenſum tradidit. At homines cordati fallacias illorum facilé agnoſcunt. Præterea errores eſſe ad fallendum efficaces, quis dubitare poteſt; cúm Mahometen tam laté errores ſuos ſparſiſſe videamus, ut magnam orbis partem poſt ſe traxerit. At ille (inquit Bellarminus) terrore armorum, non vi & efficaciâ doctrinæ tam multos ad ſe traxit. At *reſpondeo* 1. hoc falſum eſſe. Qui enim Mahometen ſequuntur, verum Prophetam illum eſſe non dubitant; ea omnia vera eſſe credunt, quæ in Alcorano traduntur; & denique de ſua religione tam ſunt perſuaſi, quám Papiſtæ de ſua. Nec tam potens fuit in initio Mahometes, ut armis poſſet homines ſuperare, & ad religionem ſuam vi pertrahere. 2. Concedamus armis valuiſſe. Nónne hoc etiam modo Papiſtæ multas Gentes converterunt? nónne illi etiam ſuam doctrinam armis propagarunt? Quod olim Mahometes in Aſia & Africa fecit; hoc Hiſpani jamdudum in novo orbe fecerunt, & adhuc faciunt. Trucidant continuó omnes, qui ſe Chriſtianos futuros eſſe negant; ſic illi non veré Chriſtiani fiunt, ſed metu ſe fore ſimulant. Non

majori

majori unquam cæde aut clade grassati sunt uspiam Mahumetani & Turcæ, quám in illis regionibus Hispani. Missam ergo faciant Indorum conversionem, de qua illi tantopere gloriari solent. Est lepida quædam historia de viro quodam magnæ authoritatis inter Indos, qui baptizabatur, & factus est Christianus; ex qua quidem historia facilé possumus conjicere, quám illi præclaré conversi sint, & quám bene de Hispanis sentiant. Quæsivit vir ille, cúm jam moriturus esset, á fratre quodam Hispano, quó irent Hispani post mortem. Respondit frater, bonos in cœlis victuros esse, malos in inferno. Sed ubi maxima pars (inquit) victura est? In cœlo procul dubio (inquit frater) nam plerique sunt boni. Tum ego (inquit) alibi vivam in loco ab iis disjunctissimo; nam scio cum illis malé actum fore. Præterea constat, Papistas armis alias Gentes præter Indos convertisse. Nam Bonifacium armorum terrore Germaniam & Thuringos convertisse, constat ex Chronico Isenacensi; cujus libri mentionem facit Illyricus centuria 8. cap. 10. Quanquam hoc non est semper verum, errores armis propagari. Nam Arianorum hæresin non vi armorum, sed vi doctrinæ; non bellando, sed docendo, & Concilia congregando, latissimé propagatam esse legimus, Zozomen. lib. 6. cap. 37. Socrat. lib. 4. cap. 27. & Theodoret. lib. 4. cap. ult. Hi enim authores referunt, Ulphilam quendam Gotthorum Episcopum, totam gentem Gotthicam á fide Catholica ad Arianismum convertisse. Et idem testatur Freculphus tom. 2. lib. 4. cap. 20. Sed si ista concedamus omnia, quæ ab Adversario dicuntur: tamen nihil contra nos faciunt. Constat enim, á nostris etiam multos conversos esse ab Antichristo ad Christum;

etsi non Judæos, aut Saracenos, tamen alios; idque nullis armorum præsidiis, nullis etiam propositis præmiis; sed doctrinæ tantúm efficaciâ, & fidei sinceritate. Lutherus fuit pauperculus monachus, OEcolampadius item & Zuinglius viri nullius penè nominis: tamen quám multos illi ad Evangelium converterunt? quám multos ad fidei sinceritatem traduxerunt? Horum ministerio Evangeliũ ad extremas orbis Christiani partes propagatum est. Hoc miraculi instar fuit in illis; quemadmodum mundi conversionem per Apostolos factam, miraculo similem fuisse scribit Augustinus. Si hanc illusionem fuisse, & fallaciam, respondeant Adversarii: tum ergo tandem ad doctrinæ genus veniendum est. Nam nos de illis similiter dicimus. Ita tandem nullam esse aliam Ecclesiæ notam constabit, nisi puram doctrinam; quod nos dicimus.

CAPUT UNDECIMUM.

In quo decima Ecclesiæ nota á Bellarmino proposita examinatur.

JAm reliquas Bellarmini notas persequar. Decimam notam vult esse vitę sanctitatem. Eam autem non in omnibus requirit, sed in Patribus, & Pastoribus, & præcipuis Ecclesiæ membris. Decima (inquit) nota est sanctitas vitæ auctorum, sive primorum Patrum nostræ religionis. Et hinc Romanam Ecclesiam veram esse Ecclesiam contendit, quia illius auctores & Patres, sancti fuerunt; nostram autẽ non esse, quia Patres nostri olim non fuerunt, nec Pastores nostri hodie sunt hujusmodi. Vult enim nos considerare magistros Ecclesiæ Catholicæ, primùm Patriarchas & Prophetas, deinde Apostolos, tum Doctores, qui contra singulas hæreses dimicarunt, deniq;

denique instituto̅res ordinum religiosorum; & inveniemus omnes (inquit) tam sanctos, castos, pios, sobrios fuisse, ut Adversarii nihil habeant, quod reprehendant, nisi nimiam sanctitatem. *Respondeo* 1. De Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum sanctitate nemo dubitat. Erant illi sancti. Etsi illorum errores & nævi quidam noti sunt. Doctores veró cum Patriarchis, aut Prophetis, aut Apostolis cõparandi non sunt, sed longo post illos intervallo relinquendi. Et illorum quidem vita reprehensione non caruit. Qui veró eos secuti sunt Pastores, multó fuerunt illis deteriores. 2. *Respondeo*: hos Patres nostros fuisse, & ad nostram Ecclesiam pertinuisse. Nam nos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, primos Doctores sequimur; si non tam accuratè in vita, at in doctrina tamen. Ecclesiam veró ex doctrina, non ex vita ministrorum, æstimandam esse dicimus. 3. Quód cum Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & antiquis illis primitivæ Ecclesiæ Patribus, instituto̅res ordinum religiosorum conjungit Bellarminus: in eo minimè ferẽdus est. Intelligit veró Dominicum, Franciscum, Benedictum, & reliquos hujusmodi, quorum sanctitas laudatur quidem á Papistis; quám veré, non dicam. Verúm hi novi & recentiores Monachi non tam pii, & sancti, quám superstitiosi fuerunt. In iis pietatis aut sanctitatis parum, superstitionis veró nimium fuit; atque hæc est illa nimia sanctitas, quam Bellarminus illis tribuit. Ait enim, in iis nihil reprehendi posse, præter nimiam sanctitatem. At nimia sanctitas esse non potest. Sic enim Spiritus sanctus Apocal. 22. 11. *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Sed illorum superstitio fuit nimia, non sanctitas. Verúm pergit Bellarminus, & Doctores Ethnicorum

atque hæreſiarchas fuiſſe impios homines probat, quod nos concedimus. In hæreſiarchis verò præcipué ſuperbiam dominari contendit; quam etiam in plerisq; commemorat, & oſtendit. Fateor, hæreſiarchas omnes fuiſſe admodum ſuperbos; & verum eſſe, quod Auguſtinus ait in lib. de Paſtoribus cap. 8. *Diverſis locis ſunt diverſæ hæreſes* (inquit) *ſed una mater ſuperbia omnes genuit; ſicut una mater noſtra Catholica, omnes Chriſtianos fideles toto orbe diffuſos.* Sed ſint ſuperbi, quid tum? Non facilé tamen de ſuperbia judicatur. Occultus enim morbus eſt, & in piis aliquando locum habet. Certé qui Doctor Catholicus eſt, idem ſuperbus eſſe poteſt. Tandem accedit ad Lutherum, egregium illũ Eccleſiæ noſtræ Doctorem, non autem authorem, quod ille vult innuere, ſed falſó; & in hac cauſa multus eſt. Lutherum ſuperbum fuiſſe affirmat; & hinc ſuperbiam ac invidiam ſectarum omnium hujus temporis cauſam fuiſſe colligit, & teſtimonia quædam ſubjungit de moribus Lutheri & Lutheranorum. *Reſpondeo:* Lutherum fuiſſe virum ſanctum, Doctorem pium, & excellentem vitæ magiſtrum; quod conſtat ex illius hiſtoria vera, á Philippo Melanchthone ſcripta, qui illi fuit intimus, & cum eo familiariter vixit, & ab ejus latere nunquam feré diſceſſit; cui propterea magis credendum eſt, quám Cochlæo impudentiſſimo Papiſtæ, aut Staphylo, aut cuiquam præterea mendaci Papiſtæ. Sed etſi ſanctus fuit; tamen ſuis vitiis, ut homo, laboravit; & nos illum omni ex parte non excuſamus. Neque enim ejus vitam adeó fuiſſe integram contendimus, ut nulla omnino macula aut labes ei aſpergi potuerit. Tamen adverſarii crimina illi nulla poſſunt inurere. Nam illum Deus ſervavit, ne turpiús

turpiús laberetur. Et nullus est, qui non labitur. Sed concedamus, hæc omnia vera fuisse, quæ ille de Luthero narrat; interim non sequitur hoc argumentum: Non recté vixit Lutherus: ergo non recté docuit. Veri enim Doctores non ex vita, sed ex vera doctrina dijudicandi sunt. Non sequitur igitur argumentum á vita Doctorum, ad eorum doctrinam. Quanquam Adversarii nostri egregié quidem de viro illo egregio mentiuntur. Veré enim pius & sanctus fuit; quemadmodum ex illorum testimonio cõstat, qui eodem tempore vixerunt. Lutherum Erasmus laudat in Epistola ad Thomam Cardinalem Eboracensem, quæ habetur in lib. 11. Epist. ex ult. edit. epist. 1. ejusque vitam ait á multis probari. Verbá Erasmi hæc sunt: *Hominis vita magno omnium consensu probatur: jam id non leve præjudicium est, tantam esse morũ integritatem, ut nec hostes reperiant, quod calumnientur.* Idem in Epistola ad Cardinalem Moguntinum, quæ habetur in lib. 12. Epist. pag. 421. sic scribit de Luthero: *Illud video, ut quisq; vir est optimus, ita illius scriptis minimé offendi.* Et pauló póst in eadem Epist. *Et tamen si illi faverem, ut viro bono, quod fatentur & hostes, quæ esset invidia?* Legite plura hac de re apud Foxum contra Osorium pag. 278. & 279. Et de Adversarii argumentis hactenus.

JAM docebo ego paucis argumentis, non esse hanc veram & minimé fallacem Ecclesiæ notam, cujusmodi nos quærimus.

Primó, sanctitas vitæ est electorum tantúm, & nobis ignota: ergo non est talis nota, qualem nos requirimus. Nos enim non invisibilis Ecclesiæ notas, nec notas quidem incertas, sed veras certasq; notas visibilis Ecclesiæ quærimus. Antecedens patet. Nam

hypocrisis pietatis speciē habet, & ad eam proximè accedit, adeó ut ejus specie multos fallat: & illa quæ videntur esse signa pietatis, possunt esse simulata. Hypocritæ enim & impii jejunare, precari, eleemosynam erga pauperes exercere possunt, æquè ac pii, & veré fideles. Quin & Satanam etiam ipsum posse se in angelum lucis transformare legimus, 2. Cor. 11. 14. Et Rom. 2. in fine Paulus ait, eum verum Judæum esse, *qui in occulto Judæus est*, & eam veram esse circumcisionem, *quæ est cordis, quæq; in spiritu est, non in litera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Præterea vera sanctitas á vera fide promânat. nam fide purgantur corda nostra, Act. 15. 9. fides autem intus in animo & in corde latet, ut habetur Rom. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem.* Hæc etiam electorum tantúm est, ut patet Tit. 1. 1. Ergo hæc non est nota Ecclesiæ, vel secundúm Adversarios; quia ad solos electos pertinet, ex quib. solis illi Ecclesiam suam constare nolunt.

Secundum nostrum contra hanc notam argumentum est hujusmodi. Quales illi fuerunt inter Papistas, qui parentes & authores erant ordinum religiosorum, non constat. Habiti sunt illi quidem illis temporibus pii & sancti, & Papistæ ipsi illos laudant, & honorificé admodum de iis sentiunt & loquuntur. Sed cæcum illud fuit seculum, & superstitiosum, in quo vixerunt. Verúm unde constat fuisse pios? ostēdant aliqua sanctitatis illorum argumenta. Forsan vitam & sanctitatem illorum miraculis comprobatam fuisse dicent. At hæc ficta esse potuerunt, & Antichristum non sine miraculis venturum esse prædixit Spiritus sanctus. Si preces illorum, si jejunia, si χαμευνίας, & hujusmodi commemorent: respondeo,

hæc

hæc non certa esse signa, illos fuisse pios & veros Doctores. Possunt enim hæc omnia ab hæreticis, atque adeó ab impiis etiam hominibus fieri, in quibus nemica quidem est veræ sanctitatis. Addo etiam, si Angelis sanctiores fuerint, & veram doctrinam non attulerint, respuendos esse. Si enim angelus é cœlo veniret, cujus summa sanctitas est, & angelicâ hîc vitam viveret; si tamen nos aliam doctrinam doceret, quám quæ in Scripturis habetur, non esset audiendus, Galat. 1. 8. Præterea si Propheta aliquis é cœlo descenderet, & multa hîc miracula ederet: si Apostoli ipsi venirent, & singularem præ se ferrent pietatem: si tamen alia interim docerent, quám quæ in Scripturis docentur, nos iis attendere non oporteret. Videte hac de re Deut. 13. in initio capitis. Sic igitur ex his concludo: Si angeli, qui sunt naturâ sanctissimi; si Prophetæ, qui multa miracula ediderunt; si Apostoli, qui viri singulari pietate fuerunt, non sunt simpliciter audiendi, sed ad normam Scripturarum examinandi, & quatenus cum iis consentiunt, recipiendi, quatenus veró disentiunt, repudiandi: tum multó minús audiendi sunt, qui illis sanctitate multó sunt inferiores, si á verbo Dei disentiant, nec potest cujusquam hominis sanctitas satis esse ad Ecclesiam demonstrandam: at verum primum: ergo & secundum.

Tertium nostrum argumentum sic se habet. Hæc nota non tam ad illorum Ecclesiam, quám ad nostram pertinet; nec magis illorum Ecclesiam, quám nostram demonstrat. Nam si vera sanctitas ex suis fructibus judicari debet; sané Lutherus, Zuinglius, Calvinus, & alii Doctores nostri nõ minús sancti haberi debent, quám Doctores Papistici. Nã Doctores

illi noſtri diligentiſſimé munere ſuo functi ſunt. Tota illorum vita non in ocio conſumta fuit, quod feré fieri ſolet inter Papiſtas, etiam ab iis, qui ſanctiſſimi habentur; ſed in docendo, prædicando, conſolando, in Eccleſiis ſuis pié inſtituendis & gubernandis, aliisq; ſuæ vocationis muneribus. Si placeat cuiquam, Lutheri, Zuinglii, Melanchthonis, Calvini, & Bezę vitas legere, quemadmodum veré ſcriptæ ſunt; hoc verũ eſſe reperiet, quod dico. Calvini veró tam laborioſa vita fuit, ut omnẽ pené fidem ſupet. Interim Papiſtici Doctores turpes & ſcelerati ſunt, & in deliciis vivunt omnes, á Papa ſummo illorum Pontifice, ad infimum uſq; Parochum. Multi non nævi modó, ſed flagitia etiam graviſſima inter illos reperiuntur. Nulli illis turpiores, inhoneſtiores, flagitioſiores eſſe poſſunt. Quanquam nolo in vitas hominum curioſiús inquirere. Non enim de hoc laboramus, ſed de doctrina. Sed quia nos ad hoc urgent, agé videamus illorum vitas, cujusmodi ſint; easdemque excutiamus & examinemus pauliſper; idq; non ex noſtris, ut illi, ſed ex ſuis ipſorum ſcriptoribus, aut ſaltem ex iis, quos illi ſuos eſſe contendunt. Bernardus olim in ſerm. 33. in Cantic. de Paſtoribus ſui temporis graviter conqueſtus eſt in hunc modum: *Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto; honorati incedunt de bonis Domini, cui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus; inde aurum in frenis, in ſellis, & calcaribus; & plus calcaria, quám altaria fulgent; inde ſplendida menſa & cibis, & ſcyphis; inde comeſſationes, & ebrietates; inde cithara, & lyra, & tibia; inde redundantia torcularia, & promtuaria plena eructantia ex hoc in illud; inde dolia pigmentaria; inde referta marſupia. Pro hujusmodi volunt eſſe,* &

& ſunt, Eccleſiarū Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Epiſcopi, Archepiſcopi. Et in lib. 4. de conſiderat. ad Eugen. de Curia Pontificis ait: *Malos illic non proficere, ſed bonos deficere. Et Papam ait non Petro, ſed Conſtantino ſuccedere,* multaque præterea alia in eandem ſententiam ſubjungit. Idem etiam in ſermone 1. de converſione Pauli ſic ſcribit: *A planta pedis uſq; ad verticem, non eſt ſanitas ulla.* Franciſcus Petrarcha in Epiſt. 20. aulam Papæ vocat *Babylonicam meretricem, matrem omnium idololatriarum, & aſylum errorum.* Arnulphus quidam, cujus Platina meminit in vita Honorii ſecundi, & Trithemius in Hirſaugienſi hiſtoria, Romam vênit; & cúm Clericorum vitam moresque impuriſſimos videret, in hunc modum graviter conqueſtus eſt: *Si ſanctus Petrus hodie reſurgeret, & vitia veſtra, quæ nimis multiplicata ſunt, reprehenderet, ei minimé parceretis.* Et ſubjungit: *Vos omni ſpurcitie pleni, plebem vobis commiſſā præceditis ad infernum.* Hic ſanctus monitor hanc laboris ſui mercedem retulit, ut á Clericis interfectus eſſet; quod Platina reprehendit. Aut enim clam ſubmerſus fuit, quemadmodum quidam dicunt; aut ſuſpenſus, ut alii volunt. Hugo Cardinalis in Gloſſa quadam, ait: *Diabolum duas habere filias, avaritiam, & luxuriam; illā Judæis, hanc Ethnicis olim elocâſſe: nunc veró Clericos utramq; ſuis viris eripuiſſe, & tanquam proprias habere.* Simile quiddam narratur de Richardo primo Angliæ Rege in Catalogo teſtium, in anno 1200. Idē Hugo in Poſtilla ſuper ſecundum caput Evangelii ſecundúm Joannem citat Bernardum, cujus verba ſunt hujusmodi: *Videtur, bone Jeſu, contra te conjurâſſe univerſitas Chriſtianorum; & illi in perſecutione tua primi ſunt, qui in Eccleſia tua videntur primatum tenere, & principatum gerere.* Petrus Bleſenſis Anglus, qui vixit circiter

citer annos abhinc quadringentos, acerbissimé invehitur in vitam & mores Clericorũ in Epist. 44. ad quendam Episcopi Officialem; quem sic dici ait ab officio verbo, non ab officio nomine. Adrianus sextus, in instructione legatorum, ait, fuisse in sede Romana multa abominanda multis seculis. Et Cardinales delecti ad Paulum tertium ajunt, tam multos abusus esse in Ecclesia, ut ad desperationem laboret. Baptista etiam Mantuanus poëta, multis versibus corruptos Cleri mores suo tempore describit, præcipué veró in 3. lib. calamitatum. Budæus in libro de asse, multa de Cleri Papistici corruptelis scribit, eiq; Epicurismum tribuit. Erasmus in Epist. ad Cardinal. Mogunt. quæ habetur in 12. lib. Epist. hæc verba habet: *Si se magnos Theologos haberi volunt, emendẽt publicos Christianorum mores, quibus nihil est corruptius, ne apud Turcas quidem.* Denique in Concilio Tridentino multi in abusus Cleri invecti sunt; præsertim veró Cornelius quidam, Episcopus Bitontinus, homo eloquentissimus, in turpissimam Clericorum vitam multa acriter dixit. Sed hac de re satis multa diximus.

Quartum nostrum argumentum sequitur, quod est hujusmodi: Patres nunquam senserunt, de Doctoribus ex illorum vita, sed ex doctrinæ genere æstimandum esse: ergo vitæ sanctitas in Ecclesiæ Doctoribus, non est certa Ecclesiæ nota. Augustinus in Epist. 137. multa hac de re pulchré scribit. Ait, hunc esse morem hæreticorum, crimina objicere Doctoribus, cúm illorum doctrinam non possunt reprehendere. *Et tamen etiam ipsi* (inquit) *cúm maritata aliqua invenitur adultera, nec projiciunt uxores suas, neć accusant matres suas. Cúm autem de aliquibus qui sanctum nomen profiten-*

profitentur, aliquid criminis vel falsitatis senuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur. Et paulò pòst sic scribit: *Ne objiciatis hæreticis* (inquit) *nisi quia non sunt Catholici, ne similes eis sitis; qui non habendo, quod in causa suæ divisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere affectant, & ea ipsa plura falsissimè jactant, ut quia ipsam divinæ Scripturæ veritatem, quæ ubiq; diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari & obscurare non possunt, homines per quos prædicatur, adducãt in medium; de quibus & fingere, quicquid in mentem venerit, possunt.* Papistarum hæc hodie consuetudo est; cùm doctrinam nostram reprehendere non possunt, crimina quædam nescio quæ adversus Doctores nostros fingunt. Sed pergit Augustinus, & ait: *Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in illo docti estis. Ipse quippe fideles suos securos facit etiam de dispensatoribus malis, mala sua facientibus, & bona ejus loquentibus, ubi ait: Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, & non faciunt.* Ex quibus verbis colligi potest, posse Doctores vera loqui, & malè vivere, ac proinde vitam non esse Doctoris aut mali aut boni indicem. Hieronymus in libro 3. Apologiæ suæ contra Ruffinum sic scribit: *Quis unquam Catholicorum in disputatione sectarum, turpitudinem ei, adversus quem disputat, objecit?* Et tamen nullum ferè alium esse Adversariorum morem constat, quàm turpitudinẽ nobis objicere. At ex sola doctrina falsus Doctor arguendus est. Quod verò Christus ait de Pseudoprophetis Matth. 7. 20. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos,* (quem locum Adversarii nostri in hac causa nobis semper solent objicere:) id Patres de falsis dogmatibus interpretantur. Vincentius Lirinensis in cap. 36. libri sui, ait, hæreticos divinæ

Legis sententiis, quasi quibusdam velleribus obvolvere sese; sed tamen ex fructibus, id est, ex falsis interpretationibus lupos agnosci posse. Sic Theodoretus in 3. lib. hæret. fabul. in principio, non de operibus, non de moribus, non de actionibus, sed de falsis dogmatibus, & falsis interpretationibus illa verba vult intelligi. Sic Author operis imperfecti in Matth. homil. 19. eundem locum interpretatur. Ex his quæ diximus satis constat, vitæ sanctitatem non esse certam & indubitatam notam veræ Ecclesiæ. Quare Ecclesiam non ex vita Doctorum, sed ex doctrina dijudicandam esse concludimus.

CAPUT DUODECIMUM.

In quo undecima Ecclesiæ nota á Bellarmino proposita examinatur & refellitur.

VEnio nunc ad undecimam Ecclesiæ notam, quá Bellarminus facit gloriam miraculorum. Antequam veró hinc pro sua ecclesia contra nostram concludat, duo fundamenta præmittit. *Primum* est, miracula esse necessaria ad novam fidem, vel extraordinariam missionem persuadendam. *Secundum* est, miracula esse sufficientia ad veram fidem declarandam. De priori primo loco videamus. *Primó* ait, ad novam fidem & extraordinariam missionem persuadendam, miracula necessarió requiri. *Respondeo*: Concedimus nos, ad novam fidem persuadendam, miracula necessaria esse. Sed hoc ab instituto alienú est. Lutheri enim, & nostra fides, non nova, sed vetus est. Quod veró de extraordinaria missione ait, id nó verum est. Nos illud supra diluimus; & docuimus, quosdam extraordinariè vocatos nullum edidisse miraculum. 2. Si miracula ad hæc tantúm sint necessaria,

saria, hoc est, si ad novam tantummodo fidem, & extraordinariam missionem confirmandam requirantur: tum non sunt nunc necessaria, ut ipsi volunt; necipsi quidem Papistæ nunc miracula habent. Non enim novam aliquam fidem, aut extraordinariam jactant illi; imó nullam fidem, aut missionem probant; sed veterem fidem, & ordinariam missionem habent, si iis credamus; & tamen miracula jactant. quorsum quæso, cúm illorum nec fides nec missio nova sit? Illorum ergo miracula omnia aut ficta sunt, aut certé minimé necessaria. Sed Adversarius tribus argumentis probat, miracula esse necessaria; quæ cujusmodi sint, videamus.

Primum ejus argumentum sumitur ex quibusdam Scripturæ testimoniis. *Primum* testimonium habetur Exod. 4. in principio capitis, ubi Moses ad Pharaonem Dei jussu & missione iturus, potestatem edendi miracula accepisse dicitur, ut ei crederetur. Cúm enim Moses Deo diceret, *Non credent mihi, neq; audient vocem meam*; non respondit illi Deus (inquit) Debent credere, velint, nolint; sed dedit illi potestatem faciendi miracula; & horum miraculorum finem subjungit, nempe, *ut credant, quód apparuerit tibi Dominus*. Miracula ergo sunt necessaria. *Respondeo*: Quando Moses accepit á Domino mandata illa, quæ ad Israëlem deferret, *primó* Scripturas nondum habebant; nondum enim erat Dei voluntas scripto patefacta, & literis consignata: *deinde* Moses erat Israëlitis penitus ignotus: *tertió* opus illud erat omni modo extraordinarium, ut populus ex Ægypto educeretur. Ergo illi necessarium fuit miraculis uti. At nos nunc Scripturas habemus, ex quibus Dei voluntatem intelligamus; & Deum velle nos Scripturas

audire, novimus; & non est opus hoc extraordinarium, Evangelium veré prædicare; cujusmodi illud fuit. Nam verbi prædicatio est opus maximé ordinarium. Quare nobis miracula non perinde necessaria sunt, ac Mosi fuerunt. *Secundum* Scripturæ testimonium á Bellarmino allatum habetur Matth. 10. 7. 8. ubi legimus, Apostolis ad prædicandum Evangeliũ missis datam esse potestatem edendi miracula. *Euntes* (inquit Christus) *prædicate, dicentes, Appropinquavit regnum cœlorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite. Resp.* hoc tum necesse fuisse, ut constaret Christum jam venisse, & fuisse illum verum Messiam, qui antea per Prophetas promissus erat, & veteris Testamenti finem jam adventâsse. Sed nunc non est talis necessitas. Nos enim nunc certó scimus, Christum venisse, nec esse alium Messiam expectandum, & veteri Testamento jam finem esse impositum. Nihil horum nobis nunc ignotum est: miracula ergo non sunt nobis perinde necessaria. *Tertium* Scripturæ testimonium á Bellarmino citatum, quo vult probare miracula esse necessaria, habetur Joan. 15. 24. ubi Christus de Judæis illius temporis in hunc modum loquitur: *Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum.* Ex his verbis colligere vult Bellarminus, non peccare eos, qui fidem non habent Doctoribus illis, qui sine miraculis veniunt. *Respondeo*: hanc esse malam consequentiam. Nam Judæi peccârunt, si non crediderunt Joanni Baptistæ, & tamen ille nulla miracula edidit; & præterea Christo etiam sine miraculis credere debebant. Sensus ergo loci non est, Judæos nullum omnino peccatum habituros fuisse,

se. si non credidissent Christo sine miraculis, sed non habituros esse tantum peccatum, ut veré Augustinus illum locum interpretatur. Hæc ergo Christi verba, non simpliciter, sed comparaté sunt intelligenda.

Secundum Adversarii argumentum est hujusmodi. Qui mittitur, debet ostēdere testimonio ejus, á quo mittitur, suam auctoritatem; alioqui nemo tenetur eum recipere. Omnis autem, qui mittitur ad prædicandum, vel mittitur á Deo per ordinarios prælatos, vel extraordinarié á solo Deo. Et quidem qui mittitur per ordinarium prælatum, debet ostendere testimonium ordinarii prælati, nimirum literas ejus sigillo munitas: qui veró mittitur á solo Deo, debet ostendere sigillum Dei, quod nihil est aliud, quám miraculum. *Resp.* Extraordinariam missionem duplicem esse, & dupliciter dici; *primó*, respectu ordinis publicé recepti; *secundó*, respectu ordinis á Deo instituti. Si priorem respectum intelligat, non opus esse illi miraculis dico, qui hoc sensu extraordinarié missus est: sin posteriorem intelligat respectum, fateor, eum, qui hujusmodi extraordinariam missionem habet, debere missionem suam miraculis probare & confirmare. Qui enim aliquid facit aut docet contra ordinem publicé receptum; si ille ordo prorsus corruptus sit, huic non est necesse, miraculis confirmare id quod facit, aut docet; nec ei opus est novâ aliqua missione per miracula, sed veterem legem pro fundamento habet. Qui autem aliquid facit, aut docet, contra ordinem á Deo institutum, huic necesse est, factum suũ, doctrinam suã, missionem suã, miraculis cõfirmare. Si Christus venisset tantũ, ut veterem ordiné revocaret, & instauraret, & ordinem illũ corru-

ptum aboleret, qui tum erat in Ecclesia: non opus fuisset illi miraculis. Sed cúm venerit ille, ut ordinem á Deo jam olim institutum, & miraculis approbatũ, é medio tolleret, & novum ordinem introduceret, totamque adeó Ecclesiæ politiam ac regimen mutaret: miracula illi necessaria fuerunt. Similiter de Luthero respondemus. Si ille novus aliquis magister fuisset, nuper á Deo missus, & quasi repenté é cœlo delapsus, qui novam Ecclesiam institueret, novamq; fidem & doctrinam mundo proponeret: tum illi opus fuisset miraculis. Sed cúm ille hoc tantúm in se suscéperit, ut religionem corruptam restitueret, & veterem veramq; doctrinam instauraret: non fuerunt ab illo miracula requirenda.

Tertium Adversarii argumentum sumitur ex Augustino in lib. 22. de civit. Dei, c. 8. ubi scribit Augustinus, miracula fuisse necessaria, ut mundus crederet. *Respondeo* ex ipso Augustino. 1: Ait Augustinus, priusquam mundus crederet, fuisse miracula necessaria ad hoc, ut crederet; sed qui nunc quærit miracula, ipsum esse magnum prodigium. 2. Ait, quædam miracula etiam tunc edita fuisse; sed necessaria tunc fuisse non dicit; & illa, quæ tunc sua ætate edita sunt, negat tam clara & illustria fuisse, quám quæ olim edita fuerunt. 3. Rationem reddit, cur nunc miracula non sint necessaria; quia Scriptura facit, ut illa miracula, quæ Christus & Apostoli fecerunt, ubiq; celebrentur, & á pluribus intelligantur, quám si quis tum novum aliquod miraculum edidisset. Augustini verba hæc sunt: *Canon quippe sacrarum literarum, quem diffamatũ esse oportebat, illa* (scilicet antiqua miracula) *facit ubiq; recitari, & memoriæ cunctorum inhærere populorum.* Christi igitur doctrina satis aperté & so-

lidé

lidé antiquis miraculis confirmata fuit, ut novis miraculis nunc opus non sit. Et si possent nunc miracula edi; non essent tam clara & illustria, quám ea, quæ Christus & Apostoli olim fecerunt. Atque hoc est *primum* Adversarii fundamentum.

Sequitur *secundum* de miraculorum authoritate, quam ille sufficientiam vocat. Ait enim, miraculum esse sufficiens testimonium; & ubi est verum miraculum, ibi esse veram fidem. Ad hoc veró fundamentũ stabiliendum, argumento utitur hujusmodi. Miracula vera (inquit) non possunt fieri, nisi Dei virtute. Dicitur enim miraculum, quod superat vires omniũ creaturarum, & ideo omnibus creaturis est mirabile; & propterea etiam in Scripturis miracula dicuntur testimonia Dei. Quare quod miraculo confirmatur (inquit,) Dei testimonio confirmatur, ideoq; verum est. Deus enim mendacii testis esse non potest. *Respondeo* 1: Si de miraculis accuraté loquatur, me minimé ignorare, vera miracula nullâ vi nisi divinâ fieri posse. Nulli enim angeli, nulli dæmones, nulli magi suâ tantúm virtute aut facultate freti, aliquid aut supra aut contra naturam facere possunt, aut naturæ ordinem & formam mutare. At non est miraculum verum, nisi fiat contra totam naturam, ut Scholastici veré dicunt; cujusmodi sunt ista, solem in cœlo stare, manna de cœlo decidere, aquam é silice fluere, aquam in vinum verti, cæcum natum videre, & quæ sunt his similia. Hæc veró Deus solus facere potest. Sunt enim hæc supra naturæ vires: ergo omnes creaturæ non possunt unum ex his efficere, aut aliquid hujusmodi. Nam vis creaturæ non potest suam conditionem superare. Et sic dæmones non possunt vera miracula edere, nedum falsi magistri. 2. *Respondeo*:

Miracula vulgó vocari, & existimari, quæ nostram opinionem, spem, & expectationem superant; quæ nos quidem miramur, quia illorum causam ignoramus, & quomodo fiant, non videmus. Quare Augustinus in lib. de utilitate credendi ad Honorat. contra Manichæos cap. 16. pulchré scribit: *Miraculum voco, quicquid arduum, aut insolitum, supra spem, aut facultatem mirantis apparet. In quo genere nihil est populis aptius, & omnino stultis hominibus, quám id quod sensibus admovetur.* Sic multa possunt miracula videri, quę á causis naturalibus proveniunt. Atq; hoc modo multa á magis, á dæmonibus, ab angelis miraculosé fieri posse concedimus, cujusmodi multa liceret commemorare, si opus esset. Hujusmodi illa miracula fuerunt, quæ legimus Exod. 7. & 8. á magis Ægyptiacis edita fuisse; quæ non vera quidem miracula fuerunt, quia ex naturæ causis oriri potuerunt. Res fortasse veræ erant, miracula autem non vera. 3. Dico, ex neutro genere miraculorum posse sufficiens testimonium sumi, aut certum argumentum colligi, pro vera doctrina. Nam quæ mirabilia sunt, sed non vera miracula, ea possunt á creaturis, á Satana, á malis angelis, á magis fieri: itaque nullam in se vim habere ad veram doctrinam demonstrandam, certissimum est. Addo etiam, vera miracula suâ naturâ hoc facere non posse. Nam etsi nulla vera miracula nisi á Deo solo fieri possunt: tamen non sunt illi continuó veri Doctores, qui hujusmodi miracula edunt; nam possunt vera miracula etiam á falsis Doctoribus & Pseudoprophetis fieri, sed tamen Dei, non illorũ virtute. In hoc ergo fallitur Adversarius, quód putat, eos omnes, quib. Deus dedit potestatem edẽdi miracula hujusmodi, & quos hac facultate ornat, verorum Doctorũ signa

signa habere, & á Deo missorũ, atq; ideo hujusmodi omnes, sine omni controversia, Ecclesiæ á Deo pro veris Doctoribus, & pro suis ministris commendari. Constat enim, Deum non modó veris, sed & falsis Doctoribus, vim & facultatem tribuere hujusmodi faciendi miracula; non tamen quó confirmet illorũ falsa dogmata, sed quó tentet eos, ad quos mittuntur. Hoc patet ex Deut. 13. 1. 2. 3. *Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signũ aut portentum, & evenerit quod locutus est; & dixerit tibi, eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis: non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris; quia tẽtat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrúm diligatis eum toto corde, & totâ animâ vestrâ.* Ergo quod ait Bellarminus, omne miraculum esse testimonium divinum veræ fidei, quod qui facit, verus Doctor est, & á Deo missus: falsum est. Sunt enim alii hujusmodi miraculorũ fines. Nam futura prædicere, aut miraculum est, aut certé miraculo majus. At multi falsi Prophetæ & Doctores futura prædixerũt, ut de Balaam constat. Deus enim illis sæpe, quæ futura sunt, revelavit. Et hinc illa á diis Gentium olim reddita oracula. Potuerunt enim dæmones multa intelligere, aut ex Deo, aut ex scripturis, aut alio aliquo modo. Ergo hoc Adversarii fundamentũ infirmum est. Deut. 18. 22. Dominus docet, quomodo Propheta falsus agnosci possit, nempe si prædixerit aliquid, quod non evenerit. At quid si evenerit, quod prædixerit? num verus cõtinuó Propheta est? nequaquã, nisi & verã religionẽ docuerit. Nam alioqui pseudopropheta Balaam pro vero Propheta habẽdus erit, & dii Gentiũ pro veris diis. Cũ ergo falsi Prophetæ possint futura prædicere, quidni & miracula edere possint? Miracula igitur ex

doctrina judicanda sunt, non doctrina ex miraculis. Si vera doctrina fuerit, & accesserint miracula; tum illi doctrinæ magis credendum est, propter ista miracula; sed non est doctrinæ aut Doctorialicui propter miracula tantúm fides adhibenda. Neque ita duo illa fundamenta, quæ ab Adversario jacta sunt, evertimus. Nam miracula neque esse necessaria, neque esse sufficientia ad doctrinam aliquam confirmandam, evicimus.

His veró falsis fundamentis positis, postea duo agit Bellarminus. *Primó*, probat fidem veram non esse apud Ethnicos, Turcas, Judæos, hæreticos; & hîc multa eorum miracula recenset; quæ quorsum tendant, nescio. Nos enim hac in re Adversarios non habet. Accedit tandem ad Lutherum & Calvinum; quos ait nulla miracula edere potuisse; & hîc mendacia quædam narrat ex Cocleo, Bolseco, aliisque Papistis; quæ nulla fide digna sunt. *Respondeo* 1: me nescire, utrúm Lutherus & Calvinus miracula aliqua ediderint, nécne; nec velle hac de re aliquid affirmare. Sed si Melanchthon fide dignus sit, qui Luthero amicissimus fuit; non caruit Lutherus suis miraculis. Scribit enim ille in ejus vita, eum multa certé mira feciisse. Nec est quod suspicemur eum mentiri voluisse. Homo enim pius, integerrimus, & sincerissimus fuit. Unde licet conjecturam facere, quid de mendacibus illis Papistis, Cocleo & Bolseco, sentiendum sit; & quám vana illa sint, quæ isti de Luthero scribunt. Nos potiús Melanchthoni fidem habebimus. *Respondeo* cum Calvino in præfat. in Instit. Iniqué cum illis agere Adversarios, qui miracula ab iis postulant, cúm novam doctrinam non proponant, sed eandé, quam Prophetæ, Christus, & Apostoli olim tradiderunt,

derunt, & innumeris miraculis confirmarunt. Sed hîc tria nobis objicit Bellarminus. *Primó*, nostram doctrinam novam esse ait. *Respondeo:* Hoc dicit tantúm, non probat; neque certé probare potest, ne in uno quidem dogmate. Non potest (inquam) probare, ullam partem nostræ doctrinæ novam esse. Nos enim in Scripturis reperimus, quicquid docemus; ex Scripturis nostra doctrina omnis petita & desumta est, & ex iisdem potest demonstrari. *Secundó* objicit Bellarminus, nostros aliter docuisse, quám docuerunt ordinarii Pastores Ecclesiæ. Unde sequitur, miraculis opus habuisse. *Respondeo:* Quid ordinarii illi Pastores docuerint, non multum laboro. Erant enim reverâ contra omnem ordinem. Debebant similes esse Pastoribus Apostolicis, debebant Apostolicam doctrinâ prædicare, debebant Apostolos ipsos sequi, & in illorum vestigiis insistere; quod si fecissent, tum nostri ab illis non dissensissent. At illi dissimiles erant Apostolis, & veteribus illis Ecclesiæ Pastoribus, tum in doctrina, tum in Ecclesiæ administratione. Et oportet quidem veros Pastores spectare potiús, quid Christus & Apostoli docuerunt, quám quid ordinarii Pastores doceant. *Tertió* objicit, non missos esse nostros ab ordinariis Pastoribus; ergo debuisse suam missionem divino testimonio probare. *Respondeo* 1. Hac de re nos antea nonnulla diximus. Nunc veró ad ea quæ antea diximus, hoc adjungimus; Papisticam missionem aut vocationem nullo modo á nostris suscipiendam, aut omnino desiderandam fuisse; quia omnia tunc temporis apud Papistas corrupta fuerunt. Episcopi enim, qui tum erant, tyranni fuerunt, & lupi; non sinebant quenquam pium ministrum in Ecclesia docere, quem

contra ipsos quicquam locuturum esse suspicabantur. Ergo impia illorum missio fuit, & nihili æstimanda. Itaq; similiter nostris faciendum fuit, quemadmodum pii Prophetæ olim inter Israëlitas fecerunt; qui non ab ordinariis sacerdotibus missionem petebant, quia erant idololatræ; sed Deum vocantem secuti sunt. 2. *Respondeo:* Non esse necessarió omnem extraordinariam missionem & vocationem miraculis confirmandam. Nam Joannes Baptista extraordinarié missus & vocatus fuit, & tamen ille nulla miracula edidit. Sed de Johanne Baptista tria respondet Adversarius; quæ cujusmodi sint, videamus. *Primó* ait, etsi Joannes ipse nulla fecit miracula: tamé in eo facta sunt á Deo multa & magna miracula; ut quód á vetula nasceretur, eâq; sterili; quód pater ejus ad tempus obmutesceret, quód in utero exultaret, quód á puero in desertis locis viveret. *Respondeo* 1. Nonnulla ex his miraculis edita fuisse, antequam Joannes fuit in lucem editus, & antequam omnino in vivis fuit; ac proinde non sunt illi tribuenda. 2. Non omnibus, nec toti populo, nota fuerunt ista miracula, sed privatis tantúm quibusdam. At illi requirunt manifesta miracula, & omnibus nota, per quæ populo commendentur Doctores, quasi á Deo missi. *Secundó* respondet Bellarminus, Joannem fuisse filiú Sacerdotis, ac proinde Sacerdotem, & ordinarium ministrum. Unde sequitur, illi non necessaria fuisse miracula. *Respondeo:* Si Templum spectemus, fuit ille quidem ordinarius minister. At non legimus, Joannem in Templo, sed extra Templum ministerio suo functum esse. Propheta enim fuit; & quod ad munus hoc Propheticum attinet, extraordinarium omnino fuit ejus ministerium. Et quidem etsi successit patri

tri Sacerdoti: tamen in Sacerdotio non succeſſit. *Tertiò* ait, Joannem nihil contra communem doctrinam docuiſſe, nihil contra publicam & paſſim receptam doctrinam populo propoſuiſſe, nec ſe á cæteris Sacerdotibus & populo ſeparaſſe, & Phariſæos non auſos fuiſſe ejus Baptiſmum improbare, Matth. 21. 25.26. quinctiam Joſephum lib. 18. Antiquit. cap. 10. teſtari, Joannem á Judæis habitum eſſe inter præcipuos viros, juſtitiæ & probitatis causâ: unde infert, mentiri Centuriatores, qui Centuria 1. lib. 1. cap. 10. colum. 363. affirmant, Joannem habitũ eſſe á Sacerdotibus & Phariſæis pro hæretico. *Reſpondeo* 1. Joannem multa contra communem doctrinam docuiſſe, & aliter quám Scribæ & Phariſæi docuerunt: extraordinarius ergo miniſter fuit. Nam *primó* docuit, Chriſtum Meſſiam verum, in mundum veniſſe, illumq; digito demonſtravit, & dixit, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* *Deinde* præclarè teſtatus eſt, eum cœleſtem fuiſſe Doctorem, & fore quotidie auctiorem & ampliorem, ſe verò minutiorem futurum eſſe. Totum denique populum ad Chriſtum vocabat, & convertebat; econtra Phariſæi á Chriſto omnes abstrahebant & abducebant. 2. *Reſpondeo*: illum quoq; ſe á populo & ab aliis ſacerdotibus ſeparaſſe (quod Bellarminus negat) & in locis ab urbe remotis vixiſſe. Non enim ad Templum acceſſit, ſed ſeorſim & ſeparatim vixit. Quare Phariſæi dicuntur ex urbe exiiſſe, cúm illum convenire voluerunt, Joh. 1.19. 3. *Reſpondeo*: Joannis Baptiſmum non fuiſſe á Phariſæis approbatum, nec illius miniſterium. Nam etſi Matth. 21. 25. 26. eos non palám ipſum, aut illius functionem reprehendiſſe legimus: hoc tamen fecerunt, nõ quód illius miniſteriũ probarent, nec quód

de illo beneſentirent, ſed quód populum timerent, quem offendere noluerunt. Fuerunt enim illi de ſua exiſtimatione admodum ſoliciti: ergo voluerunt á populo in honore haberi. Imó conſtat, illos Johannem odiſſe, & de illo perverſè ſenſiſſe, ac peſſimè judicaſſe; quia ille ſemper Chriſtum laudavit, quem ipſi oderunt. Et ex Matth. 21. 32. manifeſtum eſt, illos, id eſt, Sacerdotes & Phariſæos, nullam Joanni fidem habuiſſe: Et Luc. 7. 30. cúm omnes Johannis Baptiſmum reciperent, & populus, & publicani: Phariſæi & νομικοὶ reſpuebant. Ex quo conſtat, eos ſic ſenſiſſe de Johanne, tanquam de hæretico; nam aliter ejus Baptiſmum nunquam rejeciſſent. Et in eodem capite verſ. 33. legimus illos dixiſſe, Johannem habere dæmonium. Ergo conſtat, Centuriatores nil falſum hac de re ſcripſiſſe. Potuit enim Johannes á populo magni fieri, & tamen á Sacerdotibus & Phariſæis pro hæretico haberi.

Jam veró ſecundo loco, ex iisdem fundamentis ſuprá poſitis, Adverſarius probare conatur, fidem veram eſſe apud ſe, & illorum Eccleſiam veram Dei Eccleſiam eſſe. Nam ait, ſuam Eccleſiam miraculis claruiſſe omnibus ſeculis. Et hoc loco omnes ætates á Chriſto ad noſtra uſque tempora percurrit, & ſingularum ætatum miracula producit, & commemorat. *Reſpondeo:* Nos de primis illis ſeculis minimé dubitare; nec negare, quin multa olim miracula edita fuerint ab illis ſummis viris, qui tum vixerunt, & floruerunt. Atque illo quidem tempore miracula neceſſaria fuerunt, propter Ethnicos & Judæos, inter quos Chriſtiani ſparſi fuerunt, quiq; erant ad fidem convertendi. Sed recentiorũ Monachorũ & Papiſtarum, Franciſci, Dominici, & reliquorum miracula, falſa

falsa & ficta esse dicimus, ac proinde illa nihili facimus. De Dominico ait Bellarminus, etsi ejus vita negligentiùs scripta fuit: tamen constare, eum tres mortuos excitasse. Sed unde hoc constat? certè non aliunde, nisi ex historia illa, quam ipse tamen fatetur negligenter scriptam esse. Sed quis non id vanum & fictum esse videt? Tum quæ de Catharina Senensi, & Xaverio Jesuita, Layolæ discipulo, narrat, quis vera esse crediderit? Ait, illum multa miracula vivum fecisse; & addit præterea, corpus ejus mortuum per menses quindecim jacuisse integerrimum, & suaviter olens; nec dubium esse, quin usque ad hanc diem integrum & incorruptum conservetur. Et hæc Bellarminus ex Indicis literis se accepisse ait, quæ sunt omnium mendaciorum pleniſſimæ. Sed tamen ne putet, me omnino hæc miracula contemnere: respondeo fieri posse, ut in regno Pontificio fuerint hujusmodi miracula, & nunc sint. Nam, 1. Deus dat interdum, ut impii & falsi Doctores faciant miracula, non quidem ad falsam doctrinam confirmandam, sed ad populum tentandum, ut patet Deuteron. 13. 3. 2. Satanas potest in suis organis & instrumentis, hoc est, in ministris suis, potens atq; efficax esse; & illos variis hujusmodi testimoniis commendare; & efficere, ut ea faciant, quæ pro miraculis habeantur, quia quomodo fiant, non perspicitur; & nunc quidem eò magis, quòd illa esse magis necessaria videt, & illorũ authoritate plures seduci animadvertit. Nam docent Scholastici (ut patet ex aureo Rosario, tomo 2. tractat. de Dæmonibus, sect. 5.) dæmones posse non quidem omnia facere miracula vera; tamen posse quædam parva facere, in veritate rei, absolutè loquendo. Sed ego non existimo, Dæ-

mones posse vel parvum verum miraculum facere, quia hoc omnem vim creaturę superat: posse tamen, concedo, per causas naturales multa facere, quæ miracula videantur, quæque vulgó pro miraculis habeantur. Hoc est, quod Authores tradunt de miraculis magorum Ægyptiorum. Sic glossa super Exod. 7. & Augustinus in libro 3. de Trinitate cap. 8. de illa conversione virgarum in serpentes per magos Ægyptiorum, & de ranis etiam, quas magi produxerunt, ajunt, dæmones, dum per incantationes eorum malefici aliquid efficere conantur, celerrimé per mundum discurrere, & colligere diversas species rerum, ex quibus varia fiunt: sic virgam é medio sustulisse, & serpentem ejus loco posuisse, sic ranas ex causis naturalibus fecisse. Augustini hæc verba sunt: *Non solùm malos, sed nec bonos angelos fas est putare creatores, si pro subtilitate sui sensus & corporis, semina rerum istarum nobis occultiora noverunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt, atq; ita gignendarum rerum & accelerandorum incrementorum præbent occasiones.* Hæc spectantibus miracula videbantur; quia nesciebant, quomodo fierent; sed non erant vera miracula, nisi aliquo modo. Non puto fuisse spectra, sed quæ re verâ videbantur; & tamen non erant miracula, quia causas in natura habebant. Quis dubitat verum fuisse ignem, quo Jobi pecora cremata sunt? Sic veros serpentes, & veras ranas produxerunt magi illi Ægyptiaci, sed eo modo, quo Augustinus ait. Nam cùm ad tertium signum ventum est, victi magi dicunt, *Digitus Dei est hîc.* Unde constat, non præstigias fuisse, quæ hactenus ab illis fiebant. Res veræ erant, sed falsa miracula. Hujusmodi

modi miracula ab Antichriſto edenda eſſe legimus; quæ populus quidem pro veris miraculis ſumet, quia Satan præſtigiis oculos illorum fallet. Sic enim Apoſtolus 2. Theſſ. 2. 9. ait, Satanam in Antichriſto potentem fore, ἐν σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους, *in ſignis ac prodigiis mendacibus*; non quidem ſi res ipſas, ſed certé ſi miracula ſpectemus. Nam miracula falſa erunt, & quoad formam, & quoad finem. Nec enim veram formam verorum miraculorum habebunt, & præterea ad malos fines referentur, ad Antichriſti ſcilicet regnum ſtabiliendum: at vera miracula ad falſam doctrinam confirmandam nunquam referuntur. Igitur concedimus, talia ſtupenda fieri poſſe á Satana, & Antichriſto, ejuſque miniſtris, & non probare veram Eccleſiam; quantumvis mille hujusmodi edita fuerint. Non eſt ergo, quód illorum miraculis aliquid tribuamus. De Xaverii veró corpore, ſi verum illud ſit, quod Bellarminus ait, fuiſſe ſervatum per menſes quindecim poſt mortem ejus ſuaviter redolens, *reſpondeo:* ſervare corpus mortuum ne putreſcat, ſi ſine mediis & cauſis naturalibus fiat, miraculum eſſe; ſin per cauſas fiat naturales, non eſſe miraculum. Et ſic Xaverii corpus potuit Diabolus ad tempus ſervare incorruptum, & ſuaviter olens. Poteſt enim illi facilé aromata adhibere cujusque generis, & medicamentis uti, quibus hujusmodi aliquid fiat; quippe qui omnia aromatum, & medicamentorum atque unguentorum genera, ſatis probé novit. De aliis quidem ſanctorum corporibus nihil tale legimus, quæ tamen Deo non minús precioſa fuiſſe conſtat, quám fuit corpus illius Jeſuitæ. Præterea Adverſarius ipſe in hoc capite fatetur, ut poſtea videbimus, arte diabolicâ

fieri posse, ut qui cæcus erat, videat; & qui claudus erat, ambulet: ergo si tale aliquid inter Papistas factum sit, suspicari nos possumus, id arte Diabolica factum esse. Sic docet nos Adversarius, quid ei respondeamus de fictis illis miraculis, quorum Ecclesiam Romanam, quæ est Antichristi regnum, plenam esse constat. Cúm ergo hujusmodi ab illis miracula facta esse audimus, ne vacillemus animo, neque de sententia nostra dimoveamur. Quandoquidem enim á falsis Doctoribus vera miracula fieri posse acçepimus aliquando, non quidem ipsorum, sed Dei ipsius virtute: falsa & commentitia ab illis posse fieri ne dubitemus.

NUNC nostra contra hanc notam argumenta breviter proponam.

Primum nostrum argumentum est hujusmodi. Miracula possunt adhiberi ad falsam doctrinam cõfirmandam: ergo non semper veram fidem & veram doctrinam, & per consequens non semper veram Ecclesiam arguunt miracula. Antecedens probo ex Matth. 24. v. 24. ubi Christus prædicit, orituros esse multos pseudochristos, & pseudoprophetas, eosdemq; signa magna & prodigia edituros esse. Sed quam tandem vim habebunt hæc signa & prodigia tantam scilicet, ut ipsi etiam electi, si id fieri posset, fallantur. Præterea Exod. 7. & 8. eadem miracula á magis Ægyptiacis edita fuisse legimus, quæ ab ipso Mose edita sunt. Non enim existimandum est falsa spectra fuisse, sed veras res; quemadmodum ex tertia pediculorum plaga constat, de qua ipsi magi in hunc modum fateri coguntur, *Digitus Dei hîc est.* Non debemus ergo nimium miraculis tribuere; cúm falsi etiam Doctores, & magi, ejusmodi possint edere.

Quin

Quin & ipsos Ægyptios constat ita lusos fuisse istis magorum miraculis, ut eos Mosi ipsi æquales esse existimarent. Non ergo facilé nec temere signis & miraculis credendum est. Deinde Deut. 13. 1. sic scriptum legimus: *Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atq; portentum, & evenerit quod locutus est, & dixerit tibi, Eamus & sequamur deos alienos (quos ignoras) & serviamus eis; Ne auscultato verbis Prophetæ istius, aut isti somniāti somnium; quia tentat Jehovah Deus vester vos, ad cognoscendum, an sitis amantes Dei vestri, ex toto corde vestro, & ex toto animo vestro.* Et Deut. 18. v. 21. & 22. docet Moses, quemadmodum pseudopropheta agnoscendus est: *Quód si dicas* (inquit) *cum animo tuo, quomodo cognoscemus verbum illud, quod non eloquutus fuerit Jehovah? hoc signum habebis, Quod fuerit loquutus Propheta ille in nomine Jehova, si non erit illud verbum, neq; evenerit, hoc illud est verbum, quod non elocutus est Jehova, superbé eloquutus illud est Propheta ille; ne timeto ab eo.* Sed non tenet hoc econtra, nempe si evenerit illud, quod Propheta aliquis prædixerit, Deum continuó per illum Prophetam locutum esse, aut verum esse illum Prophetam, & dignum qui audiatur. Nam illud ex superiori loco refelli potest. Præterea Apostolus Paulus 2. Thess. 2. 9. prædicit, Antichristum multa miracula facturum esse, & prodigia magna, non ut veram doctrinam confirmet, sed ut á ver[illegible] doctrina quamplurimos abducat. Sed hîc Bellarminus respondet, Antichristi miracula fore mendacia, hoc est, non vera & solida, sed apparentia. *Respondeo:* Si poterit Antichristus tantum facere, quantum illi volunt, hoc est, ut ignis é cœlo descendat, & ut statua loquatur, quemadmodum quondam á Satana factum esse legimus

apud Gentes, tum certé tam magna poterit miracula edere, quám illa ſunt, quæ inter Papiſtas eduntur. Quæ enim majora ab illis miracula facta ſunt unquam, aut fieri poſſunt? Nam curare claudum, & illuminare cæcum poſſe Satanam, concedit Bellarminus, ut nos antea diximus; hoc eſt, facere, ut qui claudus erat, ambulet, & qui cæcus erat, videat: ſi ergo illi hæc faciunt, poſſunt Satanæ arte ea efficere. Quanquam nos hîc nunc non loquimur de miraculis abſoluté, deque proprié dictis miraculis, & ſecundúm veritatem, quæ nec facilé fieri, nec á quovis agnoſci poſſunt; ſed de iis tantúm, quæ vulgó & communiter pro miraculis habentur; cujusmodi multa á Satana & Antichriſto fieri poſſe contendimus, unde non eſſe hujusmodi miraculis credendum apparet. Vulgus enim res videt, & intuetur, ſed cauſas rerum non exquirit, nec rimatur; atque ita mira omnia, miracula eſſe exiſtimat. Nec poſſunt certé Adverſarii nobis perſuadere, ſua miracula omnia vera & ſolida eſſe; quia præſtigiis & arte dæmonum fieri poſſunt. Et quidem Papiſmum hujusmodi miraculorum præſtigiis plenum eſſe quis ignorat?

Secundum noſtrum argumentum eſt hujusmodi. Non Antichriſtus modó, ſed & Ethnici miracula fecerunt: ergo miracula non ſunt nota veræ Eccleſiæ. Conſequentia non eget probatione. Antecedens veró probatur exemplo Veſpaſiani Imperatoris, qui cæco lumen, & claudo greſſum aliquando reddidiſſe perhibetur; ut teſtatur Cornelius Tacitus in lib. 4. hiſtoriæ ſuæ, atque item Suetonius. *Reſpondet* Bellarminus, nec cæcum veré, nec veré claudum á Veſpaſiano curatum eſſe; ſed Satanam in unius oculo, & alterius tibia inſidentem, impediiſſe ad tempus horum

rum membrorum uſum, idque eo fine, ut videretur ſanare, cúm deſineret nocere. *Reſpondeo:* me non valde improbare hanc adverſarii reſponſionem. Sed num cujusvis eſt, hoc ſcire? nónne ſi tale aliquid nuncá Papiſta aliquo fieret, pro miraculo continuó haberetur? Sed ſit ita, quemadmodum vult Adverſarius. Idem ego dico de illorum miraculis judicari poſſe. Si ergo aliquis inter Papiſtas, vel ex cæco fiat oculatus, vel gradiendi facultatem accepit, cúm antea eſſet claudus: fieri poteſt, ut dæmon in oculo vel tibia ejus inſederit, ut videretur ſanare, cúm deſineret nocere. Sed præterea Ælius Spartianus in vita Adriani ſcribit, fœminam quandam cæcam ab Adriano ſanatam eſſe, & virum quendam é Pannonia veniſſe natum cæcum, qui ſtatim poſtquam corpus Adriani mortuum contigiſſet, viſum recepit. Et hujusmodi ex hiſtoriis multa narrari poſſunt. Valerius Maximus lib. 8. cap. 1. de Veſtali quadam virgine mentionem facit, quæ aquam cribro hauſit. Et idem lib. 1. cap. 8. multa hujusmodi miracula commemorat. Livius in lib. de ſecundo bello Punico, de alia virgine ſcribit, nomine Claudiâ, quæ zonâ ſuâ navem, in qua mater deorum portabatur, ad littus attraxit, quæ nulla nec virorum nec boum vi attrahi potuit. Cicero in lib. 1. de divinatione auguris cujusdam mentionem facit, qui cotem novaculâ ſcidit. Ab Apuleio etiam quodam, & Apollonio Tyaneo, qui duo egregii magi fuerunt, de quibus Auguſtinus in Epiſt. 5. ſcribit, multa miracula edita fuiſſe narrantur. Quare ſi tantum miraculis tribuendum ſit, quantum Adverſarii volunt, tum apud Ethnicos vera Eccleſia erit; quia apud illos multa & magna miracula edita ſunt.

Tertium noſtrum argumentum ſumitur ex Patribus. Patres non putant in controverſiis de religione, miraculis fidendum eſſe, aut ex miraculis doctrinam judicandam eſſe: ergo miracula non ſunt nota veræ Eccleſiæ. Chryſoſtomus in homil. 23. in Johan. hac de re hæc verba habet: *Nónne & nunc quoq; ſignorum petitio, tentantium eſt? Sunt ſané & hac noſtra ætate qui quærant, quare & nunc ſigna non fiunt? Si fidelis es, ut oportet; ſi Chriſtum diligis, ut diligendus eſt; non indiges ſignis. Signa enim incredulis dantur.* Ex quibus verbis duo colligo. *Primum* eſt, tempore Chryſoſtomi miracula deſiiſſe. *Secundum* eſt, miracula non eſſe hodie requirenda; & eos eſſe infideles, qui requirunt. Theophylact. in comment. in Luc. 9. verſ. 2. hæc verba habet: πολλοὶ γὰρ πολλάκις θαύματα ἐποίησαν διὰ δαιμόνων, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ τῷ κήρυγμα αὐτῶν ὑγιὲς, διὸ οὐδὲ τὰ θαύματα αὐτῶν ἐκ θεοῦ. *Multi enim ſæpenumero miracula per dæmones fecerunt, at illorum prædicatio ſana non fuit, quare neq; miracula eorum ex Deo fuerunt.* Ex quo conſtat, ſanam doctrinam non eſſe perpetuó cum facultate edendi miracula conjunctam. Auguſtinus in lib. de unitate Eccleſiæ cap. 16. hac de re in hunc modum ſcribit. *Non dicat* (inquit) *ideo verum eſſe, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius; aut quia homines ad memorias mortuorum noſtrorum orant & exaudiuntur; aut quia illa & illa ibi contingunt; aut quia ille frater noſter, aut illa ſoror noſtra tale viſum vigilans vidit, vel tale viſum dormiens ſomniavit.* Ratio ſequitur: *Removeantur iſta* (inquit) *vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpirituum. Aut enim non ſunt vera, quæ dicuntur; aut ſi hæreticorum aliqua mira facta ſunt, magis cavere debemus; quód cúm dixiſſet Dominus, quosdam futuros eſſe fallaces, qui nonnulla ſigna faciendo, etiam electos,*

ctos, si fieri posset, fallerent, adjecit vehementer commendans, & ait, Ecce prædixi vobis. Idem in lib. 10. de civitate Dei, cap. 16. ait, si angeli aliqui sacrificia sibi petant fieri, & adhibuerint signa, ac é diverso alii angeli testentur, uni Deo sacrificandum, & nullum signum adhibuerint, his, non illis, credere oportere. Verba Augustini hæc sunt: *Si tantúm hi mirabilibus factis humanas animas permoverent, qui sacrificia sibi expetunt: illi autem, qui hoc prohibent, & uni tantúm Deo sacrificari jubent, nequaquam ista visibilia miracula facere dignarentur; profectó non sensu corporis, sed ratione mentis præponenda eorum esset authoritas.* Idem etiam in tractat. 13. in Evangel. secundúm Johan. hæc verba habet: *Contra istos (ut sic loquar) mirabiliarios* (ita enim appellat eos, qui miracula venditant) *cautum me fecit Deus meus dicens, In novissimis diebus exurgent Pseudoprophetæ, facientes signa & portenta, ut in errorem inducant, si fieri possit, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Ergo cautos nos fecit sponsus, quia & miraculis decipi non debemus.* Et multa præterea alia in hanc sententiam adjungit. Sed de hoc loco Bellarminus respondet, Augustinum loquitantúm contra occultas quasdam visiones Donatistarum, quas illi sine ullo teste jactabant se vidisse, & interim miracula Ecclesiæ Catholicæ contemnebant. *Respondeo:* Miseram hanc esse responsionem. Etsi enim contra Donatistas eo in loco disputat Augustinus: tamen manifestum est, eum non contra illos tantúm, sed communiter loqui, & communi argumento uti. Sententia enim illa Christi, quam affert ex Scripturis, qua prædicit Christus, Pseudoprophetas miracula edituros esse, generalis est, & ad omnes Pseudoprophetas atque hæreticos pertinet. Præterea idem Augustinus in loco illo,

quem pauló anté citavimus, qui habetur in lib. de unitate Ecclesię, cap. 16. clarissimam sententiam subjungit. *Quæcunq;* (inquit) *talia in* Ecclesia *Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in* Ecclesia *Catholica fiunt, non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt.* Ergo manifesté affirmat Augustinus, miracula non indicare Ecclesiam. Sed objicit Bellarminus, tum Augustinum secum pugnare, & sibi contrarium esse. Nam in lib. contra Epist. Fundamenti cap. 4. & 5. ait, Ecclesiam demonstrari ex miraculis, non ex Scripturis. *Respondeo* 1. hoc falsum esse, quod ait, Augustinum dicere, Ecclesiam ex miraculis demonstrari, non ex Scripturis. Nihil enim tale in illo loco habetur. 2. *Respondeo:* Augustinũ loqui eo in loco non de novis, sed de antiquis miraculis, quæ Ecclesiæ primúm fidem conciliabant, quemadmodum ex ipsius verbis patet. Sic enim ait: *Tenet me authoritas miraculis inchoata.* 3. *Respondeo:* Augustinum vel his quidem miraculis parum tribuere; qui ait, hæc tantúm ut probabilia se in Ecclesia tenuisse, non ut necessaria & firma. Itaq; ne his quidem miraculis nimium fidendum esse docet; quia se illis non tanquam firmis argumentis, sed tanquam probabilibus tantúm niti ait. Subjungit enim eodem in loco; si Manichæi possent veritatem ex Scripturis demonstrare, se velle, missis miraculis, & reliquis illis, quibus eo in loco utitur, causæ suæ præsidiis, ad illorum partes primo quoquo tempore transire. *Aliud* ejusdem Augustini testimonium habetur in lib. 13. contra Faustum Manichæum, cap. 5. ubi Manichæos in hunc modum alloquitur: *Miracula non facitis* (inquit) *quæ tamen si faceretis, etiam ipsis in vobis caveremus, per instruentem nos Dominum, & dicentem, Exurgent multi pseudochristi, & pseudoprophetæ, &*

facient

facient signa, & prodigia multa, ut fallant, si fieri possit, etiam electos. Nicolaus Lyranus in glossa sua in Danielis cap. 14. hæc verba habet: *Aliquando fit in Ecclesia maxima deceptio populi in miraculis fictis á Sacerdotibus, vel eis adhærentibus propter lucrum temporale, & talia scilicet sunt extirpanda á bonis prælatis, sicut ista miracula extirpata sunt á Daniele*, quæ nimirum á Belis & Draconis Sacerdotibus fieri videbantur. Quare nos illud meritó contra hujusmodi miracula pronunciemus, quod Propheta Jeremias habet cap. 23. vers. 31. 32. cujus quidem verbis hunc totum locum concludemus. *Ecce me contra Prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, Qui narraverunt ea, & seduxerunt populum meum in mendacio suo, & in miraculis suis; cúm ego non misissem eos, nec mandassem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus.* Atq; hæc de hac nota dixisse sufficiat. Nunc ad aliam transeamus.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

In quo duodecima Ecclesiæ nota á Bellarmino propósita exagitatur.

PRætervecti sumus undecim Papistarum notas: nunc ad finem harum macularum properamus. Hactenus enim non ornavit, sed maculavit potiús Ecclesiam suam Bellarminus. Duodecimam notam facit lumen Propheticum. In hac veró nota tractanda duo agit. *Primó*, docet hanc esse notam. *Secundó*, hinc Ecclesiam suam veram esse probat. Quod ad primum attinet, illud ex Scripturis confirmat. Et primó affert illud quod habetur Joël. 2. v. 28. 29. quod testimonium repetit Petrus Act. 2. v. 17. 18. 19.

Effundam Spiritum meum in omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Et in servos meos & in ancillas meas in diebus illis effundam ex Spiritu meo, & prophetabunt. His verbis ait promissum esse Ecclesiæ donum prophetiæ. Tum affert Isai. 41. 23. *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos.* Hinc vult probare, neminem cognoscere futura contingentia excepto Deo, ac proinde maximum esse hoc Prophetiæ donum. Postea ex Deuter. 18. docet, ex contrario falsos Prophetas agnoscendos esse, si nimirum aliquid prædixerint, quod non evenerit. *Respondeo* 1. Fateor hoc quidem esse DEI donum longé maximum. Nam revera solus DEUS potest futura contingentia cognoscere & prædicere, qui omnia videt, & cui omnia adsunt. Ille solus potuit Cyrum & Josiam nominare, multis annis antequam nati sunt, & in vivis fuerunt. Ille solus mundi finem novit. Ille solus amplissima illa regna atque imperia prævidit, de quibus in Daniele legimus cap. 7. & quo ordine futura essent singula, solus prædicere potuit. Per hoc lumen Propheticum prædixit Jacobus filiis suis, quis futurus esset singulorum status, quæ posterorum conditio. Denique solus Deus potest incredibiles illas rerum mutationes prævidere & prædicere, quæ in mundo solent evenire. Nos hæc omnia libenter concedimus. 2. *Respondeo:* hoc donum Propheticum non esse in Ecclesia perpetuum, sed fuisse tantúm peculiare primordiis Ecclesiæ. Nam quod ad locum Joëlis attinet, non describit ibi Propheta perpetuum Ecclesiæ statum, sed eum tantúm qui futurus erat tempore Apostolorum, & Ecclesiæ primitivæ, quo quidem tempore extraordinaria

dinaria illa Spiritus sancti dona necessaria erant. At nos perpetuas Ecclesiæ notas quærimus. Non licet veró sic argumentari: Ecclesia in principio habuit hoc donum: ergo semper habet. Non sequitur omnino hoc argumentũ. Nam in illis Ecclesiæ primordiis variis linguis locuti sunt Apostoli: at nunc nullum tale donum in Ecclesia cernitur. Sic igitur concludo contra Adversarium: Fuit hoc donum peculiare, non perpetuum: ergo non est nota Ecclesiæ. Si enim hæc Ecclesiæ nota sit, tum vetus Ecclesia Judæorum non fuit Ecclesia, quia caruit hoc dono, de quo Joël loquitur. Nam fuit hoc Ecclesiæ proprium sub Christo. Si dixerit, se loqui de notis tantúm Ecclesiæ Christianæ sub novo Testamento; *Respondeo* 1: nos eas notas quærere, quæ ad Ecclesiam omnium temporum, ac proinde non minús ad illam sub vetere Testamento, quám ad hanc sub novo pertinét. 2. *Resp.* lumen Propheticũ fuisse in illa quoq; vetere Ecclesia; at hic locus Joëlis de statu tantúm Ecclesiæ in novo Testamento intelligendus est: ergo hic locus non probat lumen Propheticum esse notam Ecclesiæ. 3. *Respondeo*: Si posset ex hoc loco concludi, illam esse veram Ecclesiam, quæ hoc donum habet, quemadmodum aliquo modo potest, si Ecclesiæ primordia respiciamus: tamen ex eo non sequitur, Ecclesiam Papisticam esse veram Ecclesiam; quia Ecclesia, quæ nunc est, hoc extraordinarium donum non habet. Jam ergo de sua Ecclesia verba facit, & hinc illam esse veram Ecclesiam probat.

Illud veró tali argumento evincit: Apud Ethnicos & hæreticos nulla fuerunt vera vaticinia: at Ecclesia Romana habuit veras Prophetas, etiã Monachos, ac Romano Pontifici addictos: ergo solà Ecclesia Ro-

mana vera Ecclesia est. *Respondeo* 1. de consequentiæ negandam esse. Non enim sequitur hoc argumentum, Fuerunt inter Papistas aliqui, qui Prophetæ fuerunt, quique futura prædicere potuerunt: ergo tota religio Papistica, totaque illius Ecclesiæ doctrina vera est. 2. Quod ad antecedens attinet, constat illud quidem ex duabus partibus. Quarum *prima* est, Ethnicos & hæreticos non habere veros Prophetas: *Secunda* est, Papisticam Ecclesiam habère. Quod ad priorem partem attinet, *respondeo*: & Ethnicos & hæreticos posse vera vaticinia habere. Nam aliquando Deus Diabolo & falsis magistris arcana sua communicat & revelat. Et tamen si non haberent, argumentum non sequeretur. Nulli sunt inter Ethnicos & hæreticos Prophetæ: ergo illorum religio falsa est. Quod ad posteriorem partem spectat, *respondeo*: Papistas non habere veros Prophetas. Proferant enim nobis hodie unum, si possunt, qui quid in posterum eventurum sit, possit prædicere. Quanquam si hoc possent, non tamen statim illis credendum esset; quia dæmones idem facere possunt; quod Bellarminus ipse concedit. De Luthero veró quod subjungit, illum habitum esse Prophetam Germanicum, & Heliam, & falsa quædam prædixisse. *Respondeo* 1: nullam fidem adhibendam esse Cochlæo, homini mendacissimo, nec aliquam habendam esse illius rationem. Fuit enim ille homo nullius plané fidei. 2. *Respondeo*: Etsi non fuit Lutherus Propheta talis, quales veteres Prophetę fuerunt: tamen fieri potuit, ut Deus illi nonnulla extra ordinem revelaverit, & ut ille quędam, hoc modo revelata, futura prędixerit. Melanchthon hujusmodi quiddam de illo narrat. Cúm essent comitia Augustę Vindelicorum, & iis inter-

interesset Carolus Imperator: Lutherus domi suæ remansit,& in precibus assiduus fuit. Tandem subitó é cubiculo prorupit lætus,& clara voce sæpius clamavit, Vicimus. Cognitum veró est,eâdem horâ decretum exiisse á Cæsare, quo sancitum est, ne quis propter doctrinæ Lutheranæ professionem damni aliquid pateretur. Sed nos ista non urgemus, neque istis valde confidimus. Nec enim Lutherus ideo verum docuit,quia futurum aliquid prædixit,si prædixit:nec falsum,si nihil futurum prędixit. Alia enim præterea veritatis indicia sunt. De Husso veró legimus,illum,cúm moreretur,hæc verba effudisse,*Centum revolutis annis,Deo respondebitis,& mihi,* quod eventus ipse verum esse declaravit. Joannes etiam Knoxus Scotus, fuit spiritu Prophetico & Apostolico prædituș,ut Scoti omnes testantur, & uno feré ore affirmant. Jam veró deinceps ad secundam partem accedit Bellarminus, & Monachos quosdam recenset,quos ait veros Prophetas fuisse, & futura prædixisse, Benedictum,Bernardum,Franciscum. *Respondeo* 1: hæc prorsus incerta esse,quæ ab illo de his Monachis commemorantur. Non constat vera esse omnia,quæ de illis scripta sunt. Homines ad credendũ mendaciis nimis faciles esse solent. 2. Si essent vel maximé enucleata illorũ vaticinia:tamen nõ sufficerent ad fidẽ confirmandã. Et mirum quidẽ est, Bellarminũ tam ineptũ esse,ut ex quibusdã prędictionibus Propheticis religionẽ suam verã esse persuadeat.

NUNC argumenta nostra contra hanc notam breviter proponam.

Primum argumentum sic instituo: Vaticiniis nihil amplius, quám miraculis est tribuendum :at miracula non sunt satis valida ad veram fidem,veramq;

mana vera Ecclesia est. *Respondeo* 1. de consequentia: negandam esse. Non enim sequitur hoc argumentum, Fuerunt inter Papistas aliqui, qui Prophetæ fuerunt, quique futura prædicere potuerunt: ergo tota religio Papistica, totaque illius Ecclesiæ doctrina vera est. 2. Quod ad antecedens attinet, constat illud quidem ex duabus partibus. Quarum *prima* est, Ethnicos & hæreticos non habere veros Prophetas: *Secunda* est, Papisticam Ecclesiam habere. Quod ad priorem partem attinet, *respondeo*: & Ethnicos & hæreticos posse vera vaticinia habere. Nam aliquando Deus Diabolo & falsis magistris arcana sua communicat & revelat. Et tamen si non haberent, argumentum non sequeretur. Nulli sunt inter Ethnicos & hæreticos Prophetæ: ergo illorum religio falsa est. Quod ad posteriorem partem spectat, *respondeo*: Papistas non habere veros Prophetas. Proferant enim nobis hodie unum, si possunt, qui quid in posterum eventurum sit, possit prædicere. Quanquam si hoc possent, non tamen statim illis credendum esset; quia dæmones idem facere possunt; quod Bellarminus ipse concedit. De Luthero veró quod subjungit, illum habitum esse Prophetam Germanicum, & Heliam, & falsa quædam prædixisse. *Respondeo* 1: nullam fidem adhibendam esse Cochlæo, homini mendaciissimo, nec aliquam habendam esse illius rationem. Fuit enim ille homo nullius plané fidei. 2. *Respondeo*: Etsi non fuit Lutherus Propheta talis, quales veteres Prophetę fuerunt: tamen fieri potuit, ut Deus illi nonnulla extra ordinem revelaverit, & ut ille quędam, hoc modo revelata, futura prędixerit. Melanchthon hujusmodi quiddam de illo narrat. Cúm essent comitia Augustę Vindelicorum, & iis inter-

intereſſet Carolus Imperator: Lutherus domi ſuæ remanſit,& in precibus aſſiduus fuit. Tandem ſubitó é cubiculo prorupit lætus,& clara voce ſæpius clamavit, Vicimus. Cognitum veró eſt,eâdem horâ decretum exiiſſe á Cæſare, quo ſancitum eſt, ne quis propter doctrinæ Lutheranæ profeſſionem damni aliquid pateretur. Sed nos iſta non urgemus, neque iſtis valde confidimus. Nec enim Lutherus ideo verum docuit,quia futurum aliquid prædixit,ſi prædixit:nec falſum,ſi nihil futurum prędixit. Alia enim præterea veritatis indicia ſunt. De Huſſo veró legimus,illum,cúm moreretur,hæc verba effudiſſe,*Centum revolutis annis,Deo reſpondebitis,& mihi,* quod eventus ipſe verum eſſe declaravit. Joannes etiam Knoxus Scotus, fuit ſpiritu Prophetico & Apoſtolico prædítus,ut Scoti omnes teſtantur, & uno feré ore affirmant. Jam veró deinceps ad ſecundam partem accedit Bellarminus, & Monachos quosdam recenſet,quos ait veros Prophetas fuiſſe, & futura prædixiſſe, Benedictum,Bernardum,Franciſcum. *Reſpondeo* 1: hæc prorſus incerta eſſe,quæ ab illo de his Monachis commemorantur. Non conſtat vera eſſe omnia,quæ de illis ſcripta ſunt. Homines ad credendũ mendaciis nimis faciles eſſe ſolent. 2. Si eſſent vel maximé enucleata illorũ vaticinia:tamen nõ ſufficerent ad fidẽ confirmandã. Et mirum quidẽ eſt, Bellarminũ tam ineptũ eſſe,ut ex quibusdã prędictionibus Propheticis religionẽ ſuam verã eſſe perſuadeat.

NUNC argumenta noſtra contra hanc notam breviter proponam.

Primum argumentum ſic inſtituo: Vaticiniis nihil amplius, quám miraculis eſt tribuendum :at miracula non ſunt ſatis valida ad veram fidem,veramq;

Ecclesiam demonstrandam: ergo nec vaticinia. Major patet, quia vaticinia sunt miracula quædam: itaque non plus illis quám his tribuendum est. Quod ad minorem veró attinet, docuimus nos suprá, falsos Doctores miracula edere posse. Quidni ergò possunt etiam iidem vera quædam prædicere?

Secundum nostrum argumentum est hujusmodi: Pseudoprophetæ, hæretici & Ethnici suis veris vaticiniis non caruerunt; quod ego magis urgeo, quia negat Bellarminus: ergo vaticinia non sunt certa nota Ecclesiæ. Consequens non aliquâ eget probatione. Nam si hæretici, & Pseudoprophetæ, addo etiam & Ethnici, vaticinia edere possunt, & vera quædam prædicere: constat, non esse illos omnes continuó veros Doctores, qui vaticinia edunt. Sine veris autem Doctoribus, Ecclesia vera esse non potest. Sequitur ergo, non esse continuó veram Ecclesiam apud eos, qui vaticinia edunt. Antecedens probo primó ratione, deinde testimoniis. Ratione sic: Dæmones interdum sciunt, quid futurum est: ergo possunt idem scire & pseudoprophetæ. Consequentia patet, quia inter dæmones & pseudoprophetas societas quædam & necessitudo intercedit, adeó ut dæmones illis possint ea omnia indicare, quæ ad regnũ suum stabiliendum faciunt. Ad antecedens veró quod attinet, non ex se quidem sciunt dæmones futura; nam sunt creaturæ; quarum præscientia non alia est, quám quæ ex causis in natura oritur. Quæ ergo sint simpliciter contingentia, præscire non possunt, nec prædicere. Sed si Deus illis hæc indicaverit, tum possunt: quod factum esse aliquando constat. Nam Sauli mortem Diabolus prædixit, & ejus item filiis, 1. Sam. 28. 19. idque veré quidem, quemadmodum

dum constat ex 1. Sam. c. ult. Quomodo hoc tam certó prædicere potuit, nisi illi Deus antea revelâsset? Simile illud est, quod de Achabo legimus 1. Reg. c. ul. Novit dæmon Achabum in prælio moriturum, ex eo quod illi Deus dixerat, *Ibis, & prævalebis*: potuit ergo Achabi interitum prædicere. Præterea novit dæmon, quid ipse in animo haberet contra Jobum, & quid de Jobo futurum esset, intellexit: quia dedit ei Deus copiam exercendi suam malitiam in Jobum: ergo potuit hoc aliis indicare. Sic Deut. 13. in principio legimus: Si pseudopropheta quispiam aliquid futurum prædixerit, & illud evenerit: non tamen ei credendum; quia tum Deus tentat populum suum. Ita quando Deus Cyrum & Josiam suis nominibus, multis annis antequam in vivis fuerunt, appellavit: potuit dæmon hoc præcognoscere, & aliis prædicere, & hoc pro oraculo haberi potuit apud eos, qui Scripturas ignorabant. Hinc colligo, dæmones plura scire, quàm homines, & Deum illis nonnunquam quid futurum sit, revelare. Et sic argumentum sequitur certa ratione. Jam quod ratione probavi, idē testimoniis demonstrabo. Balaam fuit pseudopropheta, quemadmodum constat ex Num. 22. & 23. & ex Apocalyp. 2. 14. & tamen ille vera multa prædixit, & vaticinatus est, sicut patet Num. 23. & 24. Quis hinc illum bonum Prophetam fuisse colliget, aut illam hominum multitudinem veram Dei Ecclesiam fuisse, quæ hujusmodi prophetam habuit? Sic 1. Reg. 13. senex ille propheta, qui Samarię habitavit, etsi vera multa prædixit, tamen falsum docuit, quando dixit prophetæ illi, qui contra altare Jeroboami clamavit, Angelum sibi dixisse, ut illum reduceret, vers. 18. Tum ei mentitus est. Possunt ergo aliqui Dei ver-

bum ementiri, qui tamen donum vaticinandi habēt. Quod ex Act. 21. 4. 11. & 12. magis adhuc constare potest; ubi legimus quosdam veros Prophetas conatos esse Paulum ab instituto proficiscendi Hierosolymam abducere. Qua quidem de re aliter affirmabant, quám aut veritas postulabat, aut illi in mandatis acceperant. Nam si illud Spiritus sanctus præcepisset, Paulus procul dubio nunquam Hierosolymā profectus fuisset. Quód veró Paulum multa Hierosolymis passurum esse prædixerunt, si illuc proficisceretur: verum id quidem fuit, at non fuisse illi propterea eundum, non sequebatur. Nam si hoc Spiritus sanctus præcepisset, Paulus continuó acquievisset. Jam veró quid ego de Cajapha dicam, quem ipsi Adversarii Prophetam fuisse ajunt, & tamen ille Christo inimicus fuit, ut constat Joan. 11? Et Saul cúm inter Prophetas versaretur, nónne spiritu Prophetico præditus est? Scripturæ illud manifestè testantur. Deinde in Ecclesia hæretici prophetias jactabant, nulli magis. Sic Montanus olim cum sua Prisca & Maximilla. Et hodie sunt Papistæ tales. Jam quid ego de Ethnicis loquar, quorum oracula crebra, & nota fuerunt? Sed de Ethnicorum oraculis respondet Adversarius, Pythii Apollinis oracula vel λοξὰ fuisse, hoc est, *tortuosa, obscura, incerta, ambigua*, quando scilicet Apollo non sciebat reverâ quid esset futurum: vel ejusmodi, quæ dæmones ipsi facturi erant: vel ea quæ cœpta erant fieri: vel denique quæ causas naturales habebant nobis ignotas, illis veró notas, propter majorem naturæ subtilitatem. Verúm *resp.* 1: Etsi ejusmodi tantúm & non alia fuissent Ethnicorum oracula, quám hæc sunt, quæ á Bellarmino commemorantur: tamen ad homines fallendos,

dos,& in errorem inducendos,sufficerent. 2.*Resp.* Papistarum nō meliora oracula aut vaticinia esse,quod ego sciam. Nam quod Apollo Pythius legato Crœsi dixit,quid faceret in Lydia Crœsus, etsi hoc á dæmone factum est, tamen satis fuit ad fidem oraculo illi conciliandam. Sic prædicta á quodam fuit eversio templi Serapis, quemadmodum narrat Augustinus in lib.de divinat.dæmon. cap. 1. Nulla Adversariorū vaticinia his certiora aut enucleatiora esse possunt. Si quisquam inter Papistas alicui longo intervallo ab amico suo remoto indicaret, quid amicus ejus in longinqua regione gereret, nónne ille pro insigni propheta continuó haberetur ? 3.*Resp.* non fuisse omnia Ethnicorum oracula hujusmodi. Quædam enim vera vaticinia erant sine hujusmodi præstigiis,ut non nisi divina revelatione patefacta fuisse videantur. Nam Dæmones á Deo,ab angelis, á Prophetis veris,multa discere & cognoscere potuerunt. De Sibyllis Adversarii concedunt, fuisse illarum vera vaticinia, quæ tamen Ethnicæ erant , & inter Ethnicos vivebāt. Quis apud Ethnicos fuisse Ecclesiā dixerit,propter Sibyllas ? Libri Sibyllini á Romanis servati & consulti,vaticiniis pleni fuerunt. De Sibyllis Lactantius, Augustinus, Hieronymus, Justinus Martyr,multa scribunt. Bruto Romano Pythius Apollo dominatum prænunciavit, si matrem deoscularetur. Athenienſib. victoria ab eodē prænūciata & promissa fuit,si illorū Princeps in bello caderet. Fuit hoc simpliciter cōtingens , & ex nulla causa naturali sciri potuit. Sūt hujusmodi in Ethnicorū libris infinita, quib. Chrysippus libros suos refersit, ut scribit Cicer. in lib. 2. de div. Sine dubio dæmones illis vatib. narrārūt,quę ipsi á Deo didicerāt. Postremó quid de

Apollonio Tyaneo dicam, quem multa prædixisse Philostratus in ejus vita narrat. Augustin. in lib. 4. de Trin. c. 17. hæc verba habet: *Potestates aëreæ, superbæ atq; fallaces, etiamsi quædam de societate & civitate sanctorum, & de vero Mediatore, á sanctis Prophetis vel angelis audita, per vates suos dixisse reperiuntur: id egerunt, ut per hæc aliena vera, etiam fideles Dei, si possent, ad sua falsa traducerent.* Hæc Augustinus. Ex quibus verbis tria colligo. *Primó*, dæmones á Prophetis vel angelis multa didicisse. *Secundó*, eadem hæc suis vatibus narrare & significare. *Tertió*, id facere illos, ad homines fallendos, & in errorem ducendos. Ergo hujusmodi vaticiniis fidendum non est. Idem Augustin. in lib. de divin. dæmon. c. 6. ait, dæmones vera multa prænunciare, quæ audiverunt ab angelis aut Prophetis; & addit, hoc haud indigné ferendum esse, quód etiam dæmones talia quædam audiant & prædicant. Verba Augustini hæc sunt: *Neq; illud indignanter accipiatur, quód talia dæmones audiant & prædicant, quasi aliquid indignum sit, ut quod ideo dicitur, ut hominibus innotescat, hoc non solúm boni, verumetiam mali non taceant, cúm in ipsis hominibus, etiam vitæ bonæ præcepta videamus pariter á justis perversisq; cantari.* Innuit eo in loco Augustinus, dæmones in nonnullis, quæ ipsi vel ab angelis vel á Prophetis audita prænunciant, neq; fallere, neque falli. Sic idem in expositione inchoata in Epist. ad Rom. fuisse ait Prophetas aliquos inter Gentes, in quibus aliqua inveniuntur, quæ de Christo audita cecinerunt. Hieron. in com. in Tit. 1. ait, Epimenidem scripsisse librum de oraculis atq; responsis, in quo multa futura prædicebantur, eumq; á Paulo lectum esse, & hinc sumtum esse versum illum, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. Chrysost. in homil. 19. in ope-

re

re imperfecto in Matth. sic scribit: *Concessum autem est Diabolo interdum vera dicere, ut mendacium suum rarâ veritate commendet. Si enim nunquam verum diceret, nec ad tentationem poterat sufficere seductio ejus.* De Balaam verò Glossa ordinaria ait in Num. 22. quòd divinus fuerit, dæmonumq; ministerio futura multa prænoverit, & ait præterea, posse dæmones á Deo permissos, aliquas veritates incognitas nobis revelare. Thomas Aquinas in secunda secundæ, quæst. 172. artic. 6. probat hoc quod dicimus, exemplo Balaam & Sibyllarum; & ait, prophetas falsos dæmonum, vera prædicere; aliquando ex dæmonum revelatione, aliquando ex divina inspiratione, atque hoc confirmat ex Augustino in lib. 12. de Genesi ad literam, cap. 19. Et de hac nota hactenus.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

In quo de decimatertia nota Bellarminiana agitur.

DEcimamtertiam Ecclesiæ notam, statuit Bellarminus, Adversariorum confessionem. Firmum certé sit necesse est argumentum illud, quod hinc sumitur. Ex hac igitur nota, procul dubio, aliquid concludet. Efficax enim erit Adversariorum ipsorum contra ipsos testimonium, cúm ea quæ nos tenemus, ab ipsis confirmantur, etiamsi nos nihil dicamus. Et quidem fateor, interdum veritatem etiam é suis inimicis testimonium extorquere. Verissimum enim est, quod Moses ait Deut. 32. 31. *Non est Deus noster, ut dii eorum; inimici nostri judices sint.* Quorum verborum hic sensus est, sic velle Deum populo suo perpetuó adesse, ut hostes etiam ipsi cogantur fateri, Deum Israëliticum diis suis omnibus longé potentiorem esse. Tantam ergo esse veritatis vim vide-

mus, ut etiam Adversarios cogat interdum ei testimonium dare. Hîc veró duo facit Adversarius. *Primó* ait, Catholicos nusquam laudâsse, aut approbâsse, doctrinam, aut vitam ullorum Ethnicorum, aut hæreticorum. *Secundó* probat, Ethnicos, Judæos, Turcas, hæreticos, ipsorum tum vitam tum doctrinam laudâsse. *Respondeo* de primo dupliciter: *Primó* ajo, nos minimé laborare, quid Adversarii de nobis sentiant. Quos illi laudent aut approbent, non multum refert. Non enim continuó laudabilis est, quem homines laudant; sed ii demum veré laudabiles sunt, quos Deus laudat. Unde veré scribitur 2. Cor. 10. 17. 18. *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, is probatus est, sed is quem Dominus commendat.* Papistæ partim superbiâ, partim invidiâ, nos nõ laudant. Volunt enim ipsi soli aliqui esse, ac propterea nobis invident, & irascuntur, nosq; infensissimé oderunt. Quare non possunt aliter facere, quin nobis detrahant & maledicant. Nihil nobis relinquunt, ne scientiam quidem, doctrinam, aut artes ipsas. Nos illis ecõtra nec irascimur, nec invidemus; sed damus illis artes, damus scientiam, damus multiplicem lectionem, & quicquid volunt, præter veritatem: hâc illis nullo modo possumus concedere. Illi de nobis nihil rectè aut loqui, aut cogitare quidem possunt; quod illorum egregiam malitiam indicat. *Secundó respondeo*: falsum esse, quod ait, Catholicos nusquam inveniri, qui nos laudaverint. Nam ex illis etiam nonnulli laudârunt & approbârunt tum vitam, tum doctrinam nostrorum hominum. Erasmus in Epistola quadam ad Thomam Cardinalem Eboracensem, quæ habetur in lib. 11. Epist. in initio, & in alia Epistola ad Fridericum Ducem Saxoniæ,

xoniæ, & laudat ſummopere Lutherum, & ejus vitam ab omnibus probatam fuiſſe teſtatur. Sed forſan reſpondebunt, Eraſmum non fuiſſe Catholicum. At Epiſcopus Roffenſis, quem Catholicum fuiſſe negare non audent, in Epiſtola quadam ad Eraſmum, Lutheri doctrinam mirificé laudat, & ait ſe, cupere illum convenire, ſi poſſet commodé, ut nonnulla ex eo quæreret, quæ ipſum malé habebant; & addit, fuiſſe Scripturarum ad miraculum uſque peritum. Optat modó, ut de Papa tacuiſſet. Idem Roffenſis in libro quem ſcripſit contra OEcolampadium de Euchariſtia, illum ſuum Adverſarium ubique feré laudat, & cogitur fateri, eum tum doctum, tum pium virum fuiſſe. Multa de noſtrorum hominum laudibus prædicâſſe Papiſtas poſſem oſtendere, ſi laudes aucuparemur. Sed illas miſſas facimus. Cúm enim doctrina noſtra, ſit CHRISTI, Prophetarum, & Apoſtolorum teſtimonio confirmata; nullam Papiſtarũ & Antichriſti laudationem deſideramus; imó ut nos illi vituperent potiús, quám laudét, cupimus.

Jam ſecundo loco probat Adverſarius, Catholicis multa teſtimonia dari ab Ethnicis, Judæis, Turcis, hęreticis. Quod de ſingulis ordine oſtendit, & primó quidem de Ethnicis. Ethnicorum veró multa teſtimonia citat. *Primum* teſtimonium eſt Plinii ſecundi in Epiſtola quadam ad Trajanũ Imperatorem, quæ habetur in lib. 10. Epiſtolarum; ubi ait Plinius, Chriſtianos omnia vitia deteſtari, ſanctiſſimeq; vivere, & hoc ſolum in eis poſſe reprehendi, quód nimis facilé pro Deo ſuo vitã profunderent, & quód horis antelucanis ad laudes Chriſto canendas ſurgerẽt, & quód injuriarum nimis patientes eſſent. *Secundo* loco

Tertullianum citat in Apologet. cap. 1. & 2. qui ait, Paganos noluisse causas Christianorum in suis foris discuti, sed damnari sine discussione; quia sciebant se in illis nihil mali reperturos. Et idem cap. 5. & 6. ejusdem libri ait, Imperatores optimos inter Paganos faviſſe Christianis; qui veró eos persecuti sunt, habitos fuisse pessimos, etiam ab ipsis Gentilibus. Præterea extat Epistola quædam Marci Aurelii Imperatoris, de victoria quam per Christianos in Germania Romani consecuti sunt, cujus Epistolæ meminit Tertullianus in Apologet. cap. 5. & in lib. ad Scapulam, & habetur hæc eadem Epistola in fine operum Justini Martyris. Addit deinceps Bellarminus, Antonium, Hilarionem, & Martinum, Monachos, in summo honore apud Ethnicos fuisse; ut patet ex iis, qui illorum vitas scripserunt, Athanasio scilicet, Hieronymo & Sulpitio. Postea venit ad Judæos, & ait, Josephum in lib. 18. antiquit. cap. 6. affirmare, Christum plus quám hominem fuisse, & ipsum fuisse verum Messiam: Philonem etiam Judæum, de laudibus quorundam Christianorum, qui sub Marco Evangelista in Ægypto vivebant, insignem quendam librum scripsisse. Deinde ad Turcas accedit; & ait Mahumetem in Alcorano c. 2. docere, Christianos salvari, & cap. 4. Christum maximum Prophetarum fuisse, & ipsam Dei animam habuisse; & Bonaventuram testari, Franciscum apud Sultanum Ægypti, licét Mahumetanum, in summo honore ac reverentia habitum fuisse, quem tamen sciebat Christianum & Catholicum esse. Ad hæc *respondeo*: Papistas, & illorum novos Monachos, non esse veteribus Christianis similes. Veteres enim Christiani tales fuerunt, quales Plinius & Tertullianus memorant: hi

hi veró nullo modo cum illis comparandi sunt. Illi ejusmodi fuerunt, ut vel hostes ipsi Christiani nominis non potuerint aliter facere, quin illos laudarent. De Papistis veró, & illorum, quos hodie habẽt, Monachis, nihil tale dici potest. Nam si Plinius jam revivisceret, & videret illam vitæ turpitudinem, quæ passim inter Papistas reperiri potest; nihil inveniret, quod magnopere laudandum putaret. Ita si nunc Monachos spectamus, non tales sunt, quales olim Antonius, Hilarion, Martinus fuerunt; imó nec fide nec vitâ illis similes sunt. Qui illos in summo precio habuerunt, hos in nullo numero haberent. Imó nũc & Pagani, & Turcæ, & Judæi, á Christi fide deterrentur, & á religione Christiana abhorrent, partim propter absurda quædam dogmata, quæ á Papistis tenẽtur, partim propter improbos illorum mores, vitamque turpissimam. Postremo loco ad hæreticos accedit, & hîc Lutheri, Melanchthonis, & Calvini confessione, suam Ecclesiam conatur comprobare. Quid illi, quæso, pro Papistis dicunt? Lutherus (inquit) in libro contra Anabaptistas, ait, in Papatu esse plurimum boni Christiani, imó omne bonum Christianum, Scripturam, Baptismum, Sacramentum altaris, claves, prædicandi officium, Catechismum, insuper veram Christianitatem, imó verum nucleum Christianitatis. Si nobis nucleum tribuit (inquit Bellarminus) certé sibi nihil servat, nisi corticem, vel putamina. *Respondeo*: considerandum esse, contra quos agat Lutherus in eo libro, & cum quibus rem habeat, atq; etiam qua de re loquatur. Agit veró cõtra Anabaptistas, qui rebaptizari voluerunt omnes, qui á Papistis baptizati fuerant, quia verum apud illos Baptisma non fuerit. Unde coactus est in illo

certamine honorificentiús pauló de Ecclesia Papistica loqui. Ergo eis aliquid quidem & multum tribuit, qui omne bonum Christianum, imó nucleum ipsum Christianitatis apud illos esse concedit. Sed sensus Lutheri est, apud illos fuisse quidem plenum Baptismum, sacras Scripturas, Catechismum, & alia illa Christianorum bona, quæ illic commemorantur; sic tamen, ut illa habeant, tanquam bona aliena, non sua; & ut sic apud illos sint, quemadmodum apud hæreticos esse possunt. Sunt hæc quidem apud illos; sed non prosunt, quamdiu tales sunt. Sic isti habent Papistæ, ut Philistæi olim Arcam Domini habuerunt; ut qui thesaurum habent, quo non utuntur; ut mundus habet Ecclesiam; ut Judæi olim Christum habuerunt. Lutherus non sensit, Papistas esse veros Christianos; sed tamen posse inter Papistas illud bonum Christianum reperiri; quod ego non nego, cúm Scripturam, & Baptismum, & Catechismum, articulos fidei, præcepta decem, orationem Dominicam habeant: atque hæc ad nos ab illis devenerunt. Sed erant illi possessores malæ fidei. Ergo non simpliciter, sed tantúm secundúm quid, hæc apud Papistas fuisse vult Lutherus. Tandem ad Calvinum, & Melanchthonem accedit; sed nihil exinde licere potest, quod pro Papistis faciat; tantúm quædam arripit, ut quód Calvinus in Institutione sua quodam in loco, Bernardum pium scriptorem vocat, & quód Melanchthon in Apolog. art. 5. & 27. Cófess. Augustanæ, Bernardum, Dominicum & Franciscum, sanctos vocat. *Respondeo*: posse hos sanctos abús appellari, communi quadam hujus vocis usurpatione, ita tamen ut veram sanctitatem illis non tribuat. Quanquam ego quidem Bernardum veré sanctum fuisse

fuisse existimo. Sed possumus confiteri, hos fuisse sanctos, & tamen pessimé de Ecclesia Papistica sentire. Bernardus enim, etsi inter Papistas vixit, tamen non cum illis aut fide, aut vitæ genere consensit; imó multis in rebus á doctrina Papistica abhorruit, quēadmodum ex ipsius libris constat. Multa certé veræ sanctitatis argumenta præ se ferebat. Franciscus veró & Dominicus homines superstitiosi fuerunt, suos illiordinès propter communem hominum improbitatēm habuerunt; de religione veró, quod sciam, idem illi senserunt, quod nunc vulgus Papistarum sentit. Possumus tamen, loquēdo ut vulgus, eos sanctos appellare. Habebant illi fortasse voluntatis inclinationem quandam ad bonum, & zelum pietatis; sed an veré pii fuerint, non constat. Franciscus quidem plané ἀχείματος fuit; Dominicus veró pauló doctior, utpote qui in Academia quadam ad tempus educatus fuerat. Jam si nostræ confessioni volunt Papistæ aliquid tribuere, nos facilé & aperté pronunciamus, illos non esse veram Ecclesiam, non modó propter vitam impuram, verumetiam propter falsam doctrinam. Et de hac nota non opus est plura adjicere.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

In quo decimaquarta nota Bellarminiana examinatur, & refellitur.

RElinquæ nunc duæ notæ sunt, in quib. diluendis brevis esse possum. Sunt enim admodum futiles, & causam ipsam non attingunt. Decimaquarta nota est, infelix exitus eorum, qui Ecclesiam oppugnant. Ait enim, Deum, etsi suos punit & flagellat, tamen tandem in ignem virgam projicere. *Respondeo:* Verissimū hoc esse, fateor, ds veris Dei filiis & electis.

Nam etsi impii ad tempus multis molestiis eos exerceant: tamen tandem justissimas Deo & Ecclesiæ ejus pœnas persolvent. Atqui hi impii, qui sunt flagella piorum, non modó sunt extra Ecclesiam visibilem, & ejusmodi qui eam aperté oppugnant: sed etiam in ipsis Ecclesiæ visibilis visceribus vivunt, & pios sanctosque homines uná secum in eadem Ecclesia visibili viventes vexant. Potest enim illorum exitus infelix esse, qui in ipso etiam visibilis Ecclesiæ gremio vivunt. At nos totius Ecclesiæ visibilis notas quærimus, ad quam nosmet adjungere debemus: hæc veró nota est piorum tantúm in Ecclesia. Quare non satis attendebat Bellarminus, cúm hanc notam proposuit. Non enim illi tantúm Ecclesiæ hostes sunt, qui foris eam oppugnant; sed ii etiam, qui intus sunt, quique Ecclesiæ cives esse videntur, possunt nihilominus Ecclesiæ infesti esse. Sed hîc commemorat nobis Bellarminus finem & exitum multorum, qui Ecclesiæ hostes extiterunt. *Respondeo*: Fateor quidem, quorundam, qui Ecclesiam oppugnârunt, horrendos & plané tragicos exitus fuisse, sed hoc de omnibus affirmari non potest. Aliqui enim immanes tyranni placidé & pacaté mortui sunt. Pharaonem legimus gravissimas pœnas dedisse. Fluctib⁹ enim obrutus est, & totus exercitus cum eo, quemadmodum habetur Exod. 14. Atque ille primus quidem fuit, qui Ecclesiam persecutus est. Deinde Dathan & Abiram, qui primi schismatici fuerunt, gravissimas etiam pœnas dederunt, quemadmodum legimus Num. 16. Vivi enim sunt á terra absorpti, & præcipites in barathrum dejecti, uná cum tota familia sua. Jezabel impia mulier, & toti Ecclesiæ Dei infestissima, ex summis ædibus deturbata, ad saxa allisa, &

tandem

tandem á canibus exeſa fuit, ut patet 2. Reg. 9. Antiochus, qui in animo habuit totam gentem Judaicam extinguere & penitus extirpare, miſeré periit, ut legimus 2. Macchab. 9. Pilatus, qui Chriſtum, cúm potuit, liberare noluit, ſed Judæis crucifigendum tradidit, ſeipſum interfecit, ut patet apud Euſebium lib. 2. hiſtoriæ ſuæ, cap. 7. Judæi, qui Chriſtum cruci affixerunt, graviſſimas pœnas dederunt. Tota enim illorum gens poſtea miſerrimé á Romanis afflicta fuit, ut refert breviter Euſebius lib. 2. cap. 7. & ult. & Joſephus fuſiús, in libris de bello Judaico. Herodes Magnus, qui primus illius nominis fuit, is qui Aſcalonita dictus eſt, quiáque infantes bimulos jugulandos curavit, vermibus ſcatens animam exhalavit, ut patet apud Joſephum l. 17. Antiquitat. Judaic. cap. 9. Herodes Tetrarcha, qui idem Antipas dictus eſt, quiáque Joannem Baptiſtam decollavit, in exilio miſeré periit, ut docet Joſephus lib. 18. de Antiquitat. Judaic. cap. 14. Tertius Herodes, qui Agrippas dictus eſt, quiá; Jacobum fratrem Domini interfecit *ϑυόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξεν*, *á vermibus eroſus, animam efflavit*, ut patet Act. 12. 23. Jam veró omnes illi immanes tyranni, qui Eccleſiam primitivam divexabant, quiáque Chriſtianos ubique perſequebantur, aut á ſeipſis, aut ab aliis interfecti ſunt, aut certé miſeré perierunt. Nero á ſeipſo, Domitianus á ſuis, interfectus eſt. Trajanus horrenda paralyſi, & ſimul hydropiſi abſumtus & extinctus eſt. Reliqui, qui hos ſecuti ſunt, miſeré perierunt omnes. Decius in voraginem eſt dejectus, & ab eadem abſorptus eſt. Diocletianus præ dolore, quód omnes Chriſtianos delere, & é medio tollere non potuit, imperium depoſuit. Galerius & Maximinus in eos morbos inci-

derunt, quos nulli medici ſanare, imó ne ferre quidem potuerunt. Unde divinam eſſe plagam, fateri coacti ſunt, ut patet apud Euſebium lib. 8. & 9. De his ſe Dominus præclaré ultus eſt immaniſſimis tyrannis. Idem poteſt de hæreſiarchis & apoſtatis demonſtrari. Omnes enim infeliciter perierũt. Simon Magus, qui in aëre volare voluit, ut ſibi famam conciliaret, precibus Petri dejectus in terram decidit, atque ita crus fregit, & pauló póſt cum ſumma ignominia obiit; ut conſtat ex Egeſippo l. 3. cap. 2. de excidio Hieroſolymitano, & ex Arnobio lib. 2. contra Gentes. Manes ille, qui Manichæorum hæreſin primus invênit, miſeré apud Perſas periit. Nam pellis ei adhuc vivo detracta eſt á Rege Perſarum, quód filium Regis, quem curandum ſuſcepit, occidit, ut ſcribit Epiphan. hæreſ. 66. Montanus, Theodotus, & Prophetiſſæ eorum, laqueis ſeipſos ſuſpenderunt, ut patet apud Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 16. Donatiſtæ quidam, cúm canibus Euchariſtiam projicerent, ab iisdem canibus lacerati ſunt; ut legimus apud Optatum lib. 2. contra Parmenian. Arius veró animam ſũam uná cum viſceribus in latrinam effudit, ut teſtatur Athanaſius in orat. 1. contra Arianos, & Ruffinus lib. 10. hiſtor. cap. 13. Julianus Apoſtata divinitus occiſus, periit infeliciter in bello contra Perſas ſuſcepto; neq; enim cuiquam conſtabat, quis ei vulnus inflixit, & corpus ejus mortuum á terra, ſua ſponte, apertâ abſorptum eſt; ut docet Nazianzenus in oratione in Athanaſium circa finem. Valens Arianus, qui Juliano in perſecutione Chriſtianorum ſucceſſit, vivus á Gotthis etiam Arianis crematus eſt; ut narrat Ruffinus lib. 11. hiſtor. cap. 13. Neſtorius, linguâ impiâ á vermibus conſumtâ, miſerrimé interiit,

ut

ut patet apud Evagrium lib. 1. histor. cap. 7. Similiter Hunericus Rex Wandalorum Arianus, & Ecclesiæ persequutor, vermibus toto corpore scatens, consumtus est, ut scribit Victor lib. 3. extremo. Anastasius verò Imperator, Eutychianæ hæreseos fautor, fulmine ictus interiit, ut scribit Cedrenus, Zonaras, & Paulus Diaconus in ejus vita. Et alia multa ejusmodi divinæ vindictæ exempla mihi liceret commemorare; ut Saulem Davidis hostem, qui sibi ipsi suo ipsius gladio mortem conscivit; Achitophelem, qui seipsum suspendit; Senacheribum, qui á liberis suis interfectus est; Judam proditorem, qui laqueo vitam finivit; Maxentium denique, qui in aquis submersus, similiter periit ut Pharao. Hæc omnia divinæ vindictæ in impios exempla sunt. Sed si centum alia hujusmodi exempla cumularentur, causam ipsam non attingerent, nec Adversarii defensionem quicquam juvarent. Hi enim omnes non Papam, & Ecclesiam Romanam, sed Christum & Ecclesiam Catholicam oppugnarunt, Christi nomen & fidem é medio tollere voluerunt. Ergo nunc progreditur Adversarius, & de novis hæreticis quædam subjungit, de Luthero nempe, de Zuinglio, de OEcolampadio, de Carolstadio, de Calvino, quos ille omnes pro hæreticis habet. Horum omnium infelices fuisse exitus affirmat, in quo tamen egregié mentitur. Certé si illorum talis mors fuit, qualem Adversarii volunt, misera quidem fuit. Sed hos non pudet mentiri. Secutus est Bellarminus authores mendaciſſimos; Coclæum scilicet, qui de Luthero, Zuinglio, OEcolampadio, & Carolstadio, egregia quædam mendacia finxit, & Bolsecum impudentem apostatã, qui de Calvino multa mẽdaciſſimé scripsit.

Si aliquam existimationis suæ rationem habuisset, tam mendacibus scriptoribus nunquam fidem adhibuisset, neque illorum testimonia unquam in mediũ produxisset. De Luthero sic scribit Bellarminus ex Coclæo, eum morte repentina sublatum esse. Nam cúm vesperi (inquit) opiparam cœnam sumsisset lætus & sanus, & facetiis suis omnes ad risum provocasset, eâdem nocte mortuus est. *Respondeo:* Æquum est, ut Melanchthoni potiús fidem habeamus & Sleidano, quám impudentissimo Coclæo. Sleidanus veró & Melanchthon de morte ejus sic scribunt, eum scilicet anno ætatis suæ sexagesimo tertio, infirmâ valetudine, profectum esse ad patrium solum, ad dirimendam controversiam quandam inter Comites Mansfeldenses; qua quidem de re ab ipsis eó evocatus fuerat; & cúm ibi esset, cœnatum quidem esse cum suis; sed nec lætum fuisse, nec quenquam ad hilaritatem aut facetias provocasse; sed de rebus gravissimis & sanctissimis, ad religionem & pietatem pertinentibus, locutum esse. Hos nominatim illius cœnæ sermones fuisse scribit Sleidanus, utrúm simus alii alios in altera vita recognituri. Lutherus respondit, Adamum cognovisse Evam, quam antea nunquam viderat, & dixisse, *hæc est os ex ossibus meis, & caro de carne mea:* ergo nos multó magis post hanc vitam amicos nostros agnituros esse; quia tum perfectior erit cognitio nostra, quám fuit eo tempore Adami cognitio. Post cœnam ad cubiculum profectus est, & cubitum se contulit. Cúm veró morbum sentiret ingravescere, vocat ad se uxorem, & pædagogum liberorum suorum Justum Jonam. Postea venit Comes Mansfeldius. Multa verba pié cum iis habuit, & eos ad pietatem hortatus est. Tandem sanctam animam

mam Deo dedit placidé & ſuaviſſimé ſine cruciatu, cúm antea precatus eſſet, & Deo gratias egiſſet. Sic Sleidanus lib. 16. in fine. Eodem etiam modo Melanchthon in vita ejus. Ex illis omnibus, quæ ab utroque de morte Lutheri ſcripta ſunt, hæc quatuor poſſumus colligere. *Primó*, Lutherum, cúm jam ſenex eſſet, in anno ſuo climacterico, qui ſolet eſſe periculoſiſſimus, in bona ætate mortuum eſſe in patrio ſolo, in ſua civitate, in qua natus eſt, Islebii ſcilicet. *Secundó*, mortem illius fuiſſe pacatam, placidam, quietam, ut ſomno potiús quám morti ſimilior eſſet. *Tertió*, non modó tranquillam & dolore vacuam fuiſſe illius mortem, ſed ſanctam etiam & piam fuiſſe; quia perpetuis vocibus aſtantes omnes ad pietatem & religionem hortatus eſt, & gratias Deo immortales egit, quód Chriſtum filium ſuum ei patefeciſſet. *Vidi* (inquit) *filium tuum, & veritatem tuam, & amavi tanquam animam meam.* Denique non ipſe modó in precibus perſeveravit; verumetiam hortatus eſt omnes, qui aderant, ut pro Evangelii propagatione aſſidué precarentur; Papam enim cum Tridentino Concilio multa contra Eccleſiam moliturum. Ita mors ejus talis fuit, qualem pius quisque optare poſſet. *Quartó* colligo, illum in ſummo honore habitum fuiſſe; quod ex honorifica illius ſepultura nobis conſtare poteſt. Sepultus eſt enim honorificentiús, quám aliqui Principes. Hæc de Luthero. Jam pergit Adverſarius, & de Zuinglio ſimiliter calumniatur, quem ait in bello contra Catholicos trucidatum eſſe. De Zuinglio veró ſic ſe res habet. Tigurini, pii Chriſtiani, ab impiis Papiſtis laceſſiti, bellum cum iis gerunt. Cives ſuos ad honeſtum & juſtum contra tyrannos bellum Zuinglius ſequutus eſt; qui (ut de-

cuit pium Pastorem) noluit suos in extremo discrimine relinquere. In illo prælio occisus est, & sancte mortuus. Hoc solum crimen habent Adversarii, quod illi objiciant. At mori & occidi in prælio, nunquam antea pro crimine habitum est. Si bellum justum sit, quod suscipitur; ministros pios interesse plurimum conducit, ad populum hortandum, ejusque animos excitandos. Cecidit ergo in bello; quod cúm Adversarii cognovissent, corpus ejus exquirunt, & inventum in quatuor partes secant, dissectum veró ignibus cremãt. Post triduum amici ejus, reliquias corporis ejus quærentes, non ut adorarent, sed ut in terra de more conderent, cor ejus illæsum invenerunt, ut scribit Osvvaldus quidam Myconius in vita ejus, vir pius, & fide dignus. Idem de Cranmero, qui Oxonii combustus est, scribit Joannes Foxus, nempe corpore ejus cremato cor illæsum remansisse. Tertio loco de OEcolampadio mentitur, quem ait, cúm vesperi sanus cubitum iviſſet, mané inventum esse ab uxore mortuum in lecto. *Respondeo*: falsa hæc omnia esse. Vitam mortemque OEcolampadii scribit Wolfgangus Capito, & Simon Grynæus, qui & OEcolampadio familiaris fuit, dum viveret, atque etiam morienti adfuit. Ex quorum historia hæc possunt observari. *Primó*, per dies sedecim in lecto ægrotum decubuisse. Non ergo sanus cubitum ibat, quod Bellarminus ex Coclæo falsó asserit. *Secundó*, dum in lecto ægrotus decumberet, crebras exhortationes & sanctas orationes habuisse, quibus omnes qui aderant, ad constantiam hortatus est, & optavisse ut sæpius mori posset pro veritate, & dixisse, se lætum & bona cum conscientia ad Christi tribunal proficisci. *Tertió*, liberos, qui feré omnes infantes erant, una

cum

cum illorum matre, ad se accersi jussisse, & multis præsentibus Ministris dedisse conjugi in mandatis, ut liberos suos pié educandos & instituendos curaret. Ergo illâ intelligente, non nesciente, ut Adversarii volunt, mortuus est. *Quartó*, eodem ipso momento, quo animã efflavit, adfuisse illi circa lectum decem Ministros, qui testes ejus sanctæ mortis fuerunt; & hanc ejus postremam vocem fuisse, postquam Psalmum quinquagesimũ primum integrum recitasset, *Serva me Domine Jesu Christe*; & sic animam beatam Deo tradidisse. Hæc Coclæum omnium bipedum mendacissimum esse arguunt. Jam veró de Carolstadio minús moror, quem Bellarminus ait á dæmone interfectum fuisse. Sed verisimile est, mendacium hoc esse reliquis simile. Venio nunc ad Calvinum, quem ex Bolseco impuro & perfido apostata, & Papistis etiam ipsis odioso, affirmat vermibus consumtum expirasse, quinetiam dæmonibus invocatis blasphemantem & execrantẽ obiisse. *Respondeo*: Quis sanæ mentis putabit, hujus impudentissimi Papistæ rationem aliquam habendam esse? Ne ipse quidem dæmon potuit malitiosiús loqui. Sed de Calvino velim vos legere, quod scriptum est in Epistola Nicolai Gallasii præfixâ commẽtariis ejus in Isaiam; atque etiam omnem ejus vitam, á Beza verissimé & fidelissimé scriptam, in Opusculis suis, & in Apologia 2. contra F. Claud. de Xaintes. Quibus in locis omnes Adversariorum calumniæ diluuntur. Ex illis hæc licet excerpere. *Primó*, condidisse illum testamentum pium, & ad hanc rem adhibuisse scribam publicum Genevensem. *Secundó*, in lecto decumbentem omnes Ministros Genevenses ad se in cubiculum vocasse, tum qui in urbe, tum qui in agro

extra urbem erant; eosq; hortatum esse, ut diligenter suo munere fungerentur, utq; constantes essent in illa fide, quam profitebantur. *Tertiò*, Syndicos & totum senatum minorem rogasse, ut ad se venirent, & illis exposuisse Dei beneficia; hortatumque esse, ut in vera religione perseverarent; & longam apud illos de doctrina sua orationem habuisse, eosque in eâdem confirmasse; tandem dextram cunctis porrexisse, iisque valedixisse cum summo illorum gemitu. Erat enim civibus suis charissimus. *Quartò*, literas scripsisse sanctissimas ad Farellum jam octogenarium, qui jam tum in animo habebat, equo ad illum venire, eumque invisere: & rogasse illum, ne sibi molestiam faceſſeret; tantùm suæ amicitiæ memorem esse monuit. *Quintò*, cùm ad statum diem, nempe ad diem Jovis, convenissent omnes Ministri Genevenses, voluisse Calvinum, ut in ædibus suis pranderent, cumque discubuissent, ad mensam delatum esse; & postquam humanissimis & amicissimis verbis singulos alloquutus fuisset, abiisse. *Sextò*, animam efflavisse leniter, & placidè, sine violento singultu, sine pedum manuúmve motu, ut dormire potiùs, quàm mori videretur. *Septimò* & postremò, quod de vermibus scribit Bellarminus, monstrosissimè falsum esse. Corpus quidem ejus multis morbis laborabat, quos illî labores assidui creaverant. Tantos enim labores sustinuit, ut sanè mirandum sit, hominem unum tam multis rebus potuisse sufficere. Quàm multa scripserit, omnes nôrunt. Conciones verò quotannis ducentas octoginta sex habuit, & lectiones centum octoginta sex, præter alias infinitas occupationes. Verissimè enim de illo dici potuit, quod Paulus de se, cùm ait, *Mihi omnium Ecclesiarum cura incumbit.*

cumbit. Quare non est mirum, si annum quinquagesimum quintum ætatis suæ agens, gravissimis laboribus exhaustus, mortuus est. Non ille molliter & delicaté vixit, ut Papistæ; non ocio torpuit, non cuticulam curavit; sed semper occupatus fuit, & minús revera corpus curavit, quám oportuit. Nunc de Calvino Bolsecus mentiatur impurissimus nebulo, eique nostri Papistæ fidem adhibeant. Ex his intelligi potest, quid sibi velint Adversarii nostri, quando tam absurda mendacia fingunt. Per latera scilicet horum egregiorum virorum religionem sauciare cupiunt. Sed mittamus hos sanctissimos heroas nostros, mittamus etiam Papistas libenter de nobis mentientes. Atquæ hæc sunt nimirum illa horrenda exempla iræ Dei in nostros á Bellarmino commemorata, quæ sunt potiús gratiæ & amoris ejus argumenta.

VIDETIS quale sit genus argumenti Bellarminiani, ex morte quorundã hominũ, de tota fide, & religione Ecclesiæ nostræ, æstimare, & judicare. Quod argumentum si sit legitimum, liceret nobis contra illos multa exemplorum millia proferre, aut saltem fingere, quod illi faciunt. Sed fingere non decet Christianum. Cúm autem ita sint importuni, ut infelicem exitum nostrorum Ministrorum nobis perpetuó objiciant: non erit alienum de illorum Episcopis, atque Presbyteris, aliisque Ministris, pauca subjungere. Sed hîc ubi incipiam, nescio. Nam primó quid de Papis illorum multis dicam, de quibus Johannes Sarisburiensis in Polycratico suo lib. 6. cap. 24. scribit, se putare eos tam brevi vivere, & tam repentè mori, ne totam Ecclesiam corrumperent? Aut veneno enim plerique, aut aliâ aliquâ morte in-

usitatâ perierunt. Et quod de OEcolampadio scribit Bellarminus, eum subitó mortuum esse, illud Gratianus de multis Papis, nominatim de Paulo secundo, verum esse docet. Minerius Gallus persecutor, minister quidam Antichristi, qui totas villas consumsit, ex internis viscerum flammis miserè periit, ut scribit Pantaleon in historia Gallica. Eum medici non sanare, imó ne aspicere quidem potuerunt. Tandem horrendas blasphemias in Christum evomens, animam efflavit. Eckius hostis acerbissimus Lutheri fuit. De ejus morte legimus in Chronico Carionis, eum scilicet morientem de nulla alia re locutum esse, nisi de nummis; si tantum nummorum acquiri posset, transactam rem esse. Cogitavit procul dubio de Episcopatu, aut de aliquo beneficio Ecclesiastico, certa quadam pecuniæ summa acquirendo. De Pigghio aliqui scribunt, fuisse illum in tumultu oppressum in magna hominum frequentia, unácum pecunia illa, quam á Papa, & Cardinalibus, propter operam suam in causa Pontificia defendenda collocatam, acceperat. De Latomo constat, eum desperabundum mortuum esse. E suggesto blasphemavit, & repentè factus est insanus. Quid de Olivario dicam Cancellario Galliæ, qui in suis summis angoribus Cardinalem Lotharingum sic allocutus est, *Tu Cardinalis nos omnes perdis?* Aut quid de Gardinero dicam Angliæ Cancellario? Imó quid de Lotharingo ipso, aut de Sadoleto, aut de Crescentio Cardinale, qui primó præfuit Concilio Tridentino? Is cúm in cubiculo sederet, & multas literas ad Pontificem & alios scriberet, & jam advesperasceret, visus est sibi canem videre atrum oculis micantibus. Accersit continuó famulos; quærunt illi, non inveniunt.

unt. Ille deinde, ex suspicione nescio qua, repentè extinctus est. Nota est historia de Francisco Spiera, & de Guarlaco. Alia multa sunt hujusmodi exempla ministrorum Antichristi, quorum infelix exitus fuit; sed mihi non libet ista commemorare. Jam verò de tyrannis, qui nostram Ecclesiam oppugnarunt, multa possem verba facere, de Carolo quinto, de Henrico secundo Galliæ Rege, de Francisco secundo, de quibus isti versus in historia Gallica habentur:

Consiliis Christum oppugnans & fraudibus ingens
Regum ille terror, Carolus,
Ipsis ridiculus pueris, furiosus, & excors,
Totus repentè corruit.
Tuq; Henrice malis dum consultoribus utens
Sitis piorum sanguinem,
Ipse tuo vecors inopina cæde peremtus,
Terram imbuisti sanguine,
Henrici deinceps sectans vestigia patris
Franciscus infelix puer,
Clamantem Christum surdâ dum negligit aure,
Aure putrefacta corruit,
Versuti, fatui, surdi, hæc spectacula, Reges,
Vos sapere, vel mori jubent.

Potuit hoc carmen longiùs contexi, ad Carolum nonum, qui luctuosissimè mortuus est, & ad triumviros illos Galliæ, Guisium, Conestabliũ, Marescallum Sanctandreanum; qui omnes contra Christum conjurantes, subitò interfecti sunt, & infeliciter perierunt. Si ergo exemplis pugnaremus, facilè Adversarios numero vinceremus. Jam si felicem etiam exitum nostrorum ministrorum liceret exponere, longa esset oratio, & penè infinita, de iis, quos

Bellarminus commemorat, Luthero, Zuinglio, OEcolampadio, Calvino, item de Johanne Saxonico, de Palatino illo bono, de Melanchthone, Bullingero, Pellicano, Musculo, Vireto, Farello, Bucero, & Fagio, qui duo apud nos mortui sunt, & de Petro Martyre, qui mortuus est Tiguri. Quid eos commemorem, quos flamma Mariana absumsit, Cranmerum, Ridlæum, Bradfordum, Philpottum, & alios? Quid Ivellum, Pilkingtonum, Grindallum, Deringum, beatâ memoriâ homines? quid Knoxum? quid Foxum? quid alios infinitos? Si de his singulis sigillatim dicerem, nullus finis esset. Utile quidem est, illorum exitum considerare, á quibus nos veram fidem accepimus; etiamsi hæc quidem disputandi ratio, quâ hîc utitur Adversarius, non ita certa & firma sit. Non oportet enim statim ex morte alicujus professoris, de tota religione, quam profitetur, judicium facere. Atque ita de hac nota satis jam multa diximus.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De decimaquinta & ultima Bellarmini nota.

ID unum nunc restat, ut ultimam Bellarmini notam refellamus. Ultimo loco numerat in suis notis Bellarminus felicitatem temporalem, divinitus iis collatam, qui Ecclesiam defenderunt. At hæc nota Ecclesiæ potiús adversaria esse solet. Nam felicitas sempiterna & cœlestis, non hæc terrena & temporalis, ad Ecclesiam pertinet; ut mirum sit, Bellarminum ex hac voluisse suam Ecclesiam agnosci. Sed tamen necesse est, ut quid de hac nota dicat Adversarius, videamus. Primo loco ait, nunquam Catholicos Principes ex animo Deo adhæsisse, quin facilimé de hostibus triumpharent. *Respondeo*: eos quidem,

dem, qui Deo ex animo obsequuntur, á Deo semper audiri, & in summo apud illum precio esse; non tamen inde sequitur, eos semper temporali felicitate frui, nec semper victoriam ab hostibus reportare. Quis enim Josiâ sanctior fuit? quis fidei Catholicæ amantior? & tamen ille in prælio victus & occisus est á Rege Ægypti, ut patet 2. Regum 23. v. 29. Num igitur Ecclesia Judaica sive Israëlitica, vera Ecclesia non fuit, quia Josias Israëlitarum Princeps in bello occubuit, & quia Israëlitæ ab hostibus victi sunt? Sic quidem nos Bellarminus existimare & argumentari docuit, & sic necesse est concludere, si illum sequi velimus. Quare Josiam omittere debuit, quando eos commemorat, qui in bello tam felices fuerunt. Sic enim scribit: Notæ sunt inprimis victoriæ in veteri Testamento, Abrahæ, Mosis, Josuæ, Gedeonis, Samuelis, Davidis, Ezechiæ, Josiæ, Macchabæorum. *Respondeo* 1. hanc esse vitiosam argumentandi rationem, paucos homines recensere, & ex his conclusionem generalem de omnibus inferre in hunc modum: Hi pauci pii vicerunt, & in bello felices fuerunt: ergo omnes pii in bello vincunt, & felicem successum habent. Est hæc manifesta fallacia consequentis. Nam si hæc firma consequentia sit; quid de illis statuemus, quibus res minús prosperé successerunt, vel in bello, vel in aliis hujus vitæ negotiis? num eos omnes impios, & Deo exosos fuisse putabimus? Et num econtra eos omnes quibus res prosperé successerunt, & qui in bello victoriâ potiti sunt, pios & Deo charos fuisse judicabimus? Absit. 2. *Respondeo:* Hoc esse egregium & insigne vitium hujus argumentationis, quód sic nimirum ratiocinetur: Sancti homines

bonos habent & prosperos successus: ergo felicitas est nota Ecclesiæ Catholicæ. Vel, sic: Quidam homines Catholici felicem in bello successum habuerunt: ergo omnes Catholici sunt pii. Est hæc fallacia παρὰ τὴν ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου, *ab ignoratione elenchi*; quia á fide ad pietatem ratiocinatio ducitur. At aliud est vera pietas, aliud Catholica fides. Nam potest homo esse fide Catholicus, & tamen vitâ impius. Et multi quidem sunt Catholici quoad fidem, qui non sunt Catholici quoad pietatem. Num quia tales aliqui prosperum successum aliquando non habent, illorum fidem non fuisse Catholicam existimabimus? At fieri potest, ut Catholici cum Catholicis pugnent, & alii alios vincant: num ii, qui victi sunt, non sunt pro Catholicis habendi? Non audet, opinor, hoc affirmare Adversarius. At hoc olim sæpe factum esse novimus, cúm omnes feré passim Catholici fuerunt. Hispani bellum olim gesserunt cum Gallis, Galli cum Anglis, Angli cum Scotis; cúm jam omnes Catholici essent, & dicerentur. Et temporibus Eduardi sexti Regis Angliæ, Protestantes Angli insignem victoriam á Scotis Catholicis reportarunt. Non debemus ergo ex victoriis, ex felicitate, ex prospero rerum successu, religionem veram, veramque Ecclesiam æstimare. Eruditi Theologi semper hoc argumenti genus damnarunt. 3. *Respondeo*: Etsi isti, quos nominat & enumerat Bellarminus, victorias præclarissimas & plané admirabiles adepti sunt: tamen varias etiam calamitates sunt experti. Abrahamus, etsi tandem multis á Deo beneficiis affectus est: tamen varié jactatus fuit, & infelicitate temporali cum aliis multis non fuit comparandus. Quod idem de Lotho etiam, & Isaaco, & Jacobo

Jacobo dici poteſt. Si ex his externis rebus religionis veritatem metiamur, nunquam apud hos Eccleſiam fuiſſe exiſtimabimus. Præterea quantas moleſtias pertulit Moſes? Primó ex Ægypto fugere, & oves paſcere coactus eſt; poſtea cúm rediit, moleſtiſſimam provinciam ſuſcepit ducendi populum per deſertum; cumque multis annis duxiſſet, terram tamen Canaan ingredi ipſe non potuit, ſed in deſerto mortuus eſt. Joſua multas quidem victorias ab hoſtibus reportavit, non tamen in omni bello victor evaſit; nec potuit unquam omnes Canaanitas é finibus ſuis prorſus expellere & exterminare. Gedeon in bello quidem felix fuit, poſt bellum veró infelicior. Samuel non bellis interfuit ipſe, ſed populum quidem ſatis feliciter judicavit, non tamen ei omnia ex animi ſententia ad finem uſque ſucceſſerunt, cúm ipſe á populo repudiatus, & Saul ad imperium evectus fuerit. In quantis moleſtiis vixit David, & antea acquiſitum regnum, & poſtea etiam? quám varié jactatus fuit? Certé plus ille per totam vitam in adverſis, quám in ſecundis fuit. Ezechias diu in bello ab Aſſyriis obſeſſus, & quidem oppreſſus feré, tandem per miraculum ſuperior evaſit. Divinitus enim & extraordinarié ab hoſtium tyrannide liberatus eſt. Macchabæorum ſemper incerta ſors fuit, & bellorum ab illis geſtorum eventus dubius atque anceps. Si quis horum hominum temporalem ſtatum conſideraverit, eos non admodum felices fuiſſe judicabit; neque ex hac felicitate illos fuiſſe bonos & pios colliget, ſed potiús econtra. Quare non debemus eo modo concludere, quo Adverſarius. nam ita Eccleſiam iis aliquando tribuemus, ad quos

omnino non pertinet. Hæc de veteri Teſtamento: jam ad Eccleſiam novi Teſtamenti accedit. Et primó de Conſtantino ait, eum eodem feré modo Maxentium viciſſe, quo Moſes Pharaonem, ut teſtatur Euſebius libro 9. hiſtor. cap. 9. Præterea de eodem Conſtantino ſic ſcribit Auguſtinus (inquit) lib. 5. de civitate Dei, cap. 25. *Conſtantinum Imperatorem non ſupplicantem dæmonibus, ſed ipſum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet. Univerſum orbem Romanum unus Auguſtus tenuit, & defendit; in adminiſtrandis & gerendis bellis victorioſiſſimus fuit, in tyrannis opprimendis per omnia proſperatus eſt, grandævus ægritudine & ſenectute defunctus eſt, filios imperantes reliquit. Reſpondeo:* Verum quidem hoc eſſe, quod ait Auguſtinus. Deus enim multa & magna beneficia in illum contulit, ſed tamen non propterea ex his colligi poteſt, eum fuiſſe bonum & Catholicum. Non enim ſunt illa ejusmodi, ex quibus licet certum judicium facere de cujusquam pietate: alioqui de Ethnicis & impiis Imperatoribus ſimiliter ſentiendum eſſet, quorum multi perinde felices fuerunt, ac Conſtantinus, nonnulli veró illo feliciores. Et licet ille quidem in bellis felix fuit: in liberis tamen non fuit admodum felix. Tres enim habuit filios, Conſtantinum, Conſtantium, & Conſtantem; ex quibus Conſtantinus brevi mortuus eſt, Conſtantius veró fuit Arianus, ſolus Conſtans veré Catholicus remanſit. Addit deinceps Adverſarius, de Theodoſii ſenioris & Honorii victoriis eundem Auguſtinum ſcribere eodem in libro cap. 26. & 23. & de Theodoſio juniore Socratem libro 7. hiſt. cap. 18. Subjungit etiam, Juſtinianum ſeniorem multa feciſſe præclaré,

præclaré,&imperium feliciſſimé adminiſtrâſſe,quouſque Catholicus fuit: ubi autem hæreticus factus eſt,& edictum proponere voluit de ſua hæreſi recipienda,mox repentina morte ſublatum eſſe, & Eccleſiam magno metu liberâſſe, ut patet apud Evagrium lib. 4. hiſtor. cap. 16. & ſequentibus uſq; ad cap. ultimum. Similiter de Heraclio ait, ex Joanne Zonara, aliisq; hiſtoricis, cognoſci poſſe, illum, dum Catholicus eſſet, præclariſſimam victoriam de Perſis reportâſſe; at cúm in hæreſin incidit Monothelitarum,omnia illi infeliciter ſucceſſiſſe, & ipſum novo atque inaudito morbi genere extinctum eſſe. Sed hæc quorſum ab Adverſario commemorentur, non video. Si eó ſpectent, ut probet, Deum palám nonnunquam indicare,ſe piis favere, & Eccleſiam ſuam ſibi charam eſſe,fateor: ſin in hunc finem, ut probet Eccleſiam veram eam eſſe,quæ in bello felix evadit, & veram religionem ex hujusmodi felicitate eſſe judicandam,prorſus nego. Sunt hæc quidem divinæ potentiæ in ſuis liberandis exempla, ex quibus nos Deum noſtrum potentiſſimum eſſe ſciamus, & velle nos ſervare, ſi id ei viſum fuerit. At non debemus hinc perpetuam regulam ſtatuere in hunc modum: Ille liberatus eſt: ergo fuit pius. Ille non eſt liberatus: ergo fuit impius. Nullus unquam Theologus ſic ratiocinatus eſt. Ergo nihil hinc probare poteſt Bellarminus. Præterea hi, quorum hactenus mentionem fecit,non Papiſtæ, ſed Catholici erant; & pugnabant contra Adverſarios,aut Ethnicos,aut hæreticos;pro fide, non Papiſtica,ſed Chriſtiana, & veré Catholica. Ergo horum exempla pro Adverſario nihil faciunt. Sed nunc propiús accedit ad tempora noſtra,atque adeó ad cauſam ipſam;& ait, Imperato-

res Orientis, hoc est, Græcos Imperatores, ab eo tempore, quo propter disidium circa imagines se ab Ecclesia Romana separaverunt, semper indies deteriús se habuisse, donec tandem imperium penitus amiserunt. *Respondeo* de Græcis: illos non separâsse se ab Ecclesia Romana; sed Pontificem Romanum, ut decuit insignem proditorem, imperium perfidé divulsisse, & alterum constituisse Imperatorem, nempe Carolum Magnum. Hic Pontifex fuit Leo tertius. Sic duo Imperatores simul fuerunt in orbe Christiano; & hinc factum est, ut Græci paulatim deserti, tandem viribus impares á Turcis superarentur. Quare illam cladem Pontifici Romano meritó debemus tribuere, ille hujus calamitatis author fuit. Sed quanquam sic Græci oppressi sunt: non tamen hoc arguit, Romanos & Papistas fuisse Deo gratiores, quám illi fuerunt. Et quorsum quæso evasit totum hoc imperium Occidentale, quod á Romano Pontifice constitutum fuit? In nihilum scilicet. Vix enim umbra illius Imperii remansit. Tam minutum nunc est, ut nemo pené videat. Imperator enim nihil præter nomen habet. Horum malorum omniú nulla alia causa fuit, nisi proditio Romani Pontificis. Deinde subjungit Adversarius, Latinos etiam Imperatores semper magis vel minus floruisse, ut magis vel minús Romanæ Ecclesiæ addicti fuerũt. *Respondeo* 1: Si Antichristus suos multis commodis & beneficiis afficiat, mirandum non est. Nám in Apocalypsi legimus, magnam fore inter Antichristum & Reges hujus mundi necessitudinem; ut postea suo loco docebimus. 2. Etsi sæpe felices extiterunt, qui Papæ addicti fuerunt: tamen si historias legamus, aliquos infelicissimos fuisse comperiemus, qui illum secuti

ſecuti ſunt; & aliquos econtra maximé floruiſſe, qui illi parúm addicti fuerunt. Unum duntaxat exemplum proferam. Henricus quartus Imperator in ſummo odio fuit apud Pontificem Romanum, at nõ ideo infelix. Imó multa ille feliciter geſſit, multasq; victorias ab hoſtibus reportavit, etiam tum cúm Põtifici Romano odioſiſſimus fuit. Pontifex Romanus eum ſæpiús anathematizavit; creavit etiam alium Imperatorem, Rodulphum nempe Suevorum Regem, de quo verſus ille editus eſt: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.* Ille veró Rodulphus in nullo prælio felix eſſe potuit; tandem ab Henrico in bello victus & occiſus eſt, atque ita divinam vindictam ſenſit. Poſtea ſecundum Imperatorem creavit Pontifex, ille veró á fœmina occiſus eſt. Mortuo ſecundo, tertium adhuc creavit; qui etiam in molendina captus, ab Imperatore occiſus eſt. Tandem Papa ipſe de ſede ſua deturbatus, & in carcerem conjectus, moritur in ſummis animi doloribus, quód pium Imperatorem tam graviter exercuiſſet; & fatetur, ſe magnas injurias Imperatori feciſſe, veniamque etiam ab illo petiiſſe dicitur. Noſtra ætate quám felix (quæſo) fuit Franciſcus primus, qui á Carolo captus eſt? aut Carolus ipſe, qui dolore animi victus, imperio ſe abdicavit? aut patriæ noſtræ Regina Maria, quę per totam vitam calamitoſiſſima fuit? aut Guiſii denique Romanæ ECCLESIÆ ſemper addictiſſimi? Certé nulli feré infortunatiores, quám qui Papam ſecuti ſunt, & ei obedientes fuerunt. Hiſpanus non admodum felix, nec certé Gallus. Sed poſtremo loco ait BELLARMINUS, Catholicos ab hæreticis ſemper victorias reportâſſe, in Helvetia, in Germania, in Gallia, in Belgio

Respondeo: Si hoc verum sit; tum quî fit, ut Evangeliũ, quod Adversarii pro hæresi habent, in his locis & regionibus tam latè disseminetur. Certè si nostri, quos Adversarius hæreticos vocat, nunquam superiores fuerunt, quemadmodum ille ait: tum nulla jamdudum Evangelio sedes in his locis relicta fuisset. At Helvetii ferè omnes Evangelium amplectuntur, & in Germania jamdudum passim recipitur Evangelium. In Gallia etiam dum sæpius pro Evangelio pugnatum est, non habuerunt Adversarii, quód de suis victoriis magnopere triumpharent. Sanè pacem sæpe offerre coacti sunt. In Scotia verò Papistæ semper victi, Protestantes semper superiores fuerunt. Atq; hæc illa omnia argumenta sunt, quibus Bellarminus probare voluit temporalem felicitatem suę Ecclesię, ex eaque eam Catholicam esse.

NUNC ego paucis contra hanc notam pugnabo.

Et *primum* quidem argumentum in hunc modum instituo: Scripturæ palám huic notæ adversantur: ergo est rejicienda. Antecedẽs patet. Scripturæ enim passim docent, impiis potiús bene esse, quám piis, in hac vita, & his illos multó feliciores esse in hoc mundo: at Ecclesia Catholica in piis tantúm consistit, quemadmodum nos antea docuimus in prima Quęstione hujus controversiæ; & particularis quęque Ecclesia piorum tantúm gratiâ Ecclesia est & dicitur. Propheta Jeremias cap. 12. vers. 1. petit á Domino, ut liceat ei cum ipso paululum contendere. Hæc verò tota contentio fuit, de prospero successu & felici conditione impiorum in hac vita; quamobrem illis omnia tam prosperè succedere, & quamobrem eos tam altas radices agere pateretur Deus. Propheta hanc

hanc rem valde miratur, & cauſam á DEO avidiſſimé quærit. Idem docet Propheta David in Pſal. 73. Nullum feré aliud argumentum tractat in toto illo Pſalmo. Et Apoſtolus Paulus 2. Tim. 3. 12. aperté ſcribit, omnes qui pié volunt vivere in Chriſto Jeſu, afflictiones paſſuros eſſe. Similiter Chriſtus ipſe Joan. 16. verſ. ult. ait fore, ut Eccleſia multas ærumnas in mundo patiatur. *In mundo* (inquit) *oppreſſionem habebitis; ſed confidite, ego vici mundum.* Et Joan. 15. 20. ait, debere ſervum ea conditione contentum eſſe, quam ſuſtinuit dominus. *Non eſt ſervus* (inquit) *major domino ſuo: ſi me perſequuti ſunt, & vos perſequentur.* Idem etiam Joan. 16. 20. diſcipulos ſuos in hunc modum alloquitur: *Amen, amen, dico vobis, vos plorabitis, & flebitis; mundus autem gaudebit.* Ex quo manifeſtum eſt, felicitatem & lætitiam temporalem eſſe potiús diabolicæ, quám veræ Eccleſiæ notam. Atq; hoc expreſſé comprobat Apoſtolus Heb. 11. Ubi multos ſanctos enumerat, quorum omnium vitam calamitatum pleniſſimam fuiſſe oſtendit. Si volumus omnia Eccleſiæ tempora percurrere; videbimus eam in afflictione potiús, quám in felicitate verſatam ſemper fuiſſe. Eccleſia in Ægypto miſeré vexata & ab Ægyptiis feré oppreſſa fuit. Erat illa ſervitus longa & dura. Nónne Ægyptii feliciores & florentiores Iſraëlitis erant, cúm illi fuerũt domini, hi ſervi? Deinde poſtquam hac ſervitute liberata fuit Eccleſia, & in terram Canaan introducta ſuis legibus & jure ſuo vixit: tamen omnia ei feliciter non evenerunt. Aliquando enim á Philiſtæis, aliquando ab Ammonitis, aliquando á Madianitis victa & vexata fuit; tandem veró Babyloniis & Perſis, imperioſis ſané dominis ſervivit. Tota felicitas temporaria hoſtium tunc fuit; &

tamen hęc vera fuit Ecclesia. Deinde cúm Judæorum Ecclesia fuit Catholica, Israëlitica veró schismatica; nónne Judaica ab Israëlitica sæpe oppressa est? Postea cúm ad Christianos venit Ecclesia, hac felicitate temporali multis seculis caruit. Trecentis annis sub persecutione gemuit, & immanium tyrannorum crudelitatem sensit. Quare hæc felicitas temporalis non est Ecclesiæ nota. Qualis enim hæc nota est, quę nusquam in Ecclesia per annos tam multos apparuit? Et tamen hæc Ecclesia optima & purissima fuit. Ecclesia enim, quæ postęa secuta est, non fuit in fide, in puritate, in sinceritate, in pietatis studio, & vera religione, cum hac comparanda. Postea ab Arianis, á Gotthis in Italia, á Vandalis, & Hunnis, miserè divexata Ecclesia est, etiam postquam ad Principes Christianos venit. Quoties postremó victi sunt Christiani á Turcis? num non ergo Catholici? Imó quot ab illis clades etiam ipsi Papistæ acceperunt? Testis est ipsa Varnensis pugna, cujus Papa ipse author fuit. Ei prælio Cardinalis Julianus præfuit, á Papa missus, & in eo cecidit. Quid de Papis ipsis statuemus, quibus nihil certé magis Catholicum fingi potest. Illorum tamen aliqui infelicissimi fuerunt. Bonifacius octavus post multa maleficia captus ab hoste, & in carcerem conjectus, miserè periit. Et multi alii Papæ vel veneno sublati, vel morte repentina & inusitata extincti sunt. At Papæ semper omnes maximé Catholici fuerunt. Non potest ergo hæc felicitas temporalis Ecclesiæ nota esse.

Venio nunc ad *secundum* nostrum argumentum, quod sic instituo: Ecclesia est in hoc mundo hospes, & inquilina, est peregrina, pauper, & omnibus injuriis expósita. Quare columbæ in rupibus habitanti com-

comparatur, Cantic. 2. 14. & navi fluctibus jactatæ, non tamen obrutæ;& domui in petra ædificatæ, in quam imbres vehementissimé & magno cum impetu incidunt,non tamen possunt eam dejicere. Dicitur etiam in solitudinem fugere, & ibi se ad tempus abscondere,& occultare,& splendorem suum prorsus amittere. Aliquando quieta est, aliquando in summis turbis. Unde colligitur, temporalem hanc felicitatem,de qua tam multa Bellarminus, non esse in Ecclesia Christiana quærendam,nec posse semper in eâdem inveniri.

Tertium nostrum argumentum hujusmodi est: Quæ sunt hujus vitæ commoda & ornamenta, ea nõ maximé ad veram Ecclesiam pertinent, imó impiorum potiús,quám piorum esse solent: at in istis externis hujus mundi bonis,& vitæ hujus commodis, sita est felicitas temporalis; cujusmodi sunt divitiæ, voluptas,imperium,honor,gloria, & hujus generis reliqua: ergo manifestum est, felicitatem temporalem non esse veræ Ecclesiæ notam. De minore nulla potest esse dubitatio. Major veró patet. Nam si omnia hujus vitæ commoda & ornamenta percurramus, in iis potiús reperiemus, qui ad aliam civitatẽ, hoc est,ad Satanæ Synagogam, quám in iis,qui ad civitatem Dei,hoc est,ad veram Ecclesiam pertinent. Nam & incerta sunt omnia ac fluxa, atque eam ob causam fortunæ tributa sunt. Unde Hieronymus in Isaię 38. sic scribit: *Nulla res longa mortalium est: omniq; felicitas seculi, dum tenetur, amittitur.* Et certé si velimus Ecclesiæ statũ omnib. temporib. cõsiderare; inveniemus,hanc felicitatem apud alios potiús esse solere quám apud Ecclesiam. Si enim felicitas hæc tẽporalis sit Ecclesiæ nota; fuit olim Ecclesia apud

Assyrios potiús,& Persas, & Romanos, quám apud Judæos & Israëlitas,& apud ipsos etiam Turcas potiús, quám apud Christianos. Hi enim omnes in bellis plurimum valuerunt, horum imperium latissimé propagatum est. Ecclesia veró nunquam in bello potens fuit,aut saltem nunquam cum his fuit in victoriis comparanda. Ecclesiæ enim arma πνευματικὰ, non σαρκικὰ sunt. Quis Alexandro Magno, quis Julio Cæsare in bello felicior fuit? quis tam miras victorias ab hostibus reportavit?& tamen horum utrumque Ethnicum fuisse novimus. Quare ineptum fuisse in hac nota Adversarium, manifestum est.

Quartum nostrum argumentum sequitur,quodest hujusmodi: Ethnici olim & Pagani hoc eodem argumento usi sunt contra Christianos, quo in ista causa Adversarius noster utitur contra nos: ergo tam Ethnicorum quám Christianorum Ecclesiæ hęc nota convenit. Symmachus enim quidam, de quo nos semel antea mentionem fecimus, (nempe in argumentis nostris contra secundam Bellarmini notam)& contra quem scripsit Prudentius in Epistola quadam ad Theodosium Imperatorem, quæ est Epistola 30.apud Ambrosium,hoc argumento,&nullo feré alio utitur,permanendum scilicet esse in veteri religione Romanorum, quód illorum Respublica amplissima & florentissima fuit,quãdiu Jovem, Apollinem, & alios deos coluerunt. Similiter veteres olim tyranni, Ecclesiæ persequutores, omnium calamitatum & miseriarum causam Christianis tribuere solebant. Ajebant enim,cúm eos aliqua calamitas premeret, Nos minús fortunati nunc sumus, quám olim, quia Christianos patimur, & quia non tanta religione & studio Jovem reliquosque deos colimus,

colimus, ut priús. Propter hanc causam dii nobis nunc infensi sunt. Similiter Papistę ex felicitate temporali pietatem metiuntur, & Deum sibi favere inde colligunt, quia illis bona hæc terrestria tribuit. At si Ethnici olim malé disputârunt; tum illi certé non bene, imó pessimé concludunt.

Quintum nostrum argumentum sic se habet: Si demus Adversariis, istam temporalem felicitatem esse Ecclesiæ notam; tamen adhuc incertum erit, utra Ecclesia vera sit, illorum, an nostra. Nam & hoc nomine possunt etiam Ecclesiæ nostræ sibi aliquid tribuere. Nostri enim multas victorias ab hostibus suis reportârunt; multas civitates, regiones, Respublicas possident. Sæpe Papistæ á nostris repulsam passi sunt, sæpe á nobis in prælio sunt debellati. Quare si ex hac nota velimus de Ecclesia judicare, non est quód illis magnopere cedamus. Non enim sunt illorum Ecclesiæ ita florentes & felices, ac illi nobis persuadere volunt. Nos veró non possumus non singularem Dei erga nos benignitatem agnoscere, qui tam diuturnam pacem illis regionibus concesserit, in quibus recipitur ea religio, quam nos profitemur, adeó ut illam Augustini vocem meritó usurpare possimus, quæ habetur lib. 1. de civitate Dei, cap. 7. *Quisquis non videt, cæcus; quisquis videt, nec laudat, ingratus; quisquis laudanti reluctatur, insanus est.*

Postremó, liceret mihi multa Patrum testimonia cumulare, sed paucis contentus ero. Augustinus lib. 2. de civitate Dei cap. 23. hæc verba habet: *Ne magni pendamus terrenam felicitatem, quæ malis etiam plerumque conceditur; nec eam rursus quæsi malam arbitremur, cùm etiam in ea multos pios ac bonos unius veri Dei cultores præpolluisse videamus.* Idem etiam in lib. 1. de

civitate Dei, cap. 8. sic scribit: *Placuit divinæ providentiæ præparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti; & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona & mala utrisq; voluit esse communia, ut nec bona cupidiùs appetantur, quæ mali quoq; habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumq; afficiuntur.* Alio etiam loco idem Augustinus istam felicitatem infelicem vocat. Possem alia adhuc testimonia proferre, sed in hac causa minùs necessaria sunt. Satis jam, opinor, ex his quæ dicta sunt constat, temporalem felicitatem falsæ potiùs, quàm veræ Ecclesiæ notam esse. Ita nos tandem omnes istas tam multas Adversarii notas percurrimus. Sequitur nunc, ut nostras notas proponamus; quod longam sanè orationem postulat.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

In quo nostræ notæ proponuntur.

BEllarminianas Ecclesiæ notas accepimus, easque non esse tales, quales nos quærimus, ex superiori disputatione satis, ut opinor, intellexímus: nunc consequens est, ut ad nostras notas veniamus. Fuimus forsan in superioribus longiores, quàm par erat: sed causæ magnitudo id postulabat. De nostris verò notis sic disputabo, ut primò Adversariorum calumnias respondeam; deinde quæ notæ á nostris re verâ proponuntur, doceam; easque veras esse notas, argumentis solidis demonstrem. Et hîc primò quidem Adversariorum argumenta, quibus contra nostras notas uti solent, diluam: tùm deinceps nostra argumenta proponam. Adversarii nobis in tota hâc causa summam inconstantiam, & opinionum varietatem objiciunt;

objiciunt; at ex iis, quæ nos suprá diximus, satis constat, hanc reprehensionem ad illos magis quám ad nos pertinere; eosque, quod ad hanc rem attinet, in majori opinionum varietate versari, quám nos. Sed nostrorum hominũ hac de re opiniones videamus. Lutherus in lib. de Concil. & Eccles. septem Ecclesiæ notas proponit. Quarum *prima* est, Evangelii pura & sincera prædicatio. *Secunda* est, Baptismi legitima administratio. *Tertia* est, Eucharistiæ usus legitimus. *Quarta* est, authoritas clavium. *Quinta* est, Ministrorum ordinatio. Staplet. lib. 1. de princ. doct. c. 17. de his Lutheri notis verba faciens, pro Ministrorum ordinatione posuit verbi ministerium; sed in hoc fallitur; nam ea prima nota est. Quid enim aliud est verbi ministerium, quám Evangelii prædicatio. *Sexta* est, oratio publica, psalmodia, & Catechismus. *Septima* est, mysterium crucis, hoc est, persecutio. Has quidem notas Lutherus ibi proponit, & etiam alibi. Sed tamen idem Lutherus in eodem loco ingenué fatetur, non esse omnes istas notas perinde necessarias; sed primam tantúm simpliciter necessariam esse; reliquas veró omnes præter primam abesse posse, & tamen Ecclesiam Catholicam esse. Sic enim scribit diserté: *Si nullum aliud signum posset conspici præter hoc unicum* (loquitur autem de primo:) *tamen satis esset hoc, ad convincendos animos, quód ibi sit Ecclesia sancta Catholica.* Unde manifestum est, eum non similiter de istis omnibus notis judicâsse. Posse enim ECCLESIAM esse ait sine his omnibus, exceptâ primâ. Quod veró contra Lutherũ objicit Bellarminus, caviſse eum seduló, ne aliquã earum notarum reciperet, quæ sunt in Symbolo Constantinopolitano propositæ: falsa calumnia est. Nã omnes recipit.

Prima enim illa Lutheri nota, nempe Evangelii purę prædicatio, facit ut Ecclesia sit una, sit sancta, sit Apostolica, sit Catholica; quæ quatuor illæ notæ sunt, quarum mentio fit in Symbolo Constantinopolitano. Non est necesse, ut alias Doctorum nostrorum opiniones recenseam, quorum alii plures, alii pauciores notas constituunt, nec tamen propterea dissentiunt. Idque dupliciter intelligi potest. *Primó*, aliqui notas dividunt, quæ conjunctæ unam tantúm notã constituunt. Nonnullæ enim notæ, quæ á nostris separatim positæ sunt plures, si ad unam communem notam revocentur, non nisi una sunt. Exempli gratiâ; Lutherus Baptismum & Eucharistiam pro duabus notis posuit. At alii hæc duo communi quadam appellatione ad unam notam revocant, nempe ad legitimam Sacramentorum administrationem. Similiter Lutherus Evangelii prædicationem, & orationem, ac Catechismum, duas notas facit. At alii non nisi unam. Nam invocatio, & Catechismus, ad Evangelii prædicationem pertinent. Jam Adversarii nodum in scirpo quærunt, cúm hîc dissensionem aliquam invenire conãtur. Possunt enim hæ omnes Lutheri notæ ad tres, aut duas, aut unam revocari. *Secundó*, quidam é nostris notas aliquas non essentiales & perpetuas proponunt, sed quæ sunt ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, & mutabiles. Sic crucem Lutherus Ecclesiæ notam ponit, quia crux plerumque Ecclesiæ comes esse solet. Alii solummodó essentiales & perpetuas notas statuunt. Et sic omnes feré nostri duas Ecclesiæ notas faciunt, quarum prima est verbi sincera prædicatio, secunda est sincerus usus Sacramentorum. Sic Confessio Augustana art. 7. Sic Confessio VVirtembergensis in cap. de Ecclesia. Sic Calvinus lib. 4 Institut.

Institut. cap. 1. sect. 9. & 10. Non est ergo, quód nobis Adversarii objiciunt opinionum varietatem, cúm re verâ una eademque sit Doctorum nostrorum hac de re sententia. Nostra enim hæc sententia est, Ecclesiæ notas numero duas esse, nempe puram & sinceram verbi prædicationem, & legitimum Sacramentorum usum; ubi hæ duæ notæ sunt, ibi veram esse Christi Ecclesiam. Tamen hanc posteriorem notam, si absoluté loqui velimus, non esse absoluté necessariam dicimus. Legitimus enim Sacramentorum usus est appendix tantúm puræ prædicationis verbi. Si ergo strictè loquamur, una duntaxat est Ecclesiæ nota, nempe pura verbi prædicatio; sin explicatiús & apertiús loqui velimus, duas Ecclesiæ notas possumus statuere, ut priús.

Sed hîc cautiones quædam necessarió sunt adhibendæ, quarum *prima* hæc erit: Verbum Dei potest aliquando magis puré, aliquando minús puré prædicari, quemadmodum Lutherus diserté scribit. Quid ergo? non erit vera Ecclesia, si quicquam non puré doceat? si non sinceré de omnibus religionis capitibus sentiat? si religionis dogma aliquod corrumpat? Absit. Imó potest Ecclesia esse, etsi parum sinceré de quibusdam fidei & religionis partibus sentiat, etsi quædam non puré doceat, modó illa non sint fundamentalia. Est enim illud inprimis curandum, ut quæ sunt fidei & religionis fundamenta, salva maneant. Si enim fundamentale aliquod dogma tollatur, Ecclesia statim corruit; sin verò fundamentum firmum sit, etsi huic palea, vel stipula, vel fœnũ superstruatur, quemadmodum Apostolus loquitur; salva tamen nihilo minús Ecclesia esse potest.

Secunda cautio est, posse Ecclesiam ad tempus eti-

am aliquod fundamentale dogma ignorare. Quid enim magis ad fidei & religionis fundamentum pertinet, quàm articulus de Christi resurrectione? & tamen de hoc articulo ad tempus dubitârunt etiam Apostoli ipsi, quibus nullus omnino hominum coetus meliús unquam institutus fuit. Petrus enim, cùm Christum resurrexisse audivit, obstupuit continuó, nec rumori fidem adhibuit, sed unâ cum Joanne ad sepulchrum cucurrit. Thomas verò, etiam postquàm conspectum fuisse á quibusdam Christum famâ accepisset: tamen aperté professus est, se nunquam creditum, nisi digitos in vulnera ejus injicere liceret. Unde manifestum est, eos hunc articulum certâ fide non tenuisse. Sed illa Ecclesia in hoc errore pertinax non fuit. Sic possunt quidam articuli fundamentales ad tempus nebulâ quodammodo obduci, qui postea sole illucescente illustrabuntur. Ex quib. colligimus, Ecclesiam ad tempus etiam in fundamentis quibusdam errare posse, & tamen salvam esse.

Tertia cautio hęc est: Ecclesias totas non esse ex uno aut paucis ęstimandas, ne quidem Pastoribus. Nó enim sequitur, Ecclesiam continuó esse hęreticam, si ejus Pastor aliquis sit in aliquo dogmate hęreticus; nec tota continuó Ecclesia damnanda est, si multi in eâdem de nonnullis fidei partibus parũ sinceré sentiant. Nescimus enim, an omnium eadem sententia sit. Ob eamq; causam non ausim omnes Lutheranorum Ecclesias damnare. Nam etsi Jacobum Andream, & Osiandrum, & Pappum, jure damnandos esse sentio; quia illi sunt in erroribus suis pertinacissimi: tamen absit ut totas Ecclesias similiter damnemus; quia an pleriq; cum illis sentiant, nescimus. Sunt autẽ Ecclesiæ ex parte maxima æstimandæ, & ex eo quod commu-

communissimé & latissimé tenetur, non ex paucis.

Quarta cautio hæc est, Sacramentorum usum non esse semper & simpliciter necessarium, sed posse ad tempus intermitti, salvâ interim & incolumi Ecclesiâ. Hoc Ecclesiæ Israëliticæ exemplo confirmari potest, in qua per totos quadraginta annos intermissam esse circumcisionem legimus, propter perpetuam peregrinationem. Sic si hodie pii non possent liberos suos baptizare, vel cœnam Domini celebrare; tamen si verbi ministerium haberent, essent nihilo minús Ecclesia. Non enim sequitur, ex Sacramentorum defectu, Ecclesiam, religionem & fidem omnem everti. Quanquam nunc nobis tam facile est habere Sacramenta, quám verbum. Sed Sacramenta non sunt simpliciter tam necessaria, quám verbum. Sunt enim Sacramenta sigilla tantúm eorum bonorum, quæ nobis in verbo proponuntur: sigilli veró appositio ad rem nihil addit, sed ad rei duntaxat modum. Si sigillum deperdatur, res tamen nõ continuó amittitur. Non enim nobis negotium est cum callido aliquo mercatore, ut fraudem metuamus; sed cũ Deo ipso, qui fallere non potest. Non est ergo quód de salutis promissionibus nobis ab illo factis dubitemus, etsi sigilla non habeamus. Sed si nullum necessarium impedimentum fuerit, quó minús administrari possint Sacramenta: tum illa etiam necessaria esse affirmamus, nec esse ullo modo omittenda; quia Christus ea instituit, mandavit, & nobis necessaria esse vidit. Ergo, in Ecclesia constituta, cum verbi prædicatione etiam Sacramentorum administratio conjungi debet. Quare nos has demũ duas Ecclesiæ veras propriasq; notas statuimus, has agnoscim⁹, has defendimus. Sũt etiam inter nos nonnulli, qui tertiã

notam addunt, nempe disciplinam Ecclesiasticam. Sic Beza in lib. confess. c. 5. art. 7. Sic Danæus in præfat. com. in 1. Tim. Si per disciplinam, certam quandã & perpetuam gubernationis Ecclesiasticæ formam per Presbyteros, & per excommunicationem, intelligant, falli eos existimo. Potest enim sine his Ecclesia esse. Et schismatici nostrorum temporum nullo modo audiendi sunt, qui nostras Ecclesias damnãt, easque non esse veras Ecclesias vociferantur, quód disciplinâ illâ careamus, quæ Apostolorum temporibus fuit. Excommunicationem quidem juxta verbi divini canones administratam plurimúm valere, & formam illam regiminis, quæ tempore Apostolorum erat, valde egregiam fuisse, quis negat? non tamen continuó sequitur, aut hanc aut illam ita esse necessariam, ut non sit sine illis Ecclesia. Tum enim florentissimas Ecclesias damnaremus, ut Ecclesiam Tigurinam, Ecclesiam Bernensem, & alias. Sed de disciplina aliâs; eam nunc in medio relinquemus; & his duabus notis contenti erimus, quas nostri fere omnes proponunt, nempe purâ verbi prædicatione, & legitimâ administratione Sacramentorum. Si quis tertiam adjungat disciplinam, non ut perinde necessariam, non admodum repugnamus. Ut enim civitas, ita Ecclesia sine iis esse non potest, quæ ad ejus salutem & necessitatem spectant: at esse potest sine iis, quæ ad ejus tantúm incolumitatem pertinent, etsi non tam bene. Has veró duas, veras, certas, proprias, & genuinas Ecclesiæ notas esse affirmamus, & symbola Ecclesiæ essentialia ac perpetuá; non quales sunt Papisticæ notæ, quæ incertæ, impropriæ, & minimé genuinæ sunt, quemadmodum antea accepimus. Hujusmodi veró Ecclesiæ notas habeamus necesse

cesse est; alioqui cognitio nostra semper incerta erit. Cúm enim rem aliquam certó cognoscere, & ex suis notis deprehendere cupimus; non quasdam leves, incertas, fluxas, mutabiles notas; sed certas, & æternas, & rei proprias, & in natura rei insitas, quærere oportet, ut eo modo cognitio nostra certa esse possit. Nam cognitio nostra ex causis mediisque oritur. Qualia ergo media & causæ sunt cognitionis nostræ, talem cognitionem nostram esse, necesse est; si hæc certa fuerint, & illustria; cognitio nostra certa erit; sin minús, incerta. Jam verò utrúm Papistæ volunt Ecclesiam veré & accuraté designare, an leviter, & probabiliter? Si priori modo; tum ad ipsam Ecclesiæ definitionem veniendum est, & quemadmodum vera Ecclesia definiatur, videndum. Quæ enim definiunt, ea denotant Ecclesiam, eaque sola certó denotant. Sunt signa probabilia, quæ ab Aristotele εἰκότα vocantur; sunt etiam necessaria, quæ τεκμήρια dicuntur. Nos τεκμήρια, non εἰκότα quærimus; quia falli nolumus, sed rem certó tenere. Papistarum verò notæ, non propriæ, & certæ, sed communes, & incertæ sunt; quæ nos fallant, & in errorem ducant necesse est. Si quis velit scire, quid canis, quid leo, quid equus, quid aquila sit: ex quibus signis cognoscet? Num qui nunquam equum viderit, ex communibus quibusdam notis intelliget, quid sit equus, nempe ex cauda, vel ex eo, quód habeat quatuor pedes, quæ statim in sensus incurrunt? nequaquam. Hæc enim aliis præterea multis animalibus communia esse novit. Necesse ergo est, ut accuratiús pauló, quæ sit equi natura, exquirat, quæ non nisi ex ejus definitione elici potest. Atq; hoc quidem interest inter vulgus, & homines eruditos, quód vulgus ex sensibus &

notam addunt, nempe disciplinam Ecclesiasticam. Sic Beza in lib. confess. c. 5. art. 7. Sic Danæus in præfat. com. in 1. Tim. Si per disciplinam, certam quandã & perpetuam gubernationis Ecclesiasticæ formam per Presbyteros, & per excommunicationem, intelligant, falli eos existimo. Potest enim sine his Ecclesia esse. Et schismatici nostrorum temporum nullo modo audiendi sunt, qui nostras Ecclesias damnãt, easque non esse veras Ecclesias vociferantur, quód disciplinâ illâ careamus, quæ Apostolorum temporibus fuit. Excommunicationem quidem juxta verbi divini canones administratam plurimúm valere, & formam illam regiminis, quæ tempore Apostolorum erat, valde egregiam fuisse, quis negat? non tamen continuó sequitur, aut hanc aut illam ita esse necessariam, ut non sit sine illis Ecclesia. Tum enim florentissimas Ecclesias damnaremus, ut Ecclesiam Tigurinam, Ecclesiam Bernensem, & alias. Sed de disciplina aliâs; eam nunc in medio relinquemus; & his duabus notis contenti erimus, quas nostri ferè omnes proponunt, nempe purâ verbi prædicatione, & legitimâ administratione Sacramentorum. Si quis tertiam adjungat disciplinam, non ut perinde necessariam, non admodum repugnamus. Ut enim civitas, ita Ecclesia sine iis esse non potest, quæ ad ejus salutem & necessitatem spectant: at esse potest sine iis, quæ ad ejus tantúm incolumitatem pertinent, etsi non tam bene. Has verò duas, veras, certas, proprias, & genuinas Ecclesiæ notas esse affirmamus, & symbola Ecclesiæ essentialia ac perpetuá; non quales sunt Papisticæ notæ, quæ incertæ, impropriæ, & minimé genuinæ sunt, quemadmodum antea accepimus. Hujusmodi verò Ecclesiæ notas habeamus neces-

cesse est; alioqui cognitio nostra semper incerta erit. Cúm enim rem aliquam certó cognoscere, & ex suis notis deprehendere cupimus; non quasdam leves, incertas, fluxas, mutabiles notas; sed certas, & æternas, & rei proprias, & in natura rei insitas, quærere oportet, ut eo modo cognitio nostra certa esse possit. Nam cognitio nostra ex causis mediisque oritur. Qualia ergo media & causæ sunt cognitionis nostræ, talem cognitionem nostram esse, necesse est; si hæc certa fuerint, & illustria; cognitio nostra certa erit; sin minús, incerta. Jam verò utrúm Papistæ volunt Ecclesiam veré & accuraté designare, an leviter, & probabiliter? Si priori modo; tum ad ipsam Ecclesiæ definitionem veniendum est, & quemadmodum vera Ecclesia definiatur, videndum. Quæ enim definiunt, ea denotant Ecclesiam, caque sola certó denotant. Sunt signa probabilia, quæ ab Aristotele εἰκότα vocantur; sunt etiam necessaria, quæ τεκμήρια dicuntur. Nos τεκμήρια, non εἰκότα quærimus; quia falli nolumus, sed rem certó tenere. Papistarum verò notæ, non propriæ, & certæ, sed communes, & incertæ sunt; quæ nos fallant, & in errorem ducant necesse est. Si quis velit scire, quid canis, quid leo, quid equus, quid aquila sit: ex quibus signis cognoscet? Num qui nunquam equum viderit, ex communibus quibusdam notis intelliget, quid sit equus, nempe ex cauda, vel ex eo, quód habeat quatuor pedes, quæ statim in sensus incurrunt? nequaquam. Hæc enim aliis præterea multis animalibus communia esse novit. Necesse ergo est, ut accuratiús pauló, quæ sit equi natura, exquirat, quæ non nisi ex ejus definitione elici potest. Atq; hoc quidem interest inter vulgus, & homines eruditos, quód vulgus ex sensibus &

ex forma externa res solet judicare, & in aspectu ac sensuum judicio acquiescere: at docti & eruditi ex internis & essentialibus proprietatibus omnia æstimant; nec in rebus externis, quæ sensibus objiciuntur, acquiescunt; sed ad causas internas sese convertunt. Sic quæstio inter nos & Adversarios est, quæ sit vera & Catholica Ecclesia, & ubinam tandem illa sit. Hoc ut meliús intelligamus, Ecclesiæ notas quærimus. De illis veró non minús acriter litigamus. Si enim illas compertas haberemus: quænam vera Ecclesia esset, minimé dubitaremus. Adversarii externas quasdam species, & simulacra, seu potiús larvas quasdam nobis proponunt; exempli gratiâ, quæ Ecclesia vocatur Catholica, & Apostolica, quæ habet successionem hominum qui se vocant Episcopos, & quæ sunt hujusmodi, eam esse veram Ecclesiam. Sed hæ fallaces notæ sunt, & incertæ, nec fidem faciunt; quia causas rei non continent. Nos ergo quid faciat Ecclesiam, quærimus, & inde Ecclesiæ notas colligimus. Ex illis enim rebus, ex quibus Ecclesia sit & constat, Ecclesiam facilé possumus dijudicare. Jam veró quia sincera verbi prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio, Ecclesiam constituunt; adeó ut ubicunque hæc fuerint, ibi sit Ecclesia; ubi non fuerint, ibi non sit Ecclesia; ergo dicimus has esse solas Ecclesiæ veras notas. Hæc nostra est de notis Ecclesiæ sententia: nunc ad disputationem veniamus.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

In quo Adversariorum argumenta contra nostras notas diluuntur.

DE statu Quæstionis satis multa diximus: nunc ad Bellarminum redeamus. Is in lib. 4. cap. 2. de

de Concil. & Ecclesia, nostras notas aggreditur, easque oppugnat dupliciter. *Primó*, in genere conjunctim, *deinde* in specie particulatim. In genere unum duntaxat argumentũ proponit. Ait nimirũ, has notas non esse ullo modo sufficientes. Quid ita quæso? Quia ex his notis (inquit) scire non possumus, qui sint electi, vel justi. *Respondeo:* hanc esse fallaciam ἀπὸ τοῦ ἀγνοίας τὸ ἐλέγχειν. Non enim ad causam argumentatur. Quæstio non est de notis invisibilis Ecclesiæ, quæ simpliciter Catholica dicitur, & ex electis tantúm constat: sed de Ecclesiarum particularium visibilium notis, in quibus multi sunt non electi, & non justi. Quærimus enim, unde intelligamus, hanc vel illam particularem visibilem Ecclesiam, esse veram Christi Ecclesiam, ad quam tutó possimus nosmetipsos adjungere. Ecclesiæ Catholicæ simpliciter dictæ notas, soli Deo cognitas esse dicimus; sed esse notas quasdam Ecclesiarum particularium affirmamus, & eas nobis cognitas esse. Quanquam ergo in cœtu illo, ubi Evangelium puré prędicatur, & Sacramenta legitimé administrantur, hoc est, in externis visibilibus Ecclesiis, ignoramus qui electi, qui justi sint: tamen propter hanc puram prædicationem, scimus ibi esse Ecclesiam, & per consequens ibi esse electos aliquos, sed hos Deo, non nobis notos esse. Qui enim electi sint, qui non electi, Deo relinquimus. Adversarius ergo scopum non attingit. Atque hactenus de generali Bellarmini argumento, quo contra duas illas notas á nobis propositas conjunctim utitur. Nunc ad ejus particularia argumenta veniamus. Ergo sinceram verbi prædicationem non esse Ecclesiæ notam, Bellarminus tribus rationibus probat.

Prima ejus ratio est hujusmodi. Notæ non debent esse communes, sed propriæ illi rei, cujus sunt notæ. Exempli gratiâ: Si velim (inquit) certum hominem tibi designare, quem nunquam vidisti, non debeo eum sic describere, quód habeat duos oculos, vel duas manus; nam hæc sunt omnibus hominibus communia. *Respondeo:* Ita plané fieri oportet. Sed hæc regula omnes Bellarmini notas tollit; quæ non propriæ, sed communes sunt. Hinc ergo ego inferre possum, nullam notam á Bellarmino propositam, veram esse. Non enim certiús ex illius notis Ecclesiam intelliges, quám hominem ignotum, quem nunquam videris, ex communibus istis notis, quarum nuper mentio facta est. Jam ergo constat, notas á Bellarmino intelligi proprias, quæ in nulla alia reinveniri possunt; quod arguit nostras notas veras esse. Sed Bellarminus subjungit: Neq; etiam debeo eum designare per notas, quæ propriæ sunt secundúm rem, tamen non sunt propriæ opinione aliorum, cúm multi sibi illas vendicare soleant. Quid ita quæso? Quia sic (inquit) nunquam ille, qui quæritur, inveniretur. Hinc vult inferre, Ecclesiam similiter non esse ex ejusmodi notis describendam, quas alii sibi vendicant, & ad se pertinere contendunt. *Respondeo:* falsissimam hanc regulam esse. Nam qui vult alium designare, functus est suo munere, si illum suis propriis notis designaverit, etsi eas alii sibi vendicent. Nam quid si nullas habeat notas, quas non aliqui sibi vendicant, aut saltem vendicare possunt: non est ille ex suis notis designandus, quia hæ notæ ab aliis vendicantur? Quám hoc ridiculum? Ita suis notis designanda & describenda est Ecclesia, etsi multi Ecclesiæ hostes eas sibi falsó vendicent. Boni & solertis

tis æſtimatoris eſt, veras notas & proprias ab adulterinis diſtinguere, etſi hæ veræ notæ ab aliis vendicentur. Ut ſi quisquam in ſeditione, quis verus & legitimus Rex ſit, neſciat; cúm multi ſint, qui faſces & ſceptrum ſibi ſumunt, & diadema geſtant, & regium honorem ad ſe rapiunt: non debet is ex multorum opinione, aut ex faſcibus, & ſceptro, & diademate, aliisq; hujusmodi externis ſignis, Regem æſtimare, ſed ex cauſis, quæ Regem conſtituunt. Quid ergo ei faciendum eſt, ut has cauſas inveniat? Leges videndæ & conſulendæ ſunt, hinc quis verus & genuinus ſit Rex, facilé poteſt intelligere. Egóne verum Regem non ſequar, quia alii eum pro Rege non agnoſcunt; aut quia alii etiam legum prætextu regnum ſibi vendicant? Abſurdum. Multorum enim opinio cum veritate pugnare poteſt. Similiter hoc tempore, quaſi in communi quadam ſeditione, de Eccleſiæ finibus & poſſeſſione dimicamus, & quæ vera ſit Eccleſia, quærimus. Hac de re perpetua jamdiu inter nos & Adverſarios bella extiterunt. Quid? num hîc ſequenda multitudo eſt, & ex communi hominum opinione, de Eccleſia judicandum? nequaquam. tum enim fieri poteſt, ut ad falſam & adulterinam Eccleſiam nosmet adjungamus. Sed cauſæ Eccleſiæ ex verbo inveſtigandæ ſunt, eæq; veræ; etſi illæ ſint ejusmodi, quas Synagoga aliqua Satanæ vendicat, & ſibi aſſumit, ſed falſó. Non ergo ex communibus, ſed ex propriis notis deſignanda Eccleſia eſt; quantumvis eas ſibi multi rapiant. Videndum enim eſt, num jure poſſideant. Si non habeant re verâ; nil refert, an ſe habere dicant. An tu aurum non agnoſces ex propriis notis, quia cuprum eas ſibi ſua opinione vendicat? aut argentum, quia ſtannum ei ſimile eſt? De-

buit Bellarminus hanc regulam probare; alioqui non potest illa causæ nostræ præjudicare. Nulla enim ratio est, cur res aliqua suas veras notas abjudicet, quia illæ notæ falsó aliis rebus tribuuntur. Hæc de majori propositione primi argumenti dixisse sufficiat: nunc ad minorem veniamus. Jam veró (inquit Bellarminus) sincera prædicatio veritatis, est nota communissima omnibus sectis. *Respondeo*: nihil aut falsius, aut absurdius, dici potuisse. Nam sincera veræ doctrinæ prædicatio, ita propria est unius Catholicæ Ecclesiæ, ut nullis sectis communis sit. Non enim essent sectæ, non hæreses, si veritas passim sincerè prædicaretur; quæ eam in se vim habet, ut hæreses ac sectas omnes tollat & profliget, adeó ut illæ cum hac simul consistere non possint. Nam hæresis est contraria sinceræ prædicationi: ergo sincera prædicatio omnino ab Ecclesiis hæreticis aliena est. Sed addit Bellarminus, Saltem opinione ipsarum. Videbat scilicet, quod priús dixerat, absurdum fuisse, atque ideo hanc clausulam subjunxit, Saltem ipsarum opinione. Sed quid hoc ad rem? num Ecclesiæ suas notas detrahemus, quia aliquæ sectæ eas sibi falsó vendicant & assumunt? Nihil dici potuit á ratione alienius. Ita enim nullæ erunt notæ Ecclesiæ, quia hæretici possunt eas omnes sibi vendicare. Perinde certé hoc est, ac si vestem tuam non esse tuam quis dixerit, quia latrones eam sibi vendicant, & te ea spoliare conantur. Non ergo attendendum est, quid hæc aut illa secta mentiatur; sed rei ipsius natura diligenter consideranda est. Nam etsi hæretici affirmant, se puram verbi prædicationem habere: tamen mentiuntur, ac proinde solidis argumentis ex ipsa veritate sumtis refellendi & damnandi sunt.

Eccle-

Eccleſiæ verò ſua ornamenta relinquenda. Sed Bellarminus pergit in argumento ſuo, & ſic ſcribit: Prædicatio hæc (inquit) vel debet eſſe pura ab omni errore, vel ſaltem ab erroribus eſſentialibus & fundamentalibus. Sic eſt; quid tum? Ille neutro modo Eccleſiæ notam eſſe contendit. Hoc ſi probaverit, aliquid efficiet. Videamus ergo quomodo id probet. Si detur primum (inquit:) ex hac ipſa nota colligemus, apud nullos Lutheranorum Eccleſiam eſſe. Quid ita quæſo? Quia (inquit) Lutherus ipſe ait, poſſe eſſe in Eccleſia multos in doctrina nævos, & tamen Eccleſiam eſſe; & Lutherani etiam fatentur, ſuas Eccleſias non carere nævis. *Reſpondeo:* puram omni ex parte ſtatui prædicationem ſine aliquo errore, difficile eſt; nec nos hujusmodi prædicationem intelligimus, ſed quæ in præcipuis & fundamentalibus pura ſit. Suprá docuimus, eſſe in pura verbi prædicatione magis & minus; tamen curam ſemper adhibendam eſſe, ut fundamenta ſalva teneantur. Nam ſi ſalvo fundamento ſtipula, aut palea ſuperſtruatur, erit nihilo minús Eccleſia: ſed ſi ſemel ipſum fundamentum ſublatum fuerit, actum continuó eſt de Eccleſia. Quæ verò ſint fundamentalia, non eſt nunc dicendi locus. Sunt quidem, ut breviter dicam, articuli fidei maximé ad ſalutem neceſſarii, quibus fides noſtra nititur, quemadmodum domus ſuo fundamento. Quin & circa hos etiam nævi aliqui eſſe poſſunt, ut tamen fundamenta ipſa ſalva interim & integra maneant. Ut, Deum condidiſſe omnia, fundamentum eſt: ſimul autem omnia condidiſſe, ut ait Auguſtinus, nævus eſt. Similiter Chriſtum ex virgine natum eſſe, fundamentum eſt: clauſo verò utero natum

esse, nævus est. Denique vitam æternam esse, fundamentum est: sed par futurum esse gaudium omnium piorum, nævus est. Fundamentis hujusmodi sublatis, tollatur Ecclesia necesse est: at nævi istiusmodi Ecclesiam continuó non tollunt. Ergo Manichæi, Marcionitæ, Athei, servari nullo modo possunt, quia fundamenta tollunt: Patres veró possunt, quia in levioribus erroribus pleriq; illorum versati sunt. Quare sufficere dicimus, si in articulis fidei summis, primariis, præcipuis, veritas retineatur. *Postea* adalterum distinctionis suæ membrum accedit Adversarius, & probat, per puram verbi prædicationem, non posse intelligi puram prædicationem in fundamentalibus, quia tum (inquit) erit nota communis multis sectis. Nam Pelagiani nominatim (inquit) de primariis fidei articulis non disentiebant, antequam Nestorianos peperissent; & tamen Lutherani & Calvinistæ nullos magis quám Pelagianos execrantur; & nos (inquit) ideo potissimum ponunt extra Ecclesiam, quia Pelagianos esse putant. *Respondeo*: Si fundamentale aliquod & essentiale fidei principium eversum vel cõvulsum fuerit, Ecclesia dici veré non potest: atqui certé aut quævis hæresis destruit & evertit fundamentale aliquod fidei principium, aut hæreticus potest esse salvus. Servari enim possunt, qui in fundamento ædificant, etiam lignum, fœnum, vel stipulam. Scire igitur velim ab Adversario primó, num existimet, omnem hæresin pugnare cum fundamento, nécne: si non: iterum quæro, utrúm non existimet omnem hæreticum extra Ecclesiam esse, & sic per consequens ab omni spe salutis excludi? Hoc ipsi viderint. Nam si hæreticus necessarió á salute excludatur, hoc fit, quia fundamentum aliquod evertit.

tit. Nisi enim fundamentum aliquod convellat & evertat, salvus esse potest. Ergo Pelagiani, si hæretici fuerunt, fundamentum aliquod everterunt; & sic falsum illud est, quod Bellarminus ait, eos in primariis articulis ab orthodoxis non dissensisse. Nam articulum de morte Christi corruperunt, quia vim mortis Christi sustulerunt. Mortuus enim Christus est, ut nobis Deum reconciliaret, ac propitium faceret; at Pelagiani docuerunt, hominem per se posse Deo placere, & legem servare, & suis operibus vitam æternam mereri ac obtinere. Ergo tollunt illum articulum de morte Christi. Papistæ cum Pelagianis hac in re pulchré conveniunt, quemadmodum nos suo loco, Deo volente, docebimus. Deinde subjungit Bellarminus, si puram hanc verbi prædicationem hoc secundo modo sumamus, hoc est, si de fundamentalibus fidei principiis intelligamus, hanc etiam notam convenire omnibus hæreticis, opinione sua. Quæ enim secta unquam fuit (inquit) quæ non diceret se habere sinceram prædicationem veritatis? Sic Augustinus in libro contra Epistolam Fundamenti ait, hæreticos nihil habere, nisi pollicitationem veritatis. Sed *respondeo:* Etsi hæc nota opinione cõmunis sit: tamen reverâ unius tantúm, hoc est, Ecclesiæ, propria est. Non possumus nos quidem prohibere, quin opinentur hæretici, quod volunt. Qui phrenitide laborant, ii putant multa esse, quæ non sunt. Similiter hæretici & schismatici omnes deliramt; & multa opinione sua fingunt, quæ nullo modo ita se habere possunt. Et certé si hæc communitas sit ratio satis firma, cur pura verbi prædicatio non sit vera Ecclesiæ nota; tum nullæ notæ veræ erunt; ne Bellarminianæ quidem: nam & illas

etiam hæretici sibi possunt vendicare. Si illud interesse dicant, quód hæretici falsó sibi has notas vendicent, ipsi autem veré: idem de nostra hac nota responderi potest. Dicunt se habere hæretici, sed non possunt demonstrare. Propriæ illæ & præcipuæ Ecclesiæ notæ, quæ in Symbolo Constantinopolitano habentur, sunt hę quatuor, *una, sancta, Apostolica, Catholica*, quas Adversarii ubiq; solent prædicare: tamen has etiam notas hæretici sibi vendicare possunt. Nos enim, quos illi pro hæreticis habent, has omnes notas nobis vendicamus. Et quæ, quæso, secta est, quæ non dicat, se unam, sanctam, Apostolicam, Catholicam Ecclesiam esse? Ergo si Bellarmino credamus; & hæc etiam quatuor, notæ esse desinunt.

Secundum speciale Adversarii argumentum, contra primam nostram notam, sic proponitur. Notæ debent esse notiores ea re, cujus sunt notæ; alioqui enim non sunt notæ, sed ignotæ. Nos hoc libenter agnoscimus. Nam propter quod aliquid cognosco, id notius sit necesse est eo, quod propter illud cognosco. Hinc assumit Adversarius: At prædicatio verbi non est notior Ecclesiâ. Unde vult concludere, verbi prædicationem non esse Ecclesiæ notam. Assumtionem ut probet, utitur distinctione quadam, quæ est hujusmodi: Prædicatio aut est externa tantúm, hoc est, á receptione separata (ut illius verbo utar:) aut cum receptione conjuncta. Externam duntaxat verbi prædicationem Adversarii (inquit) Ecclesiæ notam esse non volunt, sed prædicationé cum receptione conjunctam. Ibi enim dicunt veram Ecclesiam esse, ubi prædicatur, auditur, & creditur verbum. At quis nosse potest (inquit) ubi veré credatur verbum? *Respondeo*: Etsi in specie statuere non possumus,

mus, á quibus verbum veré recipiatur & credatur: tamen possumus certó statuere, ubicunq; verbum puré prædicatur, esse ibi aliquos, qui recipiant. Nam Dei verbum nunquam otiosum est, juxta illud Christi, *Oves meæ vocem meam audiunt.* Rete hoc semper aliquos pisces capit. Quare quam Bellarminus externam vocet prædicationem, nescio. Nam si per externam prædicationem intelligat eam, quam nullus recipit: nos talem non agnoscimus. Prædicatio enim semper in aliquibus fructuosa est, si durationem aliquam habeat. Nusquam Paulus minori cum fructu prædicavit, quám Athenis: tamen valuit tum etiam verbum apud Dionysium, & Damarim, ut patet Act. 17. 34. Quare nos non sic distinguimus in hac causa prædicationem, quemadmodum Adversarius; sed simpliciter dicimus, publicam verbi prædicationem, si pura fuerit, Ecclesiæ notam esse. Et quamvis non possumus digito demonstrare, qui verbum sic prædicatum recipiant, & ex animo amplectantur, qui non: tamen in nulla multitudine hujusmodi prædicationem esse penitus infructuosam affirmamus. Sed externam prædicationem non esse Ecclesiæ notam, Adversarius tali argumento probat. Sine dubio (inquit) notius est, quæ sit vera Ecclesia, quám quæ sit vera prædicatio verbi. Eodem argumento utitur Stapletonus lib. 1. de princip. doctrin. cap. 19. nempe Ecclesiam esse verbi prædicatione notiorem, ac proinde verbi prædicationem non posse Ecclesiæ notam esse. Sed *respondeo* & Stapletono & Bellarmino dupliciter: *Primó*, puram verbi prædicationem esse Ecclesiâ notiorem, etsi non sensibus, & nobis, ut Philosophi loquuntur: tamen naturâ, & reipsa. Nam causa est naturâ notior suo effecto, quia

prior; & qui aliquid certé & exploraté scire cupit, in causas ejusdem rei scire debet; alioqui certam illius cognitionem assequi non potest. Ergo nos ad causas converti oportet, & ex causis rem quamq; cognoscere. At pura verbi prædicatio est causa veræ Ecclesiæ, (efficit enim ut Ecclesia sit:) ergo prior & naturâ notior est ipsâ Ecclesiâ. Nos quidem non tam citó videmus hanc causam, quám ejus effectum; sed quid hinc colliget Adversarius? ergóne hoc illâ notius est? non sequitur. Nam nunquam certó sciet quisquam, hanc esse veram Ecclesiam, quam videt, nisi per puram verbi prædicationem. Potest forsan suspicari, aut probabiliter opinari; at scire non potest. nam scientia ex causis tantúm nascitur. Nunquam ego certó sciam, quis Doctor Catholicus sit, nisi antea intelligam, eum sanam doctrinam prædicare, & ea dogmata tenere, quæ cum fide Catholica consentiunt. Possum opinari antea, hunc vel illum esse Doctorem Catholicum; at certâ scientiâ id comprehendere non possum, priusquam mihi de doctrina ejus constiterit. Similiter nec aliquem hæreticum esse Doctorem scire possum, nisi priús hæreticum aliquod dogma ab eo teneri & doceri scitm. Jam veró quemadmodum hunc vel illum hominem, Catholicum aut hæreticum Doctorem esse scio: ita hunc vel illum hominum cœtum, Catholicum vel hæreticum esse intelligo: at doctrina Catholica est nota Catholici Doctoris, hæretica hæretici: ergo Catholica doctrina Ecclesiæ Catholicæ nota est, hæretica veró doctrina Ecclesiæ hæreticæ. Quamobrem etsi Ecclesia sensibus nostris notior sit: tamen non antea scire possumus, hunc vel illum cœtum esse veram Ecclesiam, nisi priús quid teneat,

quid

quid credat, quid profiteatur, intelligamus. *Secundó respondeo*: hanc Ecclesiæ cognitionem, non esse sensuum, sed fidei; non ad corporis oculos, sed ad animi oculum, id est, ad fidem pertinere. Si enim oculi corporei de Ecclesiis etiam visibilibus possent judicare: tum omnes qui Ecclesiam vident, eam agnoscerent, eiq; sese primo quoquo tempore adjungerent. Et hoc si ita sit, tum quare non nos agnoscimus illorum Ecclesiam, aut illi nostrã? At scire, hanc esse Dei veram visibilem Ecclesiam, opus fidei est, sine qua hunc cœtum á Judæorum aut Turcarum cœtu distinguere non possumus. Fides veró causas quærit, & quia hîc Christi doctrina regnat, hanc esse veram Ecclesiam judicat. Quare malé Adversarii de eo quod notius est philosophantur. Sed quibus argumentis doceat Bellarminus, Eceleſiam esse verbi prædicatione notiorem, videamus. Tribus hac de re argumentis utitur.

Primum argumentum hoc est: Discimus ab Ecclesia, quæ sit vera prædicatio verbi, quæ non: ergo sine dubio notius est, quæ sit vera Ecclesia, quám quæ sit vera prædicatio verbi. Antecedens probat ex Irenæo lib. 3. cap. 4. cujus hæc verba sunt: *Quid enim etsi de aliqua modica quæstione disceptatio orta fuisset; nónne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, & ab eis sumere de præsenti quæstione, quod certum & liquidum est?* Idem etiam probat ex Tertulliano in lib. de præscript. ubi hæc verba habet: *Quid prædicaverint Apostoli, quid illis Christus revelaverit, & hîc præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt. Si hæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, & matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, reliquam veró omnem de*

mendacio præjudicandam. Hæc Tertullianus. Ex his colligere vult Bellarminus, ab Ecclesia quærendum esse, quæ sit vera verbi prædicatio: ac proinde veram prædicationem esse minús notam, quám est Ecclesia. *Respondeo* 1. Ecclesiam esse de vera fide consulendam, nemo nostrûm unquam negavit. Fatemur enim hoc esse munus Ecclesiæ, verbum Dei puré prædicare, & eos á quibus verbum puré prædicatur, audire; & horum utrumque in Ecclesia tantúm fieri. Sed tamen non ex eo sequitur, Ecclesiam esse vera prædicatione notiorem. Nam effectum nonnunquam illustrat causam, & ex effecto causa cognosci potest; sed multó meliús certiúsq; effectus ex causis illustratur & cognoscitur; quia unius effecti plures causæ sunt. Quare hoc non impedit, quó minús pura verbi prędicatio sit Ecclesiæ nota, quód Ecclesia docet, quę sit vera prędicatio. Quod ad Irenæum & Tertullianum attinet, aliosq; Patres: remittunt illi nos quidem ad Ecclesiam. sed quid? num ad quamvis Ecclesiam? nequaquam, sed ad Ecclesiam tantúm Catholicam. At unde Ecclesiam Catholicam esse sciam, nisi ex fide & doctrina Catholica? Opinari fortasse possum, aut suspicari, hanc vel illam Ecclesiam esse Catholicam, quia video eam ita celebrari á nonnullis & prædicari: sed si velim opinionem meam in solidam scientiam converti, necesse est ut sciam, sanam doctrinam in ea Ecclesia prædicari. Ex rumoribus enim nihil certi scire possum. Ecclesiam quidem quæstiones definire fateor, sed quomodo id quęso facit? certó non nisi Scripturam rectó exponendo, puréque prędicando. Sic tandem ad extremum illud veniendum est, puram prędicationem, & veros Doctores, & veram Ecclesiam facere. 2. Quám absurda

absurda hęc ratio sit, ex eo constare potest, quòd Papisticas etiam notas tollit. Nónne enim Ecclesia docet, quę sit antiquitas, successio, amplitudo, duratio, quas illi notas suę Ecclesię faciunt? Ergo si id Ecclesiâ obscurius sit, quod Ecclesia docet; tum hæc omnia sunt Ecclesiâ obscuriora, & ex consequenti non sunt Ecclesię notę. Sic bellé Bellarminus suas etiam notas hoc argumento sustulit.

Secundum Adversarii argumentum, quo probat Ecclesiam esse verbi prędicatione notiorem, hujusmodi est. Vera prędicatio est prędicatio & interpretatio verę Scripturę divinę; quę sit autem vera Scriptura, & quis ejus verus sensus, non possumus scire, nisi ex testimonio verę Ecclesię: ergo Ecclesia est verâ & purâ verbi prædicatione notior. *Respondeo*: majorem quidem veram esse. Sed quod assumit, falsum est, quemadmodum in priori nostra disputatione de Scripturis satis copiosé docuimus. Et Bellarminus ipse hac in re tum secum manifesté pugnat, tum etiam cum aliis Theologis Pontificiis. Nam antea contra alios Theologos veré docuit, objectum formale fidei, per quod scilicet, & propter quod credimus, & in quod fides nostra ultimó resolvitur, non esse testimonium Ecclesię, sed primam veritatem. Hîc autem ait, nos credere nō posse, hunc esse verum Scripturę sensum, aut hanc esse veram Scripturam, nisi ex Ecclesię testimonio; quod est falsissimum. Ita nec secum, nec cum aliis consentit. Habemus illustrius quoddam testimonium, quàm Ecclesię; testimonium scilicet Spiritus sancti, qui fidem in cordibus nostris accendit, lumenq; illud verū, sine quo nec Scripturas cognoscimus, nec magis

hunc vel illum cœtum esse veram Christi Ecclesiam intelligimus, quám esse cœtum Manichæorum, aut aliorum hæreticorum. Quare fides me hoc docet, & ea pendet non ex authoritate Ecclesiæ, aut hominis cujusquam, sed ex Dei ipsius authoritate. Hinc veram prædicationem agnoscimus, & per consequens Ecclesiam, non aliter. Quód verò Bellarminus affert Brentium, & Calvinum, & Philippum: frustra laborat. Habet quidem Ecclesia jus interpretandi Scripturas, ut illi scribunt: at interpretandi, non ut vult, sed ut Deus docuit. Non sequitur ergo hoc argumentum; Ecclesia habet jus interpretandi Scripturas: ergo est Scripturis notior. Nam non habet jus interpretandi Scripturas falsó aut hæreticé: ergo sciendum priús est, hanc esse puram prædicationem, aut nullum illi jus fuit sic interpretandi.

Tertium illius hac de re argumentum est hujusmodi. Priús debet esse notus custos thesauri, quám thesaurus; & doctor, quám doctrina; cúm á doctore petatur doctrina, non contrá: ergo potiús Ecclesia est nota veræ prædicationis, quám vera prædicatio sit nota veræ Ecclesiæ. *Respondeo:* Si de incerta & obscura cognitione loquatur Adversarius, verum aliquo modo est, quod ait: sin certam, & exploratam, & minimé dubiam cognitionem intelligat, longé aliter se rem habere affirmo. Possum forsan suspicari, aliquem esse thesauri custodem, quia sic salutatur; & aliquem esse Doctorem, quia á multis sic appellatur; sed antequam horum alterutrum certó sciam, illud mihi cognitum esse oportet, illum habere thesaurum, quem custodit, & eum doctrina præditum esse, qui Doctor appellatur. Potest enim aliquis thesauri custos dici, qui non sit custos, & Doctor appella-

appellari, qui Doctor non est. Atque hoc quidem ratio & communis experientia declarat. Si quis enim ad nos veniat literis alicujus pro prædicatore seu cõcionatore commendatus, suspicamur fortasse, aut opinamur, eum talem esse, propter literas, quas videmus, & propter testimonium, quod de illo perhibetur; sed si prædicantem & docentem audiverimus, tum eum talem esse certó scimus. Et quod de concionatore in genere dicimus, idem de Catholico & hæretico concionatore dici potest. Similiter celebratur Romana Ecclesia, & á multis Catholica creditur. Quid ergo? num ego debeo in hac communi opinione acquiescere continuó? nequaquam; nisi velim cum plerisque falli; sed debeo in doctrinam inquirere, quam Ecclesia illa profitetur; & ex hac nihil minús, quám Catholicam esse intelligam. Ita semper necesse est, ut eó tandem redeamus, puram scilicet verbi prædicationem Ecclesiæ notam esse. Atq; hoc fuit secundum Bellarmini argumentum, contra primam nostram notam.

Jam ad *tertium* venio, quod est hujusmodi: Veræ notæ sunt inseparabiles á vera Ecclesia. Hanc propositionem vehementer probo, & amplector, & hoc eodem argumento usus sum, cúm disputarem contra notas Papisticas & Bellarminianas, nempe contra antiquitatem, claritatem, amplitudinem, externam Episcoporum successionẽ, & alias hujusmodi; quód hæ non essent perpetuæ, non essentiales, non inseparabiles Ecclesiæ notæ. Fuit Papista quidam, qui mihi hoc argumentum in privato quodam colloquio objicienti responderet, me non intelligere Papistarum de hac controversia sententiam. Papistas enim non statuere notas inseparabiles, sed communia

quædam indicia & signa Ecclesiæ. Ego tum respondi, illum nescire, quid sui tenerent; Bellarminum enim aliter sentire. Quod veré á me tum dictum fuisse, ex hoc loco patet. Ait enim hîc Bellarminus apertè, omnes notas debere esse inseparabiles. Jam verò, si hoc verum sit, quod hîc ait Bellarminus, quemadmodum verum esse constat: manifestum est, plerasq; notas Papisticas, fictas & fallaces esse. Fuit enim tempus, quando Ecclesia non fuit antiqua, non ampla, non clara; quando externâ Episcoporum successione, miraculorum gloriâ, & lumine Prophetico caruit. Sed jam accedit Adversarius ad assumtionem, & probat, has nostras notas esse separabiles. Ecclesię Corinthiorum (inquit) & Galatarum, ad quas scribebat Paulus, erant veræ Ecclesiæ, (sic enim ab Apostolo salutantur:) & tamen ibi non erat aliquando sincera prædicatio verbi. Arguuntur enim Corinthii, quód docerent, non esse futuram resurrectionem; & Galatæ per totam feré Epistolam reprehéduntur, quód docerent, servandam esse legem Mosis cum Evangelio. *Resp.* 1: Non fuit pura & sincera verbi prædicatio ab illis Ecclesiis separata, quando Apostolus has Epistolas scripsit: tum enim non tam honorifico nomine eas salutâsset. Aliqui quidem é Corinthiis & Galatis, & forsan multi, illas hæreses tenuerũt, & in illam ἀποστασίαν delapsi sunt, cujus Apostolus mentionem facit, non autem omnes. Et vera prædicatio nihilo minus in illis Ecclesiis permansit. Non enim tollit veram prædicationem, quód multi in eâdem non acquiescunt. De Corinthiis aperté hóc docet Apostolus 1. Cor. 15. 12. Εἰ δὲ χριστὸς κηρύσσεται, ὅτι ἐκ νεκρῶν ἐγήγερται, πῶς λέγουσί τινες ἐν ὑμῖν, ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστι; *Si Christus prædicatur ex mortuis excitatus esse, quomodo*

quomodo dicunt quidam inter vos, non esse resurrectionẽ mortuorum? Similiter de Ecclesia Galatarũ statuendũ est, multos illorũ á pura fide defeciſſe, nõ omnes. 2. Quęro ab Adversario, nũ Ecclesia illa, quę á vera fide deficit, & hæresin amplectitur, quæq; puram prædicationem non habet, vera Ecclesia dici possit? Si non potest, tum quorsum hæc exempla harũ Ecclesiarũ proferuntur? Si potest, tum hęresis & fides Catholica possunt simul constare: & tum sequetur, á vera Ecclesia hæresin posse defendi, veramq; Ecclesiam posse esse hæreticam, & per consequens falsam. Sed respondet Adversarius duo. *Primó* ait, Ecclesiam particularem posse errare. *Respondeo* 1: non posse hæreticũ aliquod dogma tenere, & tamen Ecclesiã esse. 2. Hoc idem est, quod nos dicimus, nempe Ecclesias quasq; particulares posse errare. Omnes veró Ecclesiæ in hoc mundo sunt particulares, qualis fuit Corinthiorum & Galatarum Ecclesia. *Secundó* subjungit, quod superat omnem fidem opinionemq; nostram, posse esse puram doctrinam ab omni errore in falsa Ecclesia. Quorsum hoc? nempe ut probet, veram Ecclesiã posse hæresin docere, & impuram doctrinam admittere. Nam hoc respondet ad illam quęstionem, quomodo erant istæ veræ Ecclesiæ, cúm hęresin docerẽt? Sed quid? súntne hæc ejusdẽ rationis? Num quia falsa Ecclesia potest puram doctrinam sine omni errore tenere, ex eo sequitur, veram Ecclesiam posse hæresin defendere, aut posse pura prædicatione omnino carere, & in aliquo necessario dogmate errare? nequaquam certé. Si enim vera Ecclesia potest hæresin docere & defendere, tũ certé hęretica esse potest. Sed non est totius Ecclesiæ, quod pauci in Ecclesia tenent. Præterea falsissimum illud est, q̃ ait, esse aliquã

falsam Ecclesiam, quæ puram doctrinam sine ullo errore teneat. Quod enim ad Luciferianos & Donatistas attinet, quorum hîc mentionem facit Adversarius: certissimum est illos semper errâsse. Hic enim illorum error fuit, non esse cum iis communicandũ, qui tempore persecutionis lapsi sunt. Et sic omnes schismatici in aliquo opinionis errore versãtur. Nõ enim est schisma, nisi cum errore aliquo conjũctum fuerit. Atque hæc fuerunt omnia Adversarii argumenta contra primam nostram notam, esse scilicet communem, minús esse illustrem, non esse inseparabilem.

Postea ad alteram nostram notam accedit, contra quam iisdem argumentis utitur. Ex quo constat, quantâ argumentorum penuriâ in hac causa laboret. Brevis est in hac parte, itaque me longiorem esse non oportet.

Primum illius argumentum est hujusmodi: Legitimam Sacramentorum administrationem omnes sibi vendicant: est igitur communis; ac proinde non est nota. *Respondeo*: fieri posse, ut omnes hæretici hãc notam sibi vendicent, sed nullo jure. Nos verò quærimus, quis jure possit vendicare. Aliud est vendicare, aliud jure & legitimé vendicare. Sic Papistæ vendicant legitimum usum cœnæ; similiter hodie Anabaptistæ dicunt, se solos habere legitimum Baptismum: sed quám veré & rectè, ex ipsis Scripturis constat, quarum clarissimis testimoniis refelluntur. Nõ quid ipsi dicant, sed quám veré dicant, attendendum est. Igitur ostendat Bellarminus oportet, hæreticos jure posse hanc notam vendicare. Sed fortasse acrius illud est, quod sequitur. Ait enim præterea, hæreticos legitimum Sacramentorum usum non modó vendicare,

care, verumetiam re ipsa habere posse. Sic Pelagiani (inquit) omnia Sacramenta habebant, & similiter omnes schismatici. *Respondeo*: posse quidem hæreticos externum Sacramentorum usum habere. Sic olim Israëlitæ post schisma Circumcisionem & Pascha habuerunt: sic Idumæi circumcisi sunt, etsi nunquam ad Ecclesiam Dei pertinebant: sic hodie Papistæ legitimum Baptismum habent quoad externũ usum. Ergo externum Sacramentorum usum non esse per se idoneam & sufficientem Ecclesiæ notam statuimus, nisi cum pura prædicatione conjungatur.

Secundum Adversarii argumentum, contra secundam nostram notam, sic se habet: Usus legitimus Sacramentorum minús notus est, quám est Ecclesia. Nam ille est legitimus Sacramentorum usus, qui est conformis Scripturæ. Scripturæ autem (inquit) pẽdent ab Ecclesia, non contrá. Hinc vult efficere, Ecclesiam esse notiorem legitimo Sacramentorum usu; quia Ecclesia debet docere, quis sit legitimus usus Sacramentorum; atque ita non esse hunc legitimum Sacramentorum usum Ecclesiæ notam, sed potiús Ecclesiam illius. *Respondeo*: Hæc omnia esse falsissima. Nec Scripturæ nec Sacramenta pendent ab Ecclesia, sed contrá. Debet quidem Ecclesia docere, quis sit legitimus Sacramentorum usus, non autem ex arbitrio & ingenio suo, sed ex sacræ Scripturæ authoritate. Itaque manifestum est, legitimum Sacramentorum usum, non ex Ecclesia, sed ex Scripturis pendere. Non potest enim Ecclesia, nec debet, ex se aliquid præscribere, de Sacramentorũ usu, nisi quemadmodum ex Scripturis edocta est. Sed demus hoc Adversario, oportere Ecclesiam legitimam Sacramentorum administrationem & usum docere, quid

tum? ideóne ſequitur non eſſe hanc Eccleſiæ notã? Eodem certé argumento everti poſſunt omnes etiam notæ Papiſticæ. Nam ad Eccleſiam quoq; pertinet, docere (quẽadmodum nos antea diximus) quę ſit claritas illa, quæ in eâdem requiritur, quæ amplitudo, quæ ſucceſſio, quæ ſanctitas, quæ reliquæ Papiſtarum notæ. Omnes enim homines non poſſunt de his notis judicare, ſed Eccleſia tantúm. Ergo ſi firmum ſit hoc Bellarmini argumentum; nec illius etiam notæ, veræ Eccleſiæ notæ eſſe poſſunt.

Tertium Bellarmini argumentum contra ſecundã noſtram notam, ſimile eſt tertio illius argumento contra primam. In hunc enim modum ſe habet: Eccleſia Corinthiorum erat vera Eccleſia; & tamen reprehenduntur Corinthii, quód non ſinceré tractarent præcipuum Sacramentum, hoc eſt, Euchariſtiam, 1. Cor. 11. Et ſimiliter Eccleſiæ Africanæ, quæ erant ſub Cypriano, & ſub illis 86. Epiſcopis, quorum ſententias ipſe refert in Epiſtola ad Quirinum, veræ Eccleſiæ erant, ut beatus Auguſtinus in lib. 6. cap. 7. de Baptiſm. & B. Hieronymus contra Luciferianos docent: & tamen non ſinceré tractabant Sacramentum Baptiſmi, ut iidem Hieronymus & Auguſtinus ibidem docent. Hinc vult efficere, puram Sacramentorum adminiſtrationem, non eſſe Eccleſiæ notam. *Reſpondeo primo* loco de Corinthiis: & *primó* quidem, ut antea, non omnes in eodem peccato verſatos fuiſſe, nec eandem fuiſſe omnium rationem, quemadmodum patet ex 1. Cor. 15. 12. qui locus ſuprá á nobis citatus eſt. *Secundó*, etſi non tam puré tractabant Corinthii Euchariſtiæ Sacramentum, nec tam ſanctè & religioſé ad Dominicam menſam accedebant, quám oportebat: tamen Sacramenti ſubſtantiam procul dubio

dubio retinebant. Nos verò non statuimus, tam sincerum requiri Sacramentorum usum, in quo nullus nævus appareat; sed sufficere dicimus, si materia & forma Sacramentorum salva fuerint, etsi nonnullæ inutiles ceremoniæ admisceantur. Sed si vel forma vel materia tollatur, legitimus Sacramentorum usus necessariò tollitur. Itaq; Eucharistiæ Sacramentum non habent Papistæ, quia ejus veram formam non habent: Baptismum verò illis concedimus, quia ejus tum formam tum materiam retinent, etsi multas inutiles & impuras ceremonias adjungant. *Secundo* verò loco, quod ad Ecclesias Africanas attinet, quæ erant sub Cypriano ejusque collegis, *respondeo*: veras Ecclesias fuisse, & rectum ac legitimum Baptismi usum habuisse, etsi errabant in quadam quæstione de Baptismo hæreticorum. Bellarminus parum attendit, cùm hæc conjungit. Aliud enim est, non habere legitimum Baptismi usum, aliud errare in opinione aliqua de Baptismo. Hæc necessariò distinguenda sunt. Et hæc quidem sunt Bellarmini argumenta omnia contra nostras notas, de quibus satis respondimus. Alias quasdam notas proponit, sed eæ nō nostræ sunt, nec á nobis nunc defendendæ; & ejus argumenta contra easdem non magni momenti sunt.

Verùm quanquam Bellarmino contra has notas, nostras disputanti satis multa respondimus: tamen nondum defuncti sumus munere nostro. Neque enim Stapletonum debemus omittere, qui hanc etiam causam copiosissimé tractat. Is in lib. 1. de princip. doctrin. cap. 19. nostras has duas notas septem argumentis refellere conatur, quæ licet eadem ferè sint cum istis Bellarmini; non sunt tamen prætermittenda, sed á nobis similiter proponenda &

refellenda sunt; tum propter ipsius Stapletoni authoritatem, tum etiam in studiosorum gratiam; ut repetitâ responsione meliús intelligant, quid ad singula respondendum sit. Quare breviter proponam & diluam. Neque enim unum tantúm Bellarminum proposui refellendum, sed & reliquos etiam omnes scholæ & causæ Pontificiæ patronos, qui aliquod saltem probabile argumentum proferunt.

Primum Stapletoni argumentum est hujusmodi: Has duas notas, omnes hæretici ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, sibi sumserunt & tribuerunt, & apud se esse jactârunt: at tales notæ esse debent, quas hæretici nec assumere, nec probabiliter prætexere possunt. *Respondeo* 1: Quod ait, tales notas esse debere, quas nulli hæretici sibi assumere, aut probabiliter prætexere possunt: hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, *principium petere*. Quascunque enim notas finxerit, hæretici eas vendicare possunt, saltem probabiliter. Aliud enim est probabilitas, aliud veritas; aliud opinio, aliud scientia. 2. Quod ait, non esse has veræ Ecclesiæ notas, quia hæretici iis utuntur, seu potiús abutuntur: est fallacia ἀπὸ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, *á non causa ut causa*. 3. Quód sic ratiocinatur, hæretici solent has notas vendicare: ergo omnes sunt hæreticæ & falsæ Ecclesiæ, quæ has vendicant; est fallacia ἀπὸ τὸ ἑπόμενον, h. e. *á consequente*. Hoc nullum argumentũ est. Olim Judæi & Samaritani de vera Ecclesia litigârunt. Samaritani dixerunt, se verum Deum colere; Judæi econtra apud se verum Dei cultum esse affirmârunt. Num ergo Judæi non fuerunt vera Dei Ecclesia, aut verus Dei cultus non est nota veræ Ecclesiæ; quia Samaritani utrumque vendicârunt? num Judæi non erant ex vero cultu & Lege æstimandi; quia Samaritani se simi-

similiter æstimari volebant? Nequaquam. Judæorũ enim fuisse veram Ecclesiam, ex Mosis & Prophetarum scriptis constat. Et quanquam Samaritani veram doctrinam sibi vendicârunt: tamen nec erant vera Ecclesia; nec notæ veræ non erant veræ, quia ab illis vendicabantur. 4. *Respondeo*: Si hoc argumentum valeat, multæ notæ Papisticæ non erunt notæ, quia eas multæ hæreticæ Ecclesiæ possunt vendicare. Donatistæ enim Catholicæ Ecclesiæ appellationem sibi vendicârunt, & se solos Catholicos dici voluerunt. Similiter Ariani & Græci successionem ab Apostolis & durationem vendicant. Ita reliquas feré omnes Papistarum notas hæretici aut vendicant, aut saltem vendicare possunt. Plerasque sané nos vendicamus, quos illi pro hæreticis habent.

Secundum Stapletoni argumentum sic se habet: Hæc duo non demonstrant, ubi sit Ecclesia, sed Ecclesia econtra demonstrat, ubi hæc sint. Veritas enim innititur Ecclesiæ, non econtra veritati revelatæ Ecclesia. *Respondeo* 1: nihil impedire, quó minús veritas sit nota Ecclesiæ, & tamen Ecclesia doceat, ubi veritas sit. Nam ut causa effectum profert & ostendit: sic effectum viciſſim illustrat causam. Ita veritas Ecclesiam constituit, ejusque causa est; & tamen Ecclesia docet, ubi veritas sit, & quæ sit veritas. Hæc doctos & eruditos in Ecclesia retinet; illa rudes & ignaros ad veritatem trahit, & attractos erudit atque instituit. Ecclesia non est nota veritatis, sed ejus præco tantúm, & testis externa, & interpres: veritas verò est Ecclesiæ nota & index. Ecclesia enim non est causa veritatis, veritas autem causa est Ecclesiæ. Si ergo causa sit nota effecti, tum veritas Ecclesiam demõstret & denotet necesse est. 2. Quod

affirmat, Ecclesiam non inniti veritati revelatæ, sed veritatem Ecclesiæ: sané absurdum & blasphemum dogma est. Nam doctrina Prophetarum & Apostolorum est fundamentum Ecclesiæ, qua de re nos alibi diximus. Hoc est quod Apostolus ait Ephes. 2. 20. *Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, existente ipso imo angulari lapide* JESU CHRISTO. Ergo manifestum est, Ecclesiam veritati inniti.

Tertium Stapletoni argumentum sequitur, quod sic instituit: Omnis vera doctrina petenda est ab Ecclesiæ ministerio: ergo Ecclesia magis & priús debet esse nota, clara, & perspicua. Nam priús de Doctore cõstare oportet, quám de doctrina. *Respondeo:* ministerium quidem Ecclesiæ á Christo institutum fuisse, ut ab eo veritatem & sanam doctrinam petamus. Non tamen ex eo sequitur, ministerium esse veritate & sanâ doctrinâ notius. Nam nisi sanam doctrinam doceat, non est verum Christi & Ecclesiæ ejus ministerium. Facit ergo purum & sanum ministerium pura & sana doctrina; quam nisi doceat, ministerium purum & sanum esse non potest. Non enim aliud docere potest Ecclesiæ ministerium, quám quod Christus ei docendum proposuit. Cúm ergo ministerium purum constet ex pura prædicatione, tanquam ex causa: necesse est, ut puram prædicationem antea cognitam habeamus, quám quodnam sit purum & sanum ministerium, scire possimus. 2. *Ministerium* quidem verbi notius esse nobis, ut posterius, non autem naturâ notius esse; & obscuré, confuse, dubié, & incerté notius esse, non autem aperté & distinctè. Si quis unguentum, aut aroma aliquod cupiat, ab unguentario illud petere oportet: quis tamen ideo esse simpliciter & naturâ notiorem unguenta-

guentarium dixerit, quám aroma. Similiter confusé Doctor potest esse doctrinâ notior, sed doctrina tamen naturâ notior est, quia doctrina Doctorem facit. Et quis quæso dixerit, aut unguentarium esse notam unguenti, aut Doctorem esse notam doctrinæ? nemo certé, nisi absurdé. Doctrina quidem est nota Doctoris, & doctum esse Doctorem arguit; non autem Doctor econtra doctrinæ nota est. Non arguit Doctor continuó ibi esse doctrinam, ubi ille est, sed doctrina magis ibi esse Doctorem arguit. Nam multi Doctores videri possunt, qui non sunt.

Quartum Stapletoni argumentum in hunc modũ se habet: Pura verbi prædicatio, & purus ac legitimus usus Sacramentorũ, aut largé, aut strictim capiuntur: neutro veró modo notæ esse possunt. Nam *primó*, si largé sumta sint notæ, tum idẽ (inquit) per idem demonstratur. Quæritur enim, quib. modis dignoscitur illa multitudo, quæ veritatem doctrinæ Evangelicæ tenet & tradit, & quæ rectũ usum Sacramentorum habet, & docet? Respondet hodie hæreticus (inquit) illam multitudinem veritatem tenere, & docere, apud quam est veritas; & illã multitudinẽ rectũ usum Sacramẽtorũ habere & tradere, apud quã est rectus Sacramentorũ usus. At idem per idẽ demõstrari nõ debet. *Resp.* Etsi Ecclesia nõ est alia multitudo, quám q̃ purã verbi prędicationem, & rectũ usum Sacramentorũ tenet: tamen non sequitur, purã verbi prædicationẽ & legitimũ Sacramentorũ usum, idẽ omnino esse quod est Ecclesia. Quis .n. dixerit hæc duo eadem esse cũ illa multitudine, quæ hæc habet? Et quid quęso absurdi sequetur, si respõdeatur, veritatẽ esse notã ejus multitudinis, quæ veritatẽ tenet? Si quæratur .n. qui sint, qui in luce ambulant, nónne

responderi potest, quos lux indicat & demonstrat? Nota ergo est lux eorum, qui in luce ambulant. Et nónne definitio est nota definiti? & tamen definitio & definitum idem sunt. Sic doctrina Theologica est nota Doctoris Theologici, Grammatica Grammatici, Mathematica Mathematici, & de cæteris artibus idem affirmari potest. Si quæram, quis sit Grammaticus, nónne responderi potest, qui tenet Grammaticam? *Sponsus est, qui sponsam habet*, inquit Baptista, Joh. 3. 29. Sic omnia relativa sese mutuó declarant. Quare nihil impedit, quó minús pura verbi prædicatio, & legitimus Sacramentorum usus, sint notæ Ecclesiæ; etsi quando quæritur quid sit Ecclesia, nihil aliud responderi possit, quám esse multitudinem, quæ hæc duo habeat. Bellarminus hoc argumento uti noluit, quia vidit nullam in se vim habere, & nullius plané momenti esse. Sed quid si stricté sumantur hæc duo? Tum (inquit Stapletonus) non ubicunque sunt hæ duæ notæ, ibi continuó est Ecclesia. Nam in omnibus schismaticis potest esse vera & sana doctrina, & rectus usus Sacramentorum. *Respondeo*: Si hæc duo apud illos pura sint, tum non sunt schismatici. Nam schismatici dicuntur, propter aliquas falsas opiniones. Sed exemplis hoc illustrat Meletianorum, Luciferianorum, Donatistarum, & Audianorum; quos omnes ait schismaticos fuisse, & tamen tum sanam doctrinam, tum legitimum Sacramentorum usum habuisse. *Respondeo*: non habuisse. Errabát enim isti omnes, nec puram doctrinam per omnia tenebant. Meletiani ab Ecclesia propter Meletum ab Episcopatu suo dejectum & abdicatum desciverunt. Sic Donatistæ Celestinum Episcopum esse negabant, quia libros sacros Ethnicis comburendos tradiderat,

diderat, ut illi prætexebant. Similiter Luciferiani Eccleſiæ communionem reliquerunt, propter Arianos quosdam reſtitutos, quibuscum illi non eſſe cōmunicandum judicârunt. Audiani veró palám hæretici erant, quia Deo humanam formam, & membra humana tribuebant. Alias illi quidem cauſas & prætextus fingebant, cur ab Eccleſia ſeſe ſejungerent; nempe quód eſſent nonnulli, qui graves uſuras exercebant, & ſine legitimis nuptiis, tamē cum mulieribus, vivebant. Sed hoc prætextu celabant illi ſuorum dogmatum blasphemiam. In genere veró de omnibus ſchiſmaticis *reſpondeo*: errare illos in articulo de Eccleſia, qui ſané unus é maximis articulis eſt. Non enim tenent unam, ſanctam, Catholicam Eccleſiam; ſed ex una duas, imó multas faciunt. Et præterea omne ſchiſma tandem in hæreſin deſinit: non autem deſineret, niſi errorem aliquem teneret. Denique hoc dogma orthodoxum eſt, Eccleſiæ communionem non eſſe propter nævos deſerendam, cui ſchiſmatici omnes contradicunt. Errare ergo illos manifeſtum eſt.

Quintum Stapletoni argumentum tale eſt: Hæc ſunt fructus & dotes Eccleſiæ, & bona ac beneficia quædam per miniſterium Eccleſię nobis collata, non notæ quibus discernatur Eccleſia. Non enim quæ ſunt bona Eccleſiæ, ſtatim ejus notę ſunt. Eccleſia eſt ſancta; at ſanctitas non eſt nota Eccleſię. Eccleſia eſt Chriſtiana, ſed per Chriſti nomen non innoteſcit. Eccleſia eſt unius Dei cultrix, at cultus Dei non eſt nota Eccleſiæ. Sic Eccleſia eſt docta (inquit) nec tamen per doctrinam innoteſcit. *Reſpondeo* 1: De forma hujus argumenti nihil dicam: quam tamen totam vitioſam eſſe, omnes facilé intelligant. Eſt enim hu-

jusmodi: Quædam Ecclesiæ dotes & bona non sunt ejus notæ; ergo nullæ Ecclesiæ dotes aut bona, sunt notæ Ecclesiæ. Sed accipio quod dat. Fatetur ille hęc esse bona Ecclesiæ, & quidē inseparabilia; quidni ergo notæ sint? Nam ex bonis, dotibus, adjunctis inseparabilibus, agnosci res potest. Sic castitas & pulchritudo Ecclesiæ dotes sunt, & nónne sunt etiā hæ notæ Ecclesiæ? Imó hoc clamat Scriptura passim, in toto penè libro Cantici Canticorū. 2. Quód sanctitatem Ecclesiæ notam esse negat Stapletonus: in eo nō modó Scripturis, verumetiam Bellarmino, & aliis Pontificiis repugnat. Nā Bellarminus facit hanc, decimam notam, Posnanienses sextam, & est una ex quatuor, quæ in Symbolo Constantinopolitano assignantur, in quo hęc verba habentur, *Credo unam, sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam.* Cultum verò unius Dei esse propriam veræ Ecclesię notam, dubitare nemo potest, qui Israëlitas olim hac notâ ab omnib. Gentibus, & á reliquis omnibus hominum societatibus distinctos esse meminerit. Reliquæ enim omnes Gētes & societates, aut plures deos colebant, aut si unū tantúm verum Deum, non tamen quemadmodum ipse præscribit, sed quemadmodum illæ ipsæ Gentes & societates animo finxerunt. Israëlitæ verò unum tantū Deum coluerunt, sicut ipse pręceperat, & quēadmodū ille coli voluit. Ergo illi Dei populus & Ecclesia erāt; reliquæ verò Gētes & societates nō item.

Sextum Stapletoni argumentum hoc est: Hæ notę hæreticos juvant, & rebelles filios Ecclesiæ. Nā Donatistæ (inquit) his notis freti, apud se Ecclesiam esse dixerunt; quia omnia scilicet Dei præcepta observabant, & Sacramenta legitimé administrabant. Ajebant enim, Ecclesiam dici Catholicam, non ex totius orbis

orbis communione, sed ex observatione omnium præceptorum divinorum, & Sacramentorum; ut patet apud Augustinum in Epist. 48. ad Vincentium. *Resp.* hæreticos his notis non juvari. Quid enim si Donatistæ se Catholicos dicebant, & quid si se omnia Dei præcepta observare, & Sacramenta legitimé administrare jactabant? num propterea hæc veré dixerunt? Solent quidem hæretici jactare, & polliceri veritatem, non autem demonstrare. Sic Donatistæ. Sed Augustinus clarissimé docet, illos non habuisse has notas. Imó hæ notæ non juvant, sed jugulant potiús, & enecant hæreticos. Non magis enim juvant hæreticos hæ notæ, quám leges & judicia juvant latrones, quæ illis omnino exitialia sunt. Possunt quidem latrones ad leges & ad publica judicia provocare; sed ex his tamen convincuntur, damnantur, & pœnis gravissimis ob maleficia sua adjudicantur, non juvantur omnino.

Septimum Stapletoni argumentum est hujusmodi: Ipsi Protestantes non judicant has esse notas, sed faciunt tantúm signa & argumenta alicujus latentis Ecclesiæ in illa multitudine, ubi hęc sunt. *Resp.* Stapletonum non intelligere, quid Protestantes hac de re statuant. Nos enim semper professi sumus, has esse notas visibilis & conspicuæ Ecclesiæ; & ubi est talis visibilis Ecclesia, ibi quidem esse aliquos veré fideles dicimus, qui ad Ecclesiam Catholicam & invisibilem pertinent, propter quos Ecclesiæ visibiles dicuntur Ecclesiæ, quia verbum non est sine omni fructu, ubicunque veré prædicatur. Atque hæc Stapletonus.

Sed pergit adhuc idem Stapletonus deinceps in lib. 1. cap. 20. nos insectari; & *primó* docet, quodnam illud verbum sit, quod nos ECCLESIÆ notam esse

volumus; *secundó* vult probare, nos hac in re insanos esse, qui talem Ecclesię notã statuimus. De *primo* ait, Protestantes, cúm Ecclesiæ notas ponunt, puram doctrinam, & rectum usum Sacramentorum, non aliud per puram doctrinam quám scriptum verbum intelligere, & Sacramenta non alia, quám quæ in verbo scripto traduntur, Ecclesiam veró esse ad verbum scriptum alligatam. *Respondeo*: Stapletonum nos rectè intelligere, & hac in re non errare. Nam per verbum, per prædicationem verbi, per Sacramenta, scriptum verbum semper, & scripta Sacramenta, intelligi volumus. Nos enim aliud verbum non agnoscimus. Et quæcunq; doctrina est ἄγραφος, quodcunque item Sacramentum ἄγραφον est, illam doctrinam esse spuriam, illud item Sacramentum adulterinum esse dicimus. At nos puram doctrinam, & pura Sacramenta requirimus. De *secundo* veró ait, hujus sententiæ multiplicem esse insaniam, & quatuor capita hujus insaniæ breviter perstringit.

Primó ait, isto modo nullum fore exitum controversiarum. Quid ita quæso? Quia vel de verbo Dei scripto (inquit) vel de verbi scripti intelligentia in omni controversia disputatur. Jam veró hanc controversiam de scripto verbo, vel de intelligentia scripti verbi, aut dirimit Ecclesia, aut non dirimit. Si nó dirimit, quo tandem judice dirimetur? Si dirimit, quare cum scripto verbo confunditur, aut ad verbum scriptum alligatur, tanquam ad signũ illustrius? *Resp.* 1: Sũt quidẽ, fateor, de utrâq; nostrâ notâ cõtroversię. Sed quid tũ? an propterea nõ sunt notę? Quasi nõ sint de notis Papisticis controversię, & eas quidẽ Ecclesia dirimit. Cur ergo ad illas notas Papisticas, tanquam ad illustriora signa alligatur Ecclesia? Nõ videt Staple-

Stapletonus, nullam esse in hoc argumento vim? 2. Quod ait, aut Ecclesia dirimit has controversias, aut non dirimuntur omnino, *respondeo*: si per Ecclesiam prælatos intelligat, esse falsum. Nam sine prælatis controversiæ dirimi possunt. Spiritus sanctus enim fideles in omnem necessariam veritatem inducit, & persuadet iis, hoc esse verum verbum, & hanc esse verâ verbi intelligentiam. 3. Quod ait, si Ecclesia has controversias dirimit, non esse illam alligandam ad verbum, ut ad signum illustrius; *respondeo*: hoc perinde esse, ac si diceret, Judex ex lege judicat: ergo non ad legem alligatur, tanquam ad aliquod notius. Miror certè viros doctos in re tam perspicua tam turpiter hallucinari. Est quidem Ecclesiæ, controversias dirimere; at non ex judicio aut arbitrio suo (neque enim ex cerebro suo quicquam debet decernere) sed ex Scripturarum authoritate. Ergo Scripturæ sunt re & naturâ Ecclesiâ notiores; quia Ecclesia in dirimendis controversiis eas sequitur. Sic judex debet non mentem suam, sed legem ipsam consulere, & ex eâdem controversias dirimere, & sententiam suam desumere. Unde sequitur, legem notiorem esse judice, si non nobis, at certè naturâ. Et similiter quidem Scripturæ Ecclesiâ notiores sunt.

Secundum caput insaniæ nostræ, quod Stapletonus proponit, ipse nec sanus, nec sobrius, hujusmodi est. Scriptum verbum est dubium; ergo magis erit dubia Ecclesia, si verbi scripti prædicatio illius nota sit. *Respondeo*: Verbum Dei scriptum non esse dubium, aut incertum, sed certum & exploratum; ideoque erit certum, quæ sit Ecclesia. Sed Papistæ insani & blasphemi sunt, qui verbum Dei, quo nihil quidem certius esse potest, ita anceps & ambiguum esse

affirmant, ut de eo non aliter possit constare, quám per Ecclesiæ suæ judicium; quasi Deus aut noluisset, aut non potuisset voluntatem suam saltem tam certó & perspicué proponere, quám homines. Imó & potuit & voluit Deus aperté loqui, voluitq; nos verbum suum intelligere; ita ut non possimus dubitare, ipsissimum hoc esse Dei verbum; quadere copiosiús diximus in superiori nostra disputatione de Scriptura. Et ex hoc verbo possumus veram Ecclesiam ab adulterina secernere. Deinde quis nescit, dubiam etiam & incertam esse Ecclesiæ ipsius notionem? ergo si hoc firmum sit Stapletoni argumentum, nec Ecclesia ipsa erit Scripturæ nota; quod Papistæ velle videntur. Nos enim de illorum Ecclesia dubitamus, illi de nostra. Ita de Ecclesia non minores quám de Scriptura controversiæ sunt. *Tertium* caput insaniæ nostræ á Stapletono propositum hoc est: Scriptum Dei verbum hæretici multi amplectuntur, legunt, audiunt, venerantur: ergo si hoc verbum sit Ecclesiæ nota, tot erunt Ecclesiæ, quot sunt schismata, & hæreses. *Respondeo:* hanc esse insignem calumniam. Nam etsi verbis Scripturas colunt hæretici, & in ore sæpius habent: tamen revera Scripturis impié abutuntur. Quare non ita amplectuntur & venerantur, quemadmodum pios homines eas amplecti ac venerari decet. Non enim Ecclesiæ nota est, sacros Scripturarum libros habere, sed publicé prædicare & profiteri sanam doctrinam, quæ in illis continetur; quod nulli hæretici faciunt: aliâs hæretici non essent. Quare cúm nos insanos esse hoc argumento probare conantur, ipsi multó insaniores sunt. *Quartum* insaniæ nostræ caput á Stapletono propositum, est hujusmodi. Nemo est inter Christia-

Christianos tam idiota; qui non agnoscat, & videat, & colat Ecclesiam: sed maximus est numerus eorum, qui nec legerunt Scripturas, nec doctrinam ex verbo colligere nôrunt, nec Sacramentorum usus & naturas sciunt. *Respondeo* 1. Multi quidem possunt esse boni Christiani, qui Scripturas nunquam legerint. Non enim omnium est legere. Sed nemo tamen veré Christianus est, qui doctrinam Scripturarum in rebus necessariis ignorat. Qui enim hanc doctrinam non tenent, ii non sunt Christiani, nisi nomine tenus. Fides enim veré Christianos efficit, sine qua Deo placere est ἀδύνατον. Hæc veró ex auditu & cognitione verbi Dei provenit. Papistarum veró idiotæ, nescio quomodo sint Christiani, qui doctrinam nullam nôrunt, sed pecudum instar sunt. Si in brutâ ignorantiâ religionis possit esse aliquis veré Christianus, tum ii veré Christiani sunt. Habent quidem nominis Christiani professionem & appellationem, præterea nihil. At doctrina & religio faciunt Christianum, non nuda duntaxat nominis Christiani professio & appellatio. 2. Quod ait, idiotas istos Ecclesiam cognoscere, videre, & colere: illud falsum est. Nam isti nec vident, nec colunt Ecclesiam. Vident fortasse Pontifices & Prælatos, qui sibi titulum Ecclesiæ vendicant, & speciem quandam sanctitatis præ se ferunt; sed Ecclesiam non vident, quia num hæc sit Ecclesia, nesciunt. Non veró statim sequitur, eos esse Ecclesiam, qui se Ecclesiam esse dicunt. Vident idiotæ illi Pontificum pompam, & externæ Ecclesiæ ornamenta, vident etiam fortasse Papam ipsum cum suis Cardinalibus: sed veram Ecclesiam videre & scire non possunt. Ecclesiam enim nulli sciunt, nisi

qui, quid faciat Ecclesiam, priús intelligunt. Atque hæ Stapletoni ratiunculæ sunt, quibus nos insaniæ se posse convincere speravit. Sed utri sint insaniores, omnes, uti spero, vident. Martinus quidam Isingrenius Papista in lib. de Ecclesia, cap. 7. diserté scribit, Catholicos non planè negare, has esse notas, quas nos statuimus, puram nempe verbi prædicationem, & legitimum Sacramentorum usum; sed non esse tam illustres notas. Nos amplectimur, quod dat, & illi videant, qua ratione ducti eas impugnent, si notæ sint. Si verò aliquo modo sint notæ, tum non fuerunt á Bellarmino & Stapletono omnino prætermittendæ. Argumentis contra has notas non aliis utitur hic Martinus, quám quæ sunt á nobis jam refutata. Eadem enim sunt illius, quę Stapletoni & Bellarmini argumenta, & eadem sæpiús repetere non est necesse. Ergo nunc omnibus, ut spero, Papistis hac de re responsum est.

CAPUT DECIMUMNONUM.

In quo nostræ notæ Scripturarum testimoniis confirmantur.

RESTAT nunc, ut quemadmodum institutæ nostræ disputationis ratio postulat, nostras notas nostris, hoc est, veris argumentis confirmemus. Argumentorum verò tria genera proponam. *Primó*, testimonia ex Scripturis proferam. *Secundó*, rationes nonnullas adjungam. *Tertió*, Patrum testimonia quædam producam. Et hæc omnia á Papistarum calumniis vindicabo. Quod ad Scripturarum verò testimonia attinet, ea certo ordine proponam. Primó enim ex vetere Testamento, tum ex novo, certa quędam loca afferam.

Primus Scripturæ locus habetur Genes. 17. v. 10. ubi

ubi Sacramentum circumcisionis á Deo institutum fuisse legimus, qui Abrahamo præcepit, ut totam familiam suam circumcideret. Cumque jam Abrahamus circumcisus esset, & omnes ejus domestici; tum á reliquis familiis & populis certo quodam & illustri symbolo distincti fuerunt. Nam Sacramenta sunt nostræ professionis symbola. Similiter Exod. 12. adjunxit Deus alterum Sacramentum, nempe Agnum Paschalem. Hæc duo Sacramenta fuerunt veræ Ecclesiæ externa symbola & testimonia, atque his distincti sunt Israëlitæ á reliquis hominibus, quos illi præ se profanos putabant, & ferè incircumcisos appellare solebant, quia his externis signis ad Ecclesiam aggregati non fuerunt. Ergo Sacramenta sunt Ecclesiæ notæ. Si quis objiciat, circumcisionem apud aliquos reperiri, qui non sunt Ecclesia, ut olim apud Idumæos, & nunc apud Judæos: *respondeo*, de Judeis *primó:* Jam Christum venisse, & circumcisionem sustulisse: ergo nunc non est Sacramentum, nec nota Ecclesię. *Secundó*, quod ad Idumęos attinet, *respondeo:* ne antea quidem per se sufficientem notam fuisse. Nam, ut priús docuimus, debent Sacramenta cum pura verbi prędicatione conjungi; alioqui non indicant veram Ecclesiam, sed possunt in adulterinis etiam Ecclesiis reperiri. Sic hodie Baptismus est in Ecclesia Papistica, cúm tamen Papistæ sint spurii tantúm Ecclesię filii. Sacramenta ergo ex verbo æstimanda sunt; nec verę sunt Ecclesiæ notę, nisi cum sana doctrina conjungantur. Nec certé sine doctrina vera, potest esse legitimus Sacramentorum usus. Et quanquam alię fuerunt causę instituendi Sacramenta: hanc tamen unam fuisse causam, cur instituerentur, omnes

nôrunt, ut Ecclesiam nimirum ab omnibus aliis societatibus separarent. Josuę 5. v. 2. totum populum Israëliticum circumcisum fuisse legimus, qui natus fuerat in deserto, in ipso itinere, postquam Israëlitæ ex Ægypto exivissent. Post illam circumcisionem Dominus ait, sublatum jam esse opprobrium Ægyptiorum, hoc est, ut non malé quidam interpretantur, antea Ægyptiis similes fuisse; tunc veró postquam circumcisi sunt, ab illis disjunctos & distinctos fuisse.

Secundus Scripturæ locus habetur Deut. 4. 6. ubi Moses totum populum Israëliticum his verbis alloquitur: *Observate ergo & facite omnia statuta Jehovæ; nam hæc est sapientia vestra, & prudentia vestra, ante oculos populorum, qui audientes omnia statuta ista dicent, Gens ista maxima est, populus sapiens & prudens.* Si ergo statuta Dei, id est, si lex divina, fuit decus & ornamentum Judæorum, & indicavit, illum populum omnibus aliis prudentiorem & sapientiorem fuisse, eumque aliis ita commendatum reddidit, ut omnes pro Dei populo illos agnoscerent: tum certum est, legem divinam esse testem, & indicem, & notam Ecclesiæ: at verum primum: lex enim divina illustrem fecit illum populum, eumque aliis ita commendavit, ut omnes fateri cogerentur, eum verâ sapientiâ præditum esse, adeoq; veram Dei Ecclesiam esse agnoscerent: ergo verum etiam secundum. Propheta ait fore, ut cùm Gentes hæc statuta audierint, confiterentur hunc esse revera populum Dei, quem Deus tam miribilé & sapienter gubernaret, & cui tam præclaras leges præscriberet: ergo manifestum est, doctrinam sacram, Ecclesiam veré indicare, & sapientiam in divina lege comprehensam, Ecclesiæ notam esse; quia

qui

qui á Deo alieni erant, eum eſſe populum Dei, qui legem Dei obſervavit, fateri cogebantur.

Tertius locus habetur Joſuę 24. 14. ubi dux Joſua his verbis populum Iſraëliticum affatur: *Quare nunc timete Jehovam, & colite eum integré & fideliter, & amovete Deos, quos coluerunt majores veſtri in regione trans flumen illud, & in AEgypto, & colite Jehovam.* Hic locus indicat, veram religionem verumque Dei cultum, eſſe notam veræ Eccleſiæ, eámque ita Eccleſiæ propriam, ut eam omnibus teſtatam & commendatam reddat. Perinde enim eſt, ac ſi Joſua dixiſſet: Nolite ſimiles eſſe majoribus veſtris, qui trans flumen Deos alienos coluerunt, nec Ægyptiis quibuscum illi habitabant. Quód ſi quæratis, qua in re ab illis differre debeatis, en vobis oſtendo; amovete falſos Deos, & unum verum Deum Jehovam colite, ejuſq; leges obſervate. Ergo hæc eſt Eccleſiæ differentia, & per conſequens nota. Et optionem illis facit Joſua ibidem, utrũ velint plures alienos Deos, an unum verum Deum colere. Illi profitebantur ſe nolle vel Ægyptiis, vel Amorrhæis, vel patribus ſuis ſimiles eſſe, ſed velle unum verum Deum colere. Ergo verus cultus unius Dei eſt vera nota Eccleſiæ veræ. Iſraëlitæ enim hoc tempore vera Dei Eccleſia fuerunt, quia unum Deum coluerunt, quemadmodum ipſe coli voluit: Ægyptii veró, Amorrhæi, & aliæ Gentes non fuerunt Dei Eccleſia, quia vel plures Deos coluerunt, vel ſi unum Deum, non tamen eo modo, quo ipſe coli voluit.

Quartus Scripturæ locus habetur Pſalm. 147. v. 19. 20. *Indicat* DEUS *verba ſua Jacobo, ſtatuta & jura ſua Iſraëli. Non fecit ita ulli Genti, ideoque jura iſta non noverunt.* Hic locus indicat, ſanam doctrinam &

puram religionem, esse notam veræ Ecclesiæ. Hinc enim constat, illam Gentem esse Dei Ecclesiam, quę Dei verbum habet; illam non esse Ecclesiam, quæ non habet; & verbi sinceram prædicationem sic esse Ecclesiæ propriam, ut ad nullos alios cœtus transferatur; quod arguit, hanc esse propriam Ecclesię notam. Nam quod Deus peculiariter in Ecclesiam suam hîc inter profanas Gentes agentem confert, id Ecclesiæ nota est: at verbum Dei, Lex Dei, doctrina Dei est ejusmodi: ergo verbum Dei, lex Dei, doctrina Dei, Ecclesiæ nota est. Ait Propheta, indicasse Deum Israëli Legem suam, & Jacobo jura ac statuta sua, & non feciisse ita ulli genti. Illa ergo gens, cui Deus Legem suam tradidit, est gens Dei Jacob, & est verus Israël, hoc est, vera Dei Ecclesia. Atque ita ex statutis Dei veram Dei Ecclesiam cognosci posse videmus.

Quintus locus habetur Proverb. 29. 18. *Cùm prophetia defecerit, populus dissipatur.* Qui locus arguit, prophetiam, id est, sanæ doctrinæ prædicationem, non solùm esse notam, verumetiam vinculum, imó semen Ecclesię. Nam & colligit, & colligat Ecclesiam. Illâ veró sublatâ, dissipatur populus. Sed quomodo dissipatur? certé non quoad externam societatem, & politiam; nam illam homines possunt inter se colere sine prophetia; sed dissipatur, quó minús sit Ecclesia: nam sine ista prophetia Ecclesia esse non potest. Quis ergo illam Ecclesiæ notam esse neget, cùm illius causa sit?

Sextus locus habetur apud Isaiam cap. 2. v. 2. & 3. quo in loco Propheta prædicit, maximum fore hominum ad Ecclesiam Dei concursum. Sed quæ tandem hujus tanti concursus causa erit? Id Propheta in fine

in fine versus tertii declarat, cúm ait, *quia é Sione prodit doctrina, & verbum Jehovæ ex Hierusalem.* Unde manifestum est, sanam doctrinam, Legem, & verbum Dei; esse Ecclesiæ notam; quia homines ad Ecclesiam propter hanc causam congregantur. *E Sione Lex prodit*, id est, non alibi quæri debet, nec inveniri potest sana doctrina, nisi in Ecclesia Dei. Quare accesserunt Gentes ad Ecclesiam? sané nullam aliam ob causam, nisi propter hoc verbum é Sione egressum. Egregius sané iste locus est; quia docet, verbum Dei adeó esse propriam & illustrem Ecclesiæ notam, ut propter illud hi, qui ab Ecclesia alieni erant, se ad Ecclesiam conferant.

Septimus locus habetur Isa. 59. vers. ult. ubi hæc verba habentur: *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, ait Jehova, ex hoc tempore usq; in seculum.* Hic locus indicat, veram verbi prædicationem fore in Ecclesia perpetuam. Non enim recedet ab Ecclesia hoc verbum (inquit Propheta) sed ad finem usque seculi in ea residebit. De hoc loco aliquid respondet Stapletonus libro 1. de princip. doctrin. fidei, cap. 21. Ait ille, hunc locum nihil aliud probare, nisi non separari ab Ecclesia veram doctrinam; sed non ex eo sequi, Ecclesiam illam esse, quæ solo verbo Dei scripto nititur. *Respondeo* 1. Quód fatetur sanam doctrinam non posse ab Ecclesia separari, in eo palám pugnat cum collega suo Bellarmino. Nam tertium ejus argumentum contra primam nostram notam fuit, veram verbi prædicationem esse ab Ecclesia separabilem; ac proinde non esse notam Ecclesiæ. Nunc Stapletonus fatetur, doctrinam veram non separari ab Ecclesia. Ita bellé cum Bellarmino con-

sentit. Sic isti patroni causæ falsæ, in mille locis, sententiis, & argumentis, secum pugnant. 2. Quód concedit, inseparabilem esse sanam doctrinam ab Ecclesia: inde ego meo jure assumo, eam esse Ecclesiæ notam. Quidni enim ex iis, quæ ita sunt Ecclesiæ insita, ut ab ea separari non possint, Ecclesia ipsa declaretur? 3. *Respondeo:* hoc verbum, de quo loquitur Isaias, non aliud quidem esse, quám verbum Dei scriptum, idemque etiam prædicatum. Nihil enim impedit, quó minús Dei verbum scriptum & prædicatum idem esse statuamus, quia nihil prædicari debet, quod non cum verbo scripto consentiat.

Sed ad reliquos Scripturæ locos progredior, & jam ad novum Testamentum accedo. *Octavus* igitur locus habetur Matth. 7. v. 16. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Qui certé locus, & hominem hæreticum, & Catholicum Doctorem, ex fructibus agnoscendum esse convincit. Sed qui, quæso, isti fructus sunt? Forsan aliqui bonos mores existimabunt. Verúm falluntur. Nám per fructus hoc loco dogmata intelliguntur. Sed forsan hæc nostra tantúm interpretatio est. Imó Patres ipsi hoc affirmant, & id Papistæ ipsi tandem viderunt. Sic enim interpretatur Stapletonus hunc locum ex Patrum quorundam consensu lib. 10. de princip. doctrin. fidei, cap. 1. Ex hoc igitur loco sic cõcludo: Doctrina indicat verum & falsum Prophetam: ergo per consequens veram & falsam Ecclesiam. Vel hoc modo: Verorum dogmatum prædicatio, Prophetæ & doctoris veri nota est, falsorum falsi: ergo similiter vera dogmata veram, falsa falsam Ecclesiam arguunt. Quæ enim Ecclesia Catholica est, ea propter Catholicam Catholicorum Doctorum doctrinam Catholica est; & quæ hæretica

retica est, propter hæreticam hæreticorum Doctorum doctrinam hæretica est.

Nonus locus habetur Matth. 13. v. 24. ubi Christus regnum cœlorum homini bonum semen in agro suo serenti comparat. Qui locus arguit, ibi esse cœlorum regnum, & Domini agrum, id est, illum cœtum esse Ecclesiam Dei, ubi hoc bonum Dei semen spargitur, hoc est, ubi verbum Dei puré prædicatur: ergo sana doctrina est Ecclesiæ nota. Semen enim est verbum Dei, ager est Ecclesia visibilis; in qua aliqui cum fructu semen illud accipiunt, aliqui veró sine fructu. In quibusdam enim statim consumitur, in quibusdam ad tempus hæret, in quibusdam matureſcit, & fructus uberrimos producit. Ager veró de toto mundo intelligi non potest, ut volunt Papistæ; quia hoc semen per totum orbem non seminatur.

Decimus locus habetur Matth. 18. v. 20. *Ubi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*, inquit Christus. Hic locus ibi Ecclesiam esse indicat, ubi Christi nomen invocatur, & ubi doctrina Christi dominatur. Nam illi in Christi nomine congregantur, qui Christum suum Doctorem & servatorem agnoscunt. Bellarminus contra hunc locum duo objicit. *Primó* ait, hunc locum demonstrare, non ubi sit Ecclesia, sed ubi sit Christus. Sic enim loquitur Christus (inquit) disertis verbis, *Ibi ego sum in medio eorum. Respondeo:* Si demonstret hic locus, ubi CHRISTUS sit, sufficit. Nam tum ubi Ecclesia sit, docet; quia Christus est cum Ecclesia sua. Ubi enim Christus, ibi Ecclesia. In Ecclesia Christus vivit, versatur, sedet, & habitat: ergo nulla clarior, aut illustrior potest esse Ecclesiæ nota, quám

Christi præsentia, & cohabitatio. Quare si ostendit hic locus, ubi Christus sit; tum ubi Ecclesia etiam sit, ostendit. Necesse enim est, illam Christi promissionem veram esse, *Ego ero vobiscum usq; ad consummationem seculi.* Jam veró Christus non aliter adest Ecclesiæ suæ, quám per verbi prædicationem: unde sequitur, verbi prædicationem Ecclesiæ notam esse. Verbi enim prædicatio facit, ut Christus ibi sit, ubi prædicatur, hoc est, ut ibi sit Ecclesia vera. Quæ enim Ecclesia Christum habet, ea demum vera Ecclesia est. *Secundó* objicit Bellarminus, congregari in nomine Christi, esse notam Ecclesiæ, si ii, qui congregantur, ab illis qui funguntur Christi authoritate, congregentur; quales sunt Episcopi legitimé ordinati, & succedentes aliis atque aliis, usque ad Apostolos, quos Christus primó reliquit loco suo. *Respondeo:* de Episcopis Pontificiis nullum hoc in loco verbum fieri. Non refert, quo modo, vel á quibus congregentur; modó in Christi nomine congregentur. At in Christi nomine non congregantur, qui aliter, quám Christi verbum postulat & præcipit, congregantur. Et quid si nolint Episcopi congregari? quid si impii sint, quales fuerunt tempore Christi, & quales in Papatu multis seculis fuerunt? sané tum dissipabunt potiús, quám congregabunt Ecclesiam. A quocunq; ergo congregentur homines pii, sive ab hoc, sive ab illo, sive occultè, sive apertè, sive plures, sive pauciores fuerint; modó in Christi nomine congregentur, id est, juxta ejus voluntatem, & vocem ejus audientes, & sequentes, ibi Ecclesia est. Bellarminus hîc de sua successione somniat, de qua ne verbum quidem hoc in loco habetur. Christus enim quando cum suis congregatus est, nunquam

quam á Sacerdotibus, aut summis Pontificibus & præfectis Judæorum est congregatus.

Undecimus locus habetur Matth. 28. 19. ubi Christus in cœlum ascensurus, discipulos suos cum hac legatione á latere suo dimittit: *Profecti in universum mundum, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Hîc pura prædicatio cum Baptismo conjungitur, sub quo & alterum Sacramentum συνεκδοχικῶς intelligitur. Ibi ergo Ecclesia est, ubi sunt verbum & Sacramenta. Jubentur enim Apostoli á Christo totum orbem peragrare, prędicare verbum, & baptizare, hoc est, constituere passim in toto orbe Ecclesias, ubi antea nullæ Ecclesiæ erant, & populum á Christo alienum ad Christum adducere. Jam ergo quid illud fuit, quod tam multas novas Ecclesias Apostolorum tempore ubique fecit? certé nihil aliud quám quod hîc Christus ait, nempe Evangelii sincera prædicatio, & recta administratio Sacramentorum: ergo hæc duo, verissimæ sunt Ecclesiæ Christi notæ. Indicant enim ibi Ecclesiam esse, imó constituunt ibi Ecclesiam, ubi priús nulla Ecclesia fuit. Sic si tale aliquid hodie eveniret, ut populus aliquis á Christo alienus Christum amplecteretur, & ejus doctrinam, ille populus continuó Ecclesia fieret. Ita doctrina Evangelica non indicat modó, verumetiam facit illum populum esse Ecclesiam, qui antea non fuit. Stapletonus de hoc loco aliquid respondet, lib. 1. de princip. doctrin. fidei, cap. 22. (nam Bellarminus de hoc, ut de plerisque tacet.) Duo veró objicit Stapletonus. Quorum *primum* hoc est, hunc locum nihil aliud probare, quám prædicationem Evangelii esse necessarium & ordinarium medium ad fidem, & ornamentum quidem atque

adjumentum veræ Ecclesiæ esse, non autem notam. *Respondeo:* Si prædicatio Evangelii sit illud necessarium & ordinarium medium, quo ad fidem pervenitur, tum est nota Ecclesiæ. Nam Ecclesia debet esse fidelium: at per Evangelii prædicationem ad fidem pervenitur; sine illa verò nunquam pervenitur: ergo Evangelii prædicatio Ecclesiæ nota & signum est. Ecclesia est fidelium schola; facit verò fideles per verbi prædicationem, ut per medium necessarium & ordinarium, ut fatetur Stapletonus; & cœtus ille, qui habet hoc medium, est Ecclesia: ergo hoc medium est nota Ecclesiæ. *Secundo* loco ait Stapletonus, Evangelii prædicationem esse propriam & valde illustrem Ecclesiæ Catholicæ notam. Hæc sunt ipsissima verba Stapletoni. Quid hoc? siccine Stapletonus? esse notam? esse propriam notam? esse illustrem, & valde illustrem notam? Probamus, amplectimur, agnoscimus. Sed subjungit, in legitimis ministris. Et nos quoque non aliter. Nam nulli habent authoritatem prædicandi, nisi ministri. Ergo de hoc jam litigandum est, qui ministri sint legitimi, qui non. Interim illud amplectendum est, quod ait, Evangelii prædicationem, illustrem Ecclesiæ notam esse. Quod verò subjungit, hanc Evangelii prædicationem in legitimis ministris, esse illarum ordinariam & perpetuam successionem Episcoporum, Sacerdotum & Pastorum ab ipsis Apostolis continua serie ad nos usque deductam: absurdè hoc quidem ab illo dicitur. Quid enim? an Evangelii prædicatio in legitimis Ministris nihil aliud est, quàm successio Pastorum? at fuit prædicatio Evangelii in legitimis Ministris, antequam ulla fuit successio Pastorum. Cùm enim Christus dixit: *Ite, prædi-*

prædicate Evangelium, nulla tum fuit ſucceſſio Paſtorũ. Præterea prędicavit Chriſtus, prædicarunt Apoſtoli, cúm nulla jam eſſet ſucceſſio Epiſcoporum. Præterea ſi nihil interſit inter prædicationem verbi, & ſucceſſionem Epiſcoporum; tum pura verbi prædicatio eſt nota Eccleſiæ; nam ſucceſſionem hanc eſſe unam ex præcipuis Eccleſiæ notis affirmant Adverſarii. Sed hoc illi non ferent: ergo neceſſe eſt, ut diſtinguant externam hominum ſucceſſionem á pura prædicatione verbi. Certé externa hæc ſeries & nuda ſucceſſio Sacerdotum & Epiſcoporum (quam per ſe notam eſſe volunt Adverſarii; nam doctrinam notam eſſe negant, quia obſcura eſt) non magis verbi prædicatio eſt, quám Regum, Prætorum, aut Conſulum ſucceſſio. Sed forſan hic eſt Stapletoni ſenſus, conjungendam eſſe puram verbi prædicationem cum ſucceſſione, adeó ut hæc ſine illa nihil valeat. At tum etiam doctrina magis nota erit, quám ſucceſſio; quia ſucceſſio magis pendet ex prædicatione, quám contrá. Nam priús de prædicatione conſtare oportet, quám ſucceſſio admittatur.

Duodecimus Scripturæ locus habetur Luc. 16. v. 29. Ubi Abrahamus divitem illum epulonem, petentẽ ut Lazarus ad fratres ejus ſuperſtites mitteretur, in hunc modum alloquitur: *Habent Moſen & Prophetas, audiant eos.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret; habent Scripturas, illas audiant, & in iis acquieſcant. Quæ verba indicant, non modó Eccleſiæ officium eſſe, Scripturas audire, & in iis acquieſcere, & nullam aliam doctrinam cœleſtem expectare: verumetiam ibi Eccleſiam eſſe, ubicunque ea omnia, quæ de Deo, de Chriſto, deque univerſa religione Chriſtiana

discenda sunt, ex Scripturis hauriuntur. Quemadmodum enim olim, antequam verbum scriptum fuit, & literis consignatum, Deus ipse sua voce veram religionem docuit, & qui eum hoc modo loquentem & docentem audiverunt, ii vera Ecclesia fuerunt: ita nunc qui Scripturas audiunt, hoc est, Deum in Scripturis loquentem, ii sunt Ecclesia. Scripturæ ergo sunt Ecclesiæ nota.

Decimustertius locus habetur Johan. 10. v. 27. Ubi Christus ait: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Quem locum Brentius, Melanchthon, Calvinus, & alii é nostris afferunt, cúm de Ecclesiæ notis disputant; & ex eodem inferunt, ibi Ecclesiam esse, ubi verbum Dei auditur. Bellarminus, & alii Papistæ, respondent, hunc locum pro nobis nihil facere. Hic enim locus (inquit) non docet ubi sit Ecclesia, sed qui sint electi, nimirum qui corde perseveranter audiunt, & retinent verbum, ut exponit Augustinus: cúm autem non possit sciri, qui corde audiant; non potest hæc, inquit, esse visibilis nota Ecclesiæ, sed est nota unicuique, ut saltem conjecturaliter cognoscat suam electionem. *Respondeo:* sciri quidem hoc non posse á nobis, qui sint electi, quiq; ex animo Christi vocem audiant: id tamen ex hoc loco evinci potest; ubi Christi vox sonat, ibi aliquos esse, qui ejus vocem ex animo audiunt: ergo vox Christi, id est, Christi doctrina, Ecclesiæ nota est. Nam qui Christi vocem in ordinario ministerio audiunt, eam non nisi in Ecclesia audiunt. Quare licet sciri non potest, qui ex animo & sinceré Christum audiunt: tamen hoc certó scimus, ubicunque Christi vox sonat, ibi esse aliquos, qui ex animo & sinceré audiunt, ideoque hanc esse Ecclesiam. Nam ubi sunt, qui Christi vocem

vocem audiunt & retinent, ibi eſt Eccleſia. Vocem autem Chriſti nuſquam niſi cum fructu ſonare; poſtea, Deo volente, demonſtrabimus.

Decimusquartus locus habetur Act. 2. 42. ἦσαν δὲ προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων, καὶ τῇ κοινωνίᾳ, καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, καὶ ταῖς προσευχαῖς. *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & in communicatione, & in fractione panis, & in precibus.* Qui ſané locus egregius eſt, & tamen de eo nec Bellarminus, nec Stapletonus aliquid reſpondet. Hæc verba oſtendunt, quibus ſignis agnita olim & demonſtrata fuit Eccleſia Apoſtolica. Quatuor autem ſigna ſeu notæ á Luca commemorantur. *Primum* ſignum eſt, διδαχὴ τῶν ἀποστόλων, *doctrina Apoſtolorum.* Apoſtoli enim illam doctrinã tradiderunt, quam á Chriſto acceperant. Chriſtiani veró illorum temporum hanc amplexi ſunt, & in ea permanſerunt; eademque hunc hominum cœtum ab aliis cœtibus & ſocietatibus diſtinxit. Nam ii ſoli tum vera Eccleſia erant, qui in hac doctrina perſeverabant. *Secundum* ſignum eſt κοινωνία, quę ſignificat mutua illa charitatis officia, quibus ſancti illi homines tum abundabant. Nam qui in Eccleſia cum fructu verbum Dei audiunt, ii quoque officiis charitatis abundant. Hanc notam nos prætermiſimus; non quia notam non exiſtimamus, ſed quia in priori nota includitur, cujus effectum eſt. Nam qui doctrinæ Apoſtolorum attendunt, ii fratrum neceſſitatibus communicare non gravantur, ſed mutua inter ſe charitatis officia cum alacritate quadam exercent. *Tertium* ſignum, ſive tertia nota, eſt κλάσις τοῦ ἄρτου, *fractio panis*, quæ illum convivandi publicum morem olim in Eccleſia uſitatum deſignat. Habebant enim olim Chriſtiani communia quædam convivia, quæ

ab illis ἀγάπαι vocabantur, in quibus ſemper Cœna Domini celebrari ſolebat, adeó ut aliqui hîc per fractionem panis nihil aliud intelligant, quám ſumtionem Euchariſtiæ. *Quarta* nota eſt προσευχαὶ, preces. Simul preces ad Deum fundebant, quod in omni Chriſtianorum Eccleſia fieri oportet. Atque hanc itidem notam nos in prima noſtra nota includimus. Eſt enim Miniſtri officium, cum publica verbi prædicatione preces conjungere. Jam ergo hic locus indicat, quibus ſignis tum cognoſci potuit, & cognita etiam fuit Eccleſia Apoſtolica; & iisdem etiam notis Eccleſia Chriſtiana omnium temporum ad finem uſque mundi cognoſcenda eſt. Omnis enim cœtus, qui permanet in doctrina Apoſtolorum, qui mutua charitatis officia exercet, qui Sacramentis legitimé utitur, & preces Deo publicé fundit, vera Eccleſia eſt. His enim ſignis Spiritus ſanctus voluit Eccleſiam primitivam, omnium quæ unquam fuerunt Eccleſiarum longé puriſſimam, nobis deſignare. Quis ergo non videt, has veras eccleſiæ notas eſſe, ſi Spiritus ſanctus probé ſuo munere functus eſt, de quo nemo ſine ſcelere dubitare poteſt?

Decimusquintus locus habetur Act. 16. 5. ubi hæc verba habētur: *αἱ μὲν οὖν ἐκκλησίαι ἐστερεοῦντο τῇ πίστει, καὶ ἐπερίσσευον τῷ ἀριθμῷ καθ' ἡμέραν. Eccleſiæ verò in fide corroborabantur, & augebantur numero quotidie.* Sic enim Lucas ſcribit de quibusdam illorum temporum Eccleſiis. Cúm Paulus ſcilicet & alii Apoſtoli Eccleſias peragrarent, & illis Apoſtolorum de abrogata Lege Moſis judicium annũciarent; ut conſtaret, illam fidem ac doctrinam, quam priús acceperant, eſſe veram: tum demum eccleſiæ in fide confirmabantur. Ex quo loco nos poſſumus colligere, quantó Eccleſiæ

clesiæ sunt in fide confirmatiores, tantó puriores esse: unde sequitur, firmamentum & nervos ecclesiæ esse fidem, hoc est, sanam doctrinam, & veram religionem. Quæ cúm ita sint, puram doctrinam ecclesiæ notam esse, fateamur necesse est. Nam & cõtinet, & efficit, & corroborat ecclesiam. Periculum erat, ne istæ Ecclesiæ á vera fide deficerent, atque ita desisterent esse Ecclesiæ. At postquam ab Apostolis in vera fide confirmatæ fuerunt, vim & naturam Ecclesiæ retinuerunt. Hujusmodi multa loca sunt, de quibus omnibus ex hoc uno facilé judicare possumus.

Decimus sextus locus habetur Rom. 10. 14. Verba Apostoli hęc sunt: *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt? quomodo autem credent ei, de quo non audiverunt? quomodo autem audient absq; prædicante?* Qui locus probat, fidem ex auditu verbi Dei concipi & nasci; ut veró audiamus, prædicationem esse necessariam: quare verbi prædicatio indicat ecclesiã. Nam ubi hæc est, ibi sunt, qui illam audiunt, id est, qui ad Ecclesiam pertinent. Et quanquam non omnes credunt, qui audiunt: tamen aliqui. Stapletonus lib. 1. de princip. doctrin. fidei, cap. 22. de hoc loco respondet, puram quidem prædicationem esse Ecclesiæ notam, in legitimo scilicet ministerio; sed isti homines (inquit) prædicationem á legitimo ministerio separant, & cum scripto verbo confundunt; quod si fiat, tum non Dei Ecclesiam, sed caulas hæreticorum, & Satanæ synagogam demonstrat. *Respondeo* 1: Quod ait, nos puram verbi prædicationem á legitimo ministerio separare: in eo insignem nobis injuriam facit. Nos enim non quibusvis fas esse dicim', ad hujus sacri muneris functionem accedere, sed iis tantúm, qui legitimé vocantur. Adjungimus. n. illud,

quod ſequitur apud Apoſtolum hoc ipſo in loco, *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Sed legitimum miniſterium ex verbo Dei pendere, & æſtimandum eſſe, non autem ex Papiſtarum externa ſucceſſione dicimus. 2. Quod fatetur, veram prædicationem eſſe Eccleſiæ notam in legitimo miniſterio: hoc nihil aliud eſt, quám quod nos dicimus, & defendimus. Hinc enim noſtras Eccleſias Catholicas eſſe contẽdimus, quia & veram prædicationem, & miniſterium legitimum habent. Sic ille cauſam nobis omnem dat ſua ſpõte. Si veró pura prædicatio in legitimo miniſterio ſit Eccleſiæ nota: tum de legitimo miniſterio litigandum eſt, & de hoc tota noſtra controverſia inſtitui debet. Et cúm ille puram prædicationem notam eſſe fateatur; cur non illi, quæſo, inter Eccleſiæ notas eam numerãt? 3. Quod ait nos prędicationem cum verbo ſcripto confundere: hoc non eſt omni ex parte verum. Etſi enim re ipſa idem ſunt: tamen ratione differunt. Nam idem verbum, aut eadem ſententia, poteſt ſcribi, & pronunciari: ratio tamen differt. Sic lex, quę ſcribitur, & quę á judice pronunciatur, re idem ſunt; tamen ratione diſtinguuntur. Sed hoc eſt, quod nos dicimus; nullum aliud verbum á Miniſtro prędicari debere, niſi quod ſcriptum eſſe conſtat. Sicut enim, quicquid judex profert, ex lege ſcripta proferre debet, & ſecundúm eam tantũ judicare, & ſententiam ſuam ferre: ita quicquid prædicator docet, ex lege ſcripta, hoc eſt, ex verbo Dei ſcripto, docere debet. Nos igitur per puram prędicationẽ, intelligimus explanationem, expoſitionẽ, interpretationem, & declarationem illius doctrinę, quam Deus in verbo ſuo ſcripto propoſuit & revelavit. Sed hîc Stapletonus aliquid dicit, quod nullo mo-

lo modo prętermittendum est. Ait scilicet, verbum, nisi á legitimo Ministro prędicatum fuerit, non modó non salutem, sed perniciem afferre; nec Christi Ecclesiam, sed Satanę synagogam demonstrare. Sed *respondeo*: verbum Dei ex se & sua natura salutiferum, non pernicioſum cuiquam esse, á quocunque tandem prędicetur. Nam alióqui falsa illa omnia testimonia essent, quæ verbo tribuuntur, & in quib. Scripturæ laudes passim prædicantur. Nec verbum Dei potest esse nota synagogæ Satanæ: sed luporum & latronum, hoc est, hæreticorum & schismaticorum falsa dogmata, quæ non sunt verbum Dei. Hæretici enim & schismatici latrones & lupi dicuntur, non quatenus verbum Dei prædicant, sed quatenus errores & hæreses suas pro verbo Dei venditant, & populo Dei obtrudunt. Sed hæc ab illis in hunc finem dicuntur, ut omnia ad externam suam successionem referant & revocent, ut quicquid ab illis proferatur, sit salutare, idem veró á nobis prolatum & pronunciatum pernicioſum habeatur.

Decimusseptimus locus sumitur ex 1. Cor. 4. 15. ubi Apostolus Corinthios in hunc modum alloquitur: *Ἐὰν γὰρ μυρίους παιδαγωγοὺς ἔχητε ἐν χριστῷ, ἀλλ' οὐ πολλοὺς πατέρας, ἐν γὰρ χριστῷ Ιησοῦ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα. Etsi decem millia pædagogorum habeatis in Christo; at non multos patres habetis. In Christo enim Jesu per Evangelium ego genui vos.* Corinthii erant á Deo remotissimi, & á vera Dei ecclesia alieniſſimi. Paulus ait, se ad illos accessisse, eosque per Evangelium Deo genuisse. Quid hoc aliud est, quám fecisse, ut qui antea non erant populus Dei, non ecclesia, jam Dei populus & ecclesia essent. Si Evangelium faciat, ut ubi ecclesia priús non fuit, ibi jam

ecclesia

Ecclesia sit: certé ecclesiæ nota & index necessarió est. Corinthii fuerant populus corruptissimus, nequissimus, vitiis contaminatissimus, & á Deo alienissimus. Evangelium eos Deo procreavit, & á reliquis populis segregavit, & notavit: ergo Evangelium, hoc est, doctrina Evangelica, ECCLESIÆ nota est.

Decimusoctavus locus habetur Gal. 1. 8. quo loco Apostolus omnibus anathema denunciat, qui aliud Evangelium prædicant, quám quod ipse tradiderat, & Galatæ antea acceperant. Quæ verba similiter causam nostram confirmant. Paulus enim docuerat Galatas Evangelium, illi receperant, atque ita facti sunt ecclesia. Postea veró ad aliud Evangelium, hoc est, ad aliam doctrinam ab Apostolorum doctrina disentientem transierunt. Nititur Apostolus ad pristinum Evangelium eos revocare, ac proinde vers. 6. sic eos alloquitur: *Miror quód tam citó aversi estis ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, ad aliud Evangelium.* Quod perinde est, ac si diceret: Fuistis aliquando ecclesia; jam veró quî factum est, ut Evangelium repudiando & abjiciendo ecclesia esse desistatis? Apostolicum ergo & Paulinum Evangelium, ecclesiam veram & Apostolicam designat & denotat; contraria veró seu diversa doctrina falsam. Galatarũ enim ecclesia fuit ecclesia Dei, quamdiu hoc Evangelium retinuit; ab eo veró nonnihil declinantem, atque ita ecclesiam Dei esse desinentem, revocat Apostolus, ut vera ECCLESIA sint, quemadmodum priús fuerant.

Decimusnonus locus habetur Ephes. 2. 20. ubi Apostolus scribit, Ecclesiam fundatam & constitutam esse super fundamentum Prophetarum & Apostolorum.

lorum. Intelligit veró Apoſtolus Prophetarum & Apoſtolorum doctrinam. Innuit ergo, hanc doctrinam ſic eſſe Eccleſiæ propriam, ut eâ nitatur Eccleſia, tanquam fundamento domus. Si veró hoc fundamento nititur Eccleſia, & in eo conſiſtit, ſequitur hanc ipſam doctrinam veræ Eccleſiæ notam eſſe. Metaphora nota & clara eſt. Sine fundamento enim domus conſiſtere non poteſt; hoc totam ædificii molem ſuſtinet, ſuffulcit, illuſtrat, facitque ut firma maneat, & ab omnibus conſpici poſſit, & veram rationem domus habeat. Eo veró ſublato, labitur & corruit ædificium; neque veram domus naturam & rationem retinet. Ita doctrina Prophetica & Apoſtolica, ſuſtinet, ſuffulcit, illuſtrat Eccleſiam, facitq; ut á nobis cõſpici poſſit Ea veró ſi ſublata fuerit, Eccleſia nuſquã apparebit. Quis igitur non videt, Prophetarum & Apoſtolorũ doctrinã, verã Eccleſiã indicare?

Viceſimus locus habetur 1. Tim. 3. 15. ubi Apoſtolus Eccleſiam vocat στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, *columnam & ſtabilimentum veritatis.* Qui locus oſtendit, veritatem in Eccleſia perpetuó reſidere & remanere, nec ab ea ſeparari poſſe. Falſum ergo eſt, quod ait Bellarminus, integram & incorruptam veritatem poſſe extra Eccleſiam reperiri. Reſidet enim tantúm & perpetuó remanet in vera Eccleſia. Veritatem Eccleſia ſuſtentat, prædicat, proponit aliis: ergo hæc veritas indicat Eccleſiam. Nam quæ Eccleſia hanc habet, ea eſt Catholica & vera Eccleſia. Et ſi ex hoc loco Adverſarii veré concludunt, Eccleſiam non poſſe errare: tum multó magis ex eodem ſequetur, quod nos dicimus, veritatem eſſe veræ Eccleſiæ notam, propter quam ECCLESIA non errat. Non enim errare, eſt puram veritatis

prædicationem retinere. Alii cœtus possunt errare, & errant; hujus verò cœtus proprium & nota est, nõ posse errare, ut ipsi fatentur. Quare nostram sententiam hic locus maximé confirmat. Huic simile est, quod habet Irenæus lib. 3. cap. 4. Ubi ecclesiam vocat *amplum quoddam & dives depositorium, in quod Apostoli omnia quæ sunt veritatis plenissimé contulerint.* Similiter etiam Tertullianus in lib. de præscript. ait, ecclesiæ commissam esse hæreditatem Scripturarum. Hæreditas verò nota, testis, & index est hæredis: ita veritas ecclesiæ. Liceret mihi magnum præterea testimoniorum cumulum in medium proferre. Sunt enim infinita, quæ nostram causam confirmant. Tota Scriptura nostram sententiam veram esse clamat, & pro nobis facit. Sed his paucis testimoniis hoc tempore contentus ero. Hæc ostendunt, ecclesiam ex sana doctrina & fide æstimandam esse.

CAPUT VICESIMUM.

In quo notæ nostræ rationibus quibusdam confirmantur.

NUnc ad secundum genus argumentorum nostrorum accedo, quod in certis quibusdam iisque necessariis rationibus positum est.

Prima nostra ratio est hujusmodi. Sana doctrina, & legitima Sacramentorum administratio, est forma ecclesiæ: ergo est ecclesiæ nota. Consequentia patet. Nihil enim magis indicat rem, quám rei forma. Nam verum est axioma illud Philosophorum, *Forma dat esse rei.* Imó forma rem illam, cujus est forma, constituit, indicat, & ab aliis rebus distinguit. Quod igitur est forma ecclesiæ, illud etiam ecclesiæ nota est. Jam de antecedente videamus, utrúm scilicet forma ecclesiæ in his duobus consistat, néc-

nc;

ne; quod sic probamus. Ponuntur hæc duo in definitione Ecclesiæ; ergo sunt ejus forma. Qui enim volunt rem aliquam definire, primó ejus genus quærunt, deinde differentiam, sive formam. Sic Aristoteles Rempublicam ex genere & forma definit. Sic qui hominem rectè definire vult, ex genere & forma debet definire. Vera enim definitio est, quæ habet verum genus, & veram differentiam, quæ formam definiti in se complectitur: vitiosa verò, quæ in alterutro horum peccat. Quare de definitione Ecclesiæ considerèmus. Quomodo ergo Ecclesiam definiemus? Non hîc de Catholica Ecclesia quærimus, sed de veris particularibus & visibilibus Ecclesiis. Visibilis verò Ecclesia quid aliud est, quám cœtus hominum veram Christi fidem publicè profitentium, & Sacramentis legitimè utentium. Hîc, cœtus hominum, est genus; publica verò sanæ fidei professio, & Sacramentorum administratio, differentia. Non enim quivis hominum cœtus est Ecclesia, sed ille demum cœtus, in quo est pura verbi prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio. Sed quomodo hanc definitionem probabimus? Forsan Adversarii huic definitioni non assentientur, forsan hæreticam esse dicent. Excutiamus igitur. Primó genus certissimum est, nec de eo laborandum est, sed de differentia. De differentia ergo videamus. Primó igitur quando Apostoli á Christo missi sunt in universum mundum, & authoritate muniti atque instructi fuerunt prædicandi Evangelium, & Ecclesias constituendi, quam, quæso, viam aggressi sunt? quid fecerunt? quomodo novas Ecclesias pepererunt? Ubique scilicet Evangelium Christi sincerè populis prædicârunt; & postquam eos in vera fide instituis-

sent, iis rectum Sacramentorum usum tradiderunt; & sic hæ notæ ubique Ecclesiam á reliquis hominum cœtibus distinxerunt. Paulus Corinthum vênit, ubi nulla erat Ecclesia; ibi per Evangelii prædicationem Ecclesiam fundavit; & prædicatio illa erat nota, hunc cœtum fuisse Ecclesiam. Ita aperté de Corinthiis scribit Apostolus, se illos Christo per Evangelium genuisse; 1. Cor. 4. 15. Similiter de Galatis scribit Gal. 4. 19. τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῇ χριστὸς ἐν ὑμῖν. *Filioli mei, quos iterum parturio, usquequo formetur Christus in vobis.* Verba sunt observanda. Evincunt enim luculentissimé id quod nos volumus. Nam innuũt verba illa, impressam fuisse antea Galatis Christi formam ab Apostolo illorum parente, per Evangelii prædicationem. Quid hoc? fuisse scilicet Galatas antea veram Ecclesiam. Jam veró cúm hæc forma in illis pené deleta esset, Apostolus in eo totus erat, ut eam denuó renovaret, hoc est, ut eos iterum Ecclesiam faceret, aut saltem in integrum Ecclesiæ statum restitueret, qui jam pené desierant Ecclesia esse. Itaque ait Apostolus, se illos jam denuó parturire, donec in illis Christus iterum formaretur. Sic igitur ex hoc loco concludo: In quocunque hominũ cœtu Christus formatur, ibi vera est Christi Ecclesia: at ubi vera doctrina prædicatur, ibi Christus formatur: ergo ubi vera doctrina prædicatur, ibi vera est Christi Ecclesia. Quare Judas in vers. 3. suæ Epistolæ jubet omnes sanctos ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει, *pro ea fide contendere & dimicare, quæ sanctis semel tradita fuit,* & eandem constanter retinere. Hæc fides illos Ecclesiam fecit; hæc conservavit, quam fecerat, Ecclesiam. Atque hoc est quod legimus Rom. 1. 8. ubi Apostolus de Romanis sic scribit:

scribit: ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. *Fides vestra annunciatur, sive divulgatur, in toto mundo*; hoc est, toti orbi passim innotescit, vos esse Ecclesiam Dei. Ex his colligi potest, formam, ideam, & quasi animam Ecclesiæ, esse veram doctrinam, cui tanquam appendix adjungenda est legitima Sacramentorum administratio. Si verò sana doctrina sit forma ECCLESIÆ, tum etiam nota est; quod in nostro argumento positum fuit. Sed quid si ipsi etiam Papistæ á nobis hac in re non dissentiant? quid si hanc nostram definitionem agnoscant & recipiant? nunquid dubitabimus, sanam doctrinam esse Ecclesiæ notam? Recognoscite ergo mecum Bellarminianam Ecclesiæ definitionem, quæ habetur lib. 3. cap. 2. de Ecclesia; cujus definitionis tres partes sunt. Vult enim ille Ecclesiam esse cœtum hominum, ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipué unius CHRISTI in terris vicarii Romani Pontificis. Quæ quidem definitio cum nostra per omnia congruit, nisi in hac tertia & postrema parte, quæ est de subjectione, quam vult ab Ecclesia deberi Pontifici Romano. Nunc igitur hinc concludo, professionem veræ fidei & Sacramentorum communionem esse veras Ecclesiæ notas. Nam sunt partes definitionis Ecclesiæ; & unde, quæso, Ecclesia meliús, quám ex ejus definitione denotari, designari, & agnosci potest? Jam verò solertiam illorum, fraudemque insignem, mecum, quæso, observate. Quæro enim ab illis, recténe hoc modo definita sit ECCLESIA, an non? si rectè, quod illi volunt &

contendunt; tum hæ sunt Ecclesiæ differentiæ: si differentiæ sint; tum quare non ponunt eas inter Ecclesiæ notas, quandoquidem in Ecclesiæ definitione proponunt? At illi nullam harum partium faciunt Ecclesiæ notam, nisi tertiam & ultimam. Illa enim est præcipua nota; illa Romanorum Pontificum, capitum Ecclesiæ successio, quibus omnes Ecclesiæ filios subjici volunt, inprimis ab illis celebratur. Canisius in Catechismo suo, hanc unicam notam instar omnium facit, subesse scilicet Romano Pontifici; & ratio ejus hæc est, quia in definitione Ecclesiæ ponitur. Quare cúm hanc tertiam definitionis partem Ecclesiæ notam constituant; cur non duas etiam priores itidē inter notas numerant? Nam manifestū est, aut illam tertiam non esse notam, aut duas priores itidem notas esse. Absurdé igitur & iniqué faciunt Adversarii, qui ponunt in definitione, quod non ponunt in notis. Qui enim rem aliquam definire vult, quid aliud vult, quám eam notare? Et de prima nostra ratione hactenus.

Secunda nostra ratio sic instituitur: Deficere á vera fide, est nota falsæ Ecclesiæ: ergo perseverare in vera fide, eamque constanter retinere, est nota veræ Ecclesiæ. Cōsequentia patet. Nam falsa Ecclesia est contraria veræ: ergo contrariis notis distinguuntur. Videamus ergo de antecedente. Illud veró probatur ex 1. Tim. 4. 1. ubi Apostolus hæc verba habet: τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων. *Spiritus diserté dicit, fore ut posterioribus temporibus desciscant quidam á fide, spiritibus deceptoribus attendentes, ac doctrinis dæmoniorum.* Ex quo loco intelligimus, deficere á fide, nihil aliud esse, quám his spiritibus

spiritibus & doctrinis aurem admovere, de quibus hoc in loco Apostolus, hoc est, falsa dogmata amplecti, & doctrinas á Diabolo inventas, id est, falsas doctrinas & erroribus plenas tueri ac defendere. Jam veró quemadmodum falsam illam Ecclesiam esse nemo negare potest, quæ hujusmodi dogmata retinet, & doctrinas hujusmodi tuetur: ita veram illam Ecclesiam esse necesse est, quæ vera dogmata & sanam doctrinam retinet ac tuetur. Hoc illud est, quod Paulus ait 1. Tim. 1. 19. quosdam fidei naufragium feciſſe, hoc est, ab Ecclesia sese disjunxisse. Et idem Paulus in eodem capite vers. 3. jubet Timotheum denunciare Ministris quibusdam Ecclesiæ Ephesinæ, μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, hoc est, ne aliud doctrinæ genus proponerent á pura doctrina alienum, vel ut idem Paulus seipsum interpretatur, 1. Tim. 6. 3. quod contrariatur ὑγιαίνουσι λόγοις τοῖς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, *sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi.* Jam veró quemadmodum ex hujusmodi doctrinâ, falsa Ecclesia notatur: ita ex sana doctrina & sanis sermonibus, vera. Hoc etiam illud est, de quo Apostolus Galatas reprehendit Gal. 1. 6. nimirum quód á vera fide εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον, *ad aliud Evangelium* defecerant. Similiter legimus in Epistolis illis feré omnibus, quas Johannes Christi jussu ad Ecclesias Asiaticas scripsit, quarum mentio fit Apoc. 2. & 3. Nam quacunque in re tantillum vel transversum (quod ajunt) unguem á sana doctrina declinaverāt, reprehensas videmus, & monitas ut caverent. Ita reprehensam legimus Ecclesiam Pergamensem, quód in sinu suo quosdam foveret, qui doctrinam Balaam & Nicolaitarum tenuerunt; & Ecclesiam Thyatirensem, quód permitteret mulierem Jezabel, quæ

se prophetissam dicebat, docere, & servos Christi seducere: & ecclesiam Philadelphiensem, quód haberet eos, qui se dicerent esse Judæos, nec essent tamen. Et sic semper eam ecclesiam damnatam esse legim⁹, quæ in fide non perstiterat. Quid aliud, quæso, Arianos ex ecclesia ejecit & exclusit, tanquam spurios filios, nisi illorum falsa de filio Dei doctrina? Quare falsum dogma, falsa religio, falsa fides, falsam ecclesiam indicant, ac proinde vera veram. Idem dici potest de reliquis hæreticis, de Macedonianis, de Nestorianis, de Valentinianis, & aliis, qui cúm semel á vera fide defecerunt, de ecclesia continuó esse desierunt. Catholicos enim ab hæreticis fides sola semper distinxit. Deniq; illa apostasia, de qua legimus 2. Thess. 2. Ecclesiæ veræ & Christo maximé contraria, quid aliud est, quám falsa religio? Ergo si illa apostasia nota sit ecclesiæ Antichristianæ, tum veram fidem docere, & in vera doctrina perseverare, est nota veræ Christi ecclesiæ.

Tertia nostra ratio sic se habet: Pii Principes, & sancti episcopi, conati semper sunt ecclesias corruptas ac depravatas, non aliunde, quám ex verbo Dei scripto instaurare ac repurgare, & illas ecclesias semper esse optimé purgatas existimârunt, quæ juxta hoc verbum reformatæ sunt. Quæ cúm ita sint, sané negari non potest, doctrinam illam, quam pii illi homines tanquam ideam quandam semper in ecclesiis reformandis spectare consueverunt, veram ecclesiæ notam esse. Egregia est illa historia, quæ habetur Josuę 22. ubi legimus, voluisse Josuã cum reliquis Israëlitis, Reubenitas, Gaditas, & dimidiam tribum Manasse, bello persequi, ob nullam aliam causam, nisi quód á patria fide eos desciviſse existimaverant, ad

quam

quam eos aut verbis, aut armis revocare cupiebant. Idem etiam Josua cap. 23. & 24. ejusdem libri, longa oratione omnes Israëlitas ad colendum Deum, sicut per Mosen præceperat, & ad constantiam in vera religione hortatur, eosque in eodem cultu & fide confirmat. Similiter Josias, cùm inveniſſet librũ Legis, ex ejusdem Legis præscripto continuó domum Dei instaurandam, fœdus cum Deo faciendum, & Ecclesiam repurgandam esse curavit, ut legimus 2. Reg. 23. Sic Esra, ut legimus Esræ 7. 10. Sic Nehemias, ut habetur Nehemiæ 8. 3. Similiter alii pii Principes, Jehosaphat, Asa, Ezechias, Salomon, & reliqui denique omnes, qui á Spiritu sancto laudantur, ad verbũ & Legem Dei Ecclesiam reformârunt. Unde constat, verbum Dei Ecclesiæ formam esse, & per consequens, notam. Similiter etiam postea Christiani Principes fecerunt. Ita Ecclesias Arianæ hæreseos veneno infectas & corruptas, ex verbo Dei repurgare conatus est Constantinus in Concilio Niceno, ut docet Theodoretus lib. 1. cap. 7. Ubi Patres Nicæni Concilii in hunc modum eum alloquutum esse, legimus: Εὐαγγελικὰ βίβλοι καὶ ἀποστολικοὶ, καὶ τῶν παλαιῶν ἐνθέων τὰ διαπάσματα σαφῶς ἡμᾶς ἀναγκάζει τὰ δεόντα φρονεῖν ἐκπαιδεύουσι. πρὸ πολέμου οὖν ἀναλάσαντες ἔχειν, περὶ θεοπνεύστων λόγων λάβωμεν τὰς ζητουμένας πρὸ λύσιν. *Evangelici & Apostolici libri, quinetiam veterum Prophetarum oracula, nos planè instruunt, quid de divinis rebus sentiendum sit. Ergo depositâ omni hostili discordiâ, literarum divinitus inspiratarum testimoniis, res in quæstionem adductas dissolvamus.* Quæstio verò tum in controversiam vocata, fuit de Christi deitate, quam Ariani negabant. Constantinus verò cùm Ecclesiã hac ex parte quasi collapsam voluit restituere, nõ alio modo aut regulâ

usus est, quám Scripturis. Et sic omnes pii Episcopi semper ex Scripturis sana dogmata hauserunt, & falsa dogmata ex Scripturis damnârũt, & in sana prędicatione ipsã Ecclesiæ animã positã esse existimarũt.

Quarta ratio nostra sequitur, quam sic instituimus. Quæ res distinguit & discernit Ecclesiam veram á falsa, ea est Ecclesiæ nota: at pura verbi prædicatio (cum qua semper conjungi volo legitimam Sacramentorum administrationem, si justum impedimẽtum non fuerit, ut antea diximus) Ecclesiam veram á falsa distinguit & discernit: ergo est Ecclesiæ nota. Eas enim notas nos quęrimus, quę veram Ecclesiam á falsa distinguant. Major patet. Minor verò probatur omnibus illis Scripturę testimoniis, quibus antea usi sumus; & ex quibus docuimus, verbum Evangelii Ecclesiam constituere, & Sacramenta solius Ecclesiæ propria esse. Quibus nunc pauca adjungemus. Psalm. 76. 1. sic scribit Propheta: *Notus in Judæa Deus, in Israële magnum nomen ejus; & factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sione.* Idem etiam Propheta Psalm. 48. 1. hæc verba habet: *Magnus est* JEHOVA, *& laudatus valde in civitate Dei nostri, in monte sanctitatis ejus, ornamentum & gaudium totius terræ est mons Sion. Deus in palatiis ejus agnoscitur &c.* Hęc & hujusmodi testimonia indicant, Judęos propter veram religionem aliis omnibus populis prælatos, & ab iisdem hac nota distinctos fuisse. Sana ergo doctrina, & vera religio, Ecclesiæ nota est, quia facit Ecclesiam omnibus Ethnicorum & hæreticorum conventiculis multó eminentiorem & illustriorem: imó non nota tantúm, verumetiã ornamentũ Ecclesię est. Paul' Apostolus Rom. 3. 2. Judæorum populũ in hoc reliquis fuisse pręstantiorẽ ait, &

hoc

hoc singulare fuisse illorum privilegium, quód illis commissa fuerunt τὰ λόγια τῦ θεῦ, *eloquia* vel *oracula* Dei. Porró si Evangelium faciat, ut cœtus aliquis hominum sit Regnum Dei, tum est nota Ecclesiæ: at verum primum: ergo & secundum. Nota est parabola de vinea, quæ habetur Matth. 21. 33. Illa veró vinea appellatur postea in eodem capite Regnum Dei. Nam v. 43. Christus ait Judæis: *Dico vobis, quód tolletur á vobis Regnum Dei, & dabitur genti, quæ ferat ejus fructus.* Regnum veró Dei Origenes interpretatur mysteria Regni Dei, id est, divinas Scripturas. Vocantur veró Scripturę Regnū Dei per metonymiam effecti, quia faciunt ut homines sint Regnum Dei, hoc est, ut Deus in illorum cordibus regnet. Simile est quod legimus Apoc. 2. 5. ubi Christus Ecclesiam Ephesinam in hunc modum alloquitur: *Veniam adversum te citó, καὶ κινήσω τὴν λυχνίαν σου ἐκ τῦ τόπου αὐτῆς, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς, movebo candelabrum tuum á loco suo, nisi resipueris.* Quasi diceret: Candelam aut auferam, aut extinguam, & candelabrum dejiciam; ut quæ fuit Ecclesia illustris, deinceps sit nulla. Hoc veró fit, quando Evangelium tollitur. Candela enim hæc est lux Evangelii, quæ lumen suum longé lateque diffundit. Sic verbum illuminat omnes, qui ad illud accedunt, ejusq; veré participes fiunt; & instar candelæ cujusdam est. Ubi ergo verbum Dei puré prædicatur, ibi Deus veré colitur, ibique vera Ecclesia est; ubi veró pura verbi prædicatio cessat, ibi regnum Dei tollitur, & alió transfertur. Quare Evangelium & verbum Dei, est Ecclesiæ nota.

Quinta nostra ratio est hujusmodi. Ecclesia est ad puram verbi prædicationem alligata: ergo pura verbi prædicatio est Ecclesiæ nota. Consequentia mani-

festa est, nec eget probatione. Nam si sic tota ex pura verbi prædicatione pendeat Ecclesia, ut ad eam alligetur; tum certé illa hanc indicat. Jam veró ad eam alligari Ecclesiam, ne ipsi quidem Papistæ audent negare. Quid enim? non alligabitur Ecclesia ad puram prædicationem? num licebit ei impia & impura prædicare? nullo modo. Sed fatentur Adversarii, ad puram prædicationem alligari Ecclesiam, non autem ad Scripturas. Quare ergo non fatentur, puram prædicationem esse Ecclesiæ notam, cúm ad eam Ecclesia ex illorum confessione alligetur? Neq; hîc quærimus, utrúm pura prædicatio ex verbo Dei scripto petenda tantúm & haurienda sit. Hoc ad aliam Quæstionem pertinet. Sufficit alligari Ecclesiam ad prædicationem puram, sive ea ex Scripturis tantúm petenda sit, sive non. Nos suo loco ostendimus, omnem prædicationem ex Scripturis sumendam esse. Quare sic denuó concludo: Alligatur Ecclesia ad puram prædicationem: ergo ex pura prædicatione est agnoscenda.

Sexta nostra ratio sic se habet: Si pura verbi prædicatio faciat, ut ibi, ubi ea est, sint aliqui veré fideles, justi, pii, & electi, qui ad Ecclesiam invisibilem pertinent; tum pura verbi prædicatio est visibilis Ecclesiæ nota: at ubicunque verbum puré prædicatur, & durabilem stabilemque sedem obtinet, ibi aliqui sunt hujusmodi: ergo manifestum est, puram verbi prædicationem, Ecclesiæ notam esse. Forsan dicent, majoris consequentiam esse dubiam & ambiguam. At illa certa quidem est, & necessaria. Nam illa Ecclesia est vera visibilis Ecclesia, quæ habet in se electos, & vocatos, etsi occultos; propter quos etiam Ecclesia nominatur. Quia enim nos nescimus, qui

sint

ſint electi, & veré pii, & per conſequens vera Chriſti Eccleſia: quod ex parte tantúm verum eſt, id toti tribuimus. Jam ergo reſtat, ut minorem probemus, hoc eſt, fieri non poſſe, quin ibi aliqui pii ſint, & veré fideles, ubi verbum puré prædicatur. Quam propoſitionem ſic probamus. Verbum Dei potens & efficax eſt; Deus per illud potenter operatur, quemadmodum ex Petri & aliorum Apoſtolorum concionibus patet. Et quanquam non æqué ubique efficax eſt, tamen aliquam ubique efficaciam habet. Vocatur δύναμις θεοῦ εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, *potentia Dei ad ſalutem omni credenti*, Roman. 1. v. 16. Et rectè Soli comparari poteſt, quia ignorantiæ tenebras diſpellit & profligat. Eſt Eccleſiæ cauſa inſtrumentalis. Pſalm. 19. 8. dicitur animas convertere, & emollire. Apud Prophetam Iſaiam pluviæ & nivi comparatur; quia ut pluvia & nix nunquam vacua revertuntur, ſed terram rigant, & fructum proferre faciunt: ita nec verbum Dei otioſum erit, aut ad Deum inane redibit, ſed aliquos ſemper ad Deum adducet. Atque hoc etiam ex illa parabola de ſeminatore confirmari poteſt, quam Chriſtus proponit Matth. 13. 3. Principalis ſeminator eſt Chriſtus: reliqui etiam Miniſtri ſub illo ſeminatores ſunt. Quod veró ab illis ſeminatur, verbum eſt. Sed quis tandem hujus ſeminationis exitus eſt? Num omnes fructum ferunt? nequaquam. Nam aliqua pars ſeminis in ſpinas cadit, aliqua pars in terram petroſam, aliqua juxta viam. Sed tamen aliqui ferunt fructum; nam quædam pars ſeminis ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλήν, *in terram bonam* cadit. Et Eccleſia viſibilis comparatur areæ, agro, reti, ut Papiſtæ fatentur; quia ex bonis & malis miſta eſt; quorum hi quidem nec ver-

bum recipiunt, nec ejus fructus aliquos ferunt; illi veró utrumque faciunt. Et Evangelium Paulus ait Coloss. 1. 6. ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ καρποφορεῖσθαι, *in toto mundo fructus proferre.* Et idem Paulus Rom. 3. v. 3. cúm dixisset commissa esse Judæis Dei eloquia, subjungit, τί γάρ, εἰ ἠπίστησάν τινες; *Quid enim, si quidam non crediderunt? num illorum incredulitas fidem Dei inanem reddet? Absit.* Non omnes ergo Judæi eloquia divina respuerunt, sed quidam ex illis crediderunt. Atque hoc quidem illud est, quod nos probandum suscepimus, verbum scilicet Dei nunquam ociosum esse. Cúm ergo constet, verbum illud esse, quod filios Deo generet; cumque extra Ecclesiam nulli sint Dei filii, nulli veré pii, nulli electi: sequitur, verbum Dei Ecclesiæ notam esse.

Septima nostra ratio sequitur, quam in hunc modum instituimus. Quod facit Ecclesiam esse Catholicam, illud est Ecclesiæ nota: at pura doctrina Ecclesiam Catholicam facit: ergo pura doctrina est Ecclesiæ nota. Quam partem nobis probandam dabunt Adversarii? Nulla certé pars confirmatione eget. Major enim patet. Et minor palám vera est. Nam fides Catholica facit Ecclesiam Catholicam: fides autem Catholica nihil aliud est, quám pura & sincera doctrina: sequitur ergo aperté, puram doctrinam Ecclesiæ notam esse. Sic olim ex fidei professione, Ecclesiæ aut Catholicæ aut hæreticæ æstimabantur. Nam quæ fidem Catholicam tenebat, ea Ecclesia Catholica dicebatur; quæ hæreticam, hæretica. Hinc ἀναλογία πίστεως ex Scripturis collecta est, quam Ecclesia semper, tanquam certam quandam, & minimé fallacem regulam sequi deberet. Hinc Symbolum Apostolicum ut tessera veræ fidei proponitur.

Quid

Quid Ecclesiam Apostolicam olim ab aliis cœtibus distinxit? quid Catholicos ab Arianis, Nestorianis, Macedonianis, Valentinianis, reliquisq; hæreticis? nónne doctrinæ sanitas? Quis ergo non videt, ex genere doctrinæ Ecclesiam esse judicandam? Idem de nostris temporibus dici potest. Cur enim hodie Judæi & Turcæ non sunt Ecclesia, nisi quód sanam doctrinam non tenent? Aliquando habuit locum inter nos Papismus, ille jam profligatus est: tum Ecclesiam nostram Catholicam fuisse dicunt Adversarii, nunc non Catholicam; quam, quæso, aliam ob causam, nisi propter doctrinam? Quare manifestum est, fidem & doctrinam sanam, etiam ex ipsorum confessione, Ecclesiam Catholicam facere: ex quo sequitur, doctrinæ sanitatem Ecclesiæ notam esse.

Octava & ultima nostra ratio est hujusmodi. Ecclesia per Scripturas innotescit: ergo Scriptura est Ecclesiæ nota. De consequentia non laborabo. Ad antecedentem igitur propositionem accedam. Quæro an velint Adversarii illam propositionem negare? Stapletonus lib. 1. de princip. doctrin. fidei, cap. 25. hoc argumentum tractat, & hanc propositionem in uno sensu veram esse agnoscit. Quis ille tandem sensus est? Scripturam scilicet demonstrare, qualis sit Ecclesia, qualiter dotata, quibus privilegiis, quibus prærogativis & insignibus ornata; & sic notam esse Ecclesiæ, quia veras Ecclesiæ notas tradit. Ergo dant aliquo sensu esse notam; quia scilicet Ecclesiæ dotes, privilegia, prærogativas, atque adeó notas etiam ipsas demonstrat. Non autem (inquit) quód ibi est Ecclesia, ubi Scriptura rectè prædicatur. Sic ille. Sed quæro, utrúm Scriptura omnes Ecclesiæ

notas tradat, an non? Certé aut omnes tradere neceſſe eſt, aut nullas. Nam hoc ſenſu veram eſſe propoſitionem dicunt, quód Scriptura demonſtrat, qualis Eccleſia ſit, & qualiter dotata. At tum nulla certé nota Papiſtica eſt vera. Nam Scriptura nullam ex iis probat. Eam veró, quam præcipuam eſſe volunt, ſubeſſe ſcilicet Romano Pontifici, ubi tandem inveniunt? in quo, quæſo, Scripturæ loco? De hac certé nota ne verbum quidem Spiritus ſanctus in tota Scriptura facit. Sed ſi admittamus hunc ſenſum, erit nihilominus Scriptura Eccleſiæ nota. Sic enim ex illo ſenſu ratiocinamur: Quod alias Eccleſiæ notas indicat, illud magis nota eſt: at Scriptura alias Eccleſiæ notas indicat: erga ipſa magis nota eſt, quám reliquæ. Minor eſt Stapletoni. Major patet. Ergo ratio optimé ſequitur. Nam quia per Scripturas, & propter illas, tum rem ipſam, id eſt Eccleſiam, tum ejus notas intelligimus: manifeſtum eſt, Scripturam ipſam magis notam eſſe. Si quis hominem nobis ex ſuis notis demonſtraverit; nónne per eundem, magis hominem illum cognoſcimus, quám per omnes notas ab ipſo propoſitas? Ita cúm Scripturæ nobis Eccleſiæ notas indicent: ex ipſis maximé Eccleſiam innoteſcere neceſſe eſt. Sed jam ſciſcitemur aliquid ex Stapletono. Quæro igitur, quomodo innoteſcat Eccleſia per Scripturas? num quia indicant Scripturæ, quæ ſint notæ Eccleſiæ, non aliter? num in eum tantúm finem traditæ ſunt Scripturæ, ut Eccleſiæ notas nobis deſcriberent, & demonſtrarent? Non hoc dicent, opinor. Nam ſunt in Scripturis dogmata fidei propoſita; quæ qui tenent, ſunt Eccleſia; qui non tenent, non ſunt. Hæc ergo dogmata erunt Eccleſiæ nota. Quorſum enim hæc dogma-

ta tradita, & literis mandata sunt? nónne ut ab Ecclesia audiantur, discantur, credantur, teneantur? Quidni? cúm Christus sic diserté loquatur Matth. 28.v.19.20. *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν, docētes eos servare omnia quæcunq; præcepi vobis.* Huc etiam referri potest illud, quod idem Christus ait Johan. 8. 31. *Si permanseritis in sermonibus meis, veré mei discipuli eritis.* At horum sermonum aliqui saltem scripti sunt, si non omnes. Ergo Scriptura saltem erit Ecclesiæ nota ex parte. Nam ex observatione sermonum CHRISTI, discipuli Christi agnoscuntur. Quare quemadmodum Bellarminus confessus est, Scripturam esse partialem regulam veritatis: sic Stapletonus fateatur necesse est, Scripturam saltem esse partialem Ecclesiæ notam; cúm veritas nota sit, cujus maximam saltem partem in Scripturis contineri non negabit. Nam si Scriptura sit regula veritatis, tum certé est nota Ecclesiæ; quia hæ notæ debent in se veritatem habere. Sed cúm nos Scripturam antea perfectam esse veritatis regulam docuerimus; hinc constat, omnes Ecclesiæ notas in Scripturæ veritate esse. Præterea, si omnis doctrina non sit in Scripturis; quæro unde illam esse veram doctrinam intelligunt, quæ in Scripturis non habetur? num ex Ecclesiæ testimonio? At hoc non constat cum Papistarum sententia. Nam Stapletonus lib. 12. cap. 16. ait, scriptum solummodo Dei verbum subjici Ecclesiæ: ergo non-scriptum non subjicitur. Et nos antea in disputatione de Scripturis majori testimonio opus esse docuimus, quám Ecclesiæ. Cúm ergo omnia dogmata religionis sint ex Scripturis petenda:

sequitur, per Scripturas Ecclesiam notari; id est, non modó quæ sint Ecclesiæ notæ, intelligi; sed etiam eam esse veram Ecclesiam, quæ hæc dogmata tenet. Aliâs enim, si hic tantúm Scripturæ usus esset, ut Ecclesiæ notas designaret, nihil veró amplius ageret: non opus fuisset tam multis libris, quia Ecclesiæ notæ pauciſſimis indicari poterant. Sed manifestum est, Spiritum sanctum voluisse plenam doctrinam in his libris tradere, ut Ecclesia sciret, quid tenere, quid fugere deberet, unde & se, & alios cœtus agnoscere, deniq; ut ex iisdem libris omnia fidei dogmata petere posset. Præterea dogmata omnia Ecclesiæ sunt ex Scripturis dijudicanda & definienda: ergo Scriptura sola, hoc dogma esse verum, hoc falsum, indicat. Hoc est quod Augustinus ait in lib. 2. de Baptism. contra Donatist. cap. 6. Scripturas esse *stateram divinam*, qua omnis doctrina appendi debet. Quare omnem istam argumentationem hoc syllogismo concludo: Si omnis doctrina ex Scripturis dijudicari & definiri debeat, tum Scriptura est Ecclesiæ nota: at primum verum: ergo & secundum.

CAPUT VICESIMUM PRIMUM.

In quo notæ nostræ nonnullis tum antiquorum Patrum, tum Papistarum quorundam testimoniis confirmantur.

NUnc superest postremo loco, ut quemadmodum soliti sumus in aliis causis, hominum nonnulla testimonia proferamus, quibus hanc causam nostram communiamus. Et primó quidem ex Augustino testimonia quædam proferam. Ejus primum testimonium sumitur ex Epist. 166. in qua quidem Epistola sic scribit: *In scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam. Has Scripturas communiter habemus.*

habemus. Quare non in eis & Christum, & Ecclesiam communiter retinemus? Idem in lib. de unitate Ecclesiæ, cap. 2. hæc verba habet. *Inter nos & Donatistas quæstio est, ubi sit Ecclesia. Quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui, Domini nostri? Puto quód in illius verbis eam quærere debeamus, qui veritas est, & optimé novit corpus suum.* Et in eodem libro postea cap. 3. *Non audiamus*, inquit, *hæc dico, hæc dicis; sed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certé libri Dominici, quorum authoritate utriq; consentimus, utriq; credimus, utrique servimus. Ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* Et pauló póst in eodem capite sic scribit: *Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.* Hæc sunt omnia Augustini testimonia in hac causa, quibus Adversarii nostri aliquid respondent. Stapletonus lib. 1. de princip. doctrin. fidei, cap. 24. & Bellarminus in hoc 4. lib. de Ecclesia cap. 2. his testimoniis respondere conantur. Ajunt veró, ex Scripturis quidem probari, ubi sit Ecclesia, non tanquam ex nota Ecclesiæ; sed quia Scripturæ docent, quæ sint Ecclesiæ notæ, dum docent, qualis illa sit, ubi cœperit, quomodo creverit, quas denique in illam dotes Christus contulerit, non quód verbi doctrina sit Ecclesiæ nota, ita ut ubi ea sit, ibi sit Ecclesia. *Respondeo:* quæstionem inprimis nobilem inter Catholicos & Donatistas de Ecclesia fuisse, ubi nimirum ea esset. Utrique ad se Ecclesiam rapiebant, utrique apud se Ecclesiam esse dicebant. Augustinus totam hanc litem ex Scripturis dirimi cupit, & eorum vult esse Ecclesiam, qui eam ex Scripturis possent demonstrare. Quid hoc, quæso, aliud est, quám apud eos esse Ecclesiam, qui doctrinam Scripturis consentaneam te-

nent? Ex quo ſequitur, veram doctrinam Eccleſiæ notam eſſe. Nequaquam; (inquiunt Adverſarii) ſed eâ de causâ voluit Auguſtinus ex Scripturis Eccleſiam demonſtrari, quia Scripturæ indicant, qualis ſit Eccleſia, latiſſimos nimirum & ampliſſimos eſſe illius fines, quia eſt toto terrarum orbe diffuſa; & ſic Donatiſtas refelli, qui eam in anguſtias quasdam compingebant, hoc eſt, intra arctiſſimos Africæ fines concludebant. *Reſpondeo*: hoc quidem aliquo modo verum eſſe, & concedi poſſe. Fateor enim, hanc unam cauſam fuiſſe, cur Auguſtinus tam ſæpe ad Scripturas provocaverit, ut ex iis nempe doceret, Eccleſiam non eſſe in Africæ anguſtiis concluſam, ſed communem, & latiſſimé diffuſam eſſe, etiam per univerſas totius orbis regiones. Tamen nihil impedit, quó minús & illud quoque crediderit Auguſtinus, Eccleſiam eſſe per omnia ex Scripturis agnoſcendam. Auguſtinus enim Scripturas tam ſæpe urget, non tam ut Eccleſiam Orthodoxam ideo eſſe Eccleſiam probaret, quia laté diffuſa fuit; quám quia doctrinam Scripturarum tenuit; nec tam ut apud Donatiſtas non eſſe Eccleſiam doceret, quia non tam laté diffuſi fuerunt, quám quia dogmata falſa & Scripturis minimé conſentanea tenuerunt; præcipué veró quód Eccleſias celeberrimas & florentiſſimas propter nullam aliam cauſam, niſi propter quorundam vitia & malos mores, damnarent, quas veram doctrinam tenere ſciebant. Quare in libro de unitate Eccleſiæ cap. 2. ſic ſcribit: *Quicquid nobis invicem objicimus de traditione codicum divinorum, de thuriſcatione, de perſequutionibus, verba noſtra ſunt &c.* Et paulò póſt: *Faciamus quod ait Apoſtolus, donantes nobismetipſis, ſicut & Deus in Chriſto donavit nobis &c.* Uno eorum

ſcelere

scelere correcto, quód se frustra separaverunt ab unitate orbis terrarum. Ita vult ille, omnem hanc quæstionem esse de schismatica tantúm illorum ab Ecclesia Dei separatione propter malos hominum mores, quam ille quæstionem postea ex Scripturis tantúm dijudicari vult. Et in tertio capite ejusdem libri sic scribit: *Ille libros sacros tradidisse credatur, qui lectis libris non consentire convincitur.* Quid hoc, quæso, aliud est, quám eos esse veram Ecclesiam, qui Scripturis consentiunt; eos veró falsam Ecclesiam esse, qui non consentiunt? Et in 4. capite ejusdem libri, hæc verba habet: *Quicunque de ipso capite á Scripturis sanctis dissentiunt, non sunt in Ecclesia.* A Scripturis autem dissentire de capite, quid aliud est, quám non tenere veram doctrinam in Scripturis de Christo traditam? Unde eam esse veram & Catholicam Ecclesiam intelligamus, quæ de capite Ecclesiæ, hoc est, de Christo veré sentit & judicat, secundúm Scripturas. Quare in eodem libro cap. 10. ait: *Ne Catholicis quidem Episcopis consentiendum est, sic ubi forte falluntur, ut contra Canonicas Dei Scripturas aliquid sentiant.* Si illi pro Catholicis Episcopis non sunt habendi, qui á sana doctrina dissentiunt: tum nec ea Ecclesia Catholica erit, quæ veram doctrinam non tenet. Et in eodem libro cap. 16. sic scribit: *Ego ipsam Ecclesiam requiro ubi sit.* Tu ergo nos doce Augustine, ubi sit. Subjungit: *Quæ audiendo verba Christi, & faciendo, ædificat super petram, & audiendo ac faciendo tolerat eos, qui audiendo & non faciendo ædificant super arenam.* Ubi Augustinus Ecclesiam ex auditu verborum Christi definit. Ait enim, eos esse veram Ecclesiam, qui verba Christi tum audiunt & faciunt ipsi, tum audientes & non facientes tolerant: hos super arenam

ædificare, illos super petram: ex utrisque conflatam esse Ecclesiam communiter dictam. Jam verò tota hæc multitudo verbum Dei audit: ergo audire verbum Dei, est nota Ecclesiæ. Sed pergamus, & alia Augustini testimonia proferamus, unde intelligamus, illum voluisse, non eo modo tantúm, quo Papistæ, sed quo nos, Scripturam Ecclesiæ notam esse. Augustinus in enarratione Psal. 21. expos. 2. sic scribit: *Ubicunq; timetur Deus & laudatur, ibi est Ecclesia Christi.* Hoc illud est, quod nos dicimus, ubi vera est Evangelii prædicatio, ibi veram Ecclesiam esse. Ibi enim Deus veré laudatur & timetur, ubi ejus pura religio suscipitur. Negant Adversarii hanc Augustini mentem esse, nempe ubicunq; vera doctrina tenetur, ibi veram Ecclesiam esse. At ille his verbis hoc ipsum diserté affirmat. Idem in lib. 11. de civitate Dei, cap. 1. Scripturam Ecclesiæ testē esse ait: *Civitatem Dei dicimus*, inquit, *cujus ea Scriptura testis est, quæ non fortuitis motibus animorum, sed planè summa dispositione providentiæ, super omnes omnium Gentium literas, omnia sibi genera ingeniorum humanorum, divinâ excellens auctoritate subjecit.* Quibus verbis, civitatis Dei, id est Ecclesiæ, testem esse affirmat (Ecclesiæ, inquam, veré Christianæ) Scripturam illam, quam nos Canonicam vocamus. Sed hoc forsan concedent Adversarii, Scripturam scilicet Ecclesiæ testem esse; quia docet nimirum, & testatur, & indicat, qualis sit Ecclesia, & quas notas ac dotes habere debeat. Verúm probabo ex eodem Augustino, Scripturam alio modo Ecclesiæ testem esse, nempe quia vera religio, hoc est, religio ex Scripturis hausta, & iisdem consentanea, ipsam Ecclesiam fecit, & condidit. Sic enim scribit Augustinus libro 6. de civitate Dei, cap. 3. *Vera religio*

non

non á terrena aliqua civitate instituta est, sed plané cœlestem ipsa instituit civitatem. Eam verò inspirat & docet verus Deus, dator vitæ æternæ cultoribus suis. Ex quibus verbis duo colligo. *Primò*, Doctorem & magistrum veræ religionis esse Deum solum. *Secundò*, hanc veram religionem facere Ecclesiam. Sic enim Augustinus: *Cœlestem ipsa instituit civitatem.* Per cœlestem verò civitatem, Ecclesiam Dei intelligit. Unde constat, veram religionem Ecclesiæ notam esse: Nam si vera religio instituit & condidit Ecclesiam: ex ejus certè institutis Ecclesia vera agnoscenda est. Et alia quidem multa ejusmodi testimonia habet Augustinus; sed non est necesse omnia commemorare. Nunc ad alios Patres accedo.

Epiphanius contra Montanistas hæres. 48. quæ habetur lib. 2. tom. 1. sic scribit: ἀσύμφωνος τοίνυν πανταχοῦ τοιοῦτος ἀπὸ θείων γραφῶν εὑρέθη, ὡς παντὶ τῷ ἐντυγχάνοντι. εἰ τοίνυν ἀσύμφωνος ἐστίν, ἀλλότριός ἐστι τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας. *Proinde penitus discors á divinis Scripturis hic* (Montanus scilicet) *invenitur, velut omnibus manifestum est, qui attentè legunt. Si itaq; discors est, alienus est á sancta Catholica Ecclesia.* Ergo Ecclesiæ Catholicæ nota est Scripturarum doctrina.

Ex Chrysostomo nostri luculentum testimonium proferunt, quod habetur in opere imperfecto in Matth. homil. 49. ubi Chrysostomus ait, eum qui vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, nulla ratione cognoscere posse, nisi per Scripturas. Verba Chrysostomi hæc sunt; *Nunc nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas.* Ait ergo Chrysostomus, per Scripturas cognosci, quæ sit vera Christi Ecclesia, & *tan-*

tummodo per Scripturas, hoc est, non aliunde quàm ex Scripturis. Et ibidem paulò antea ait, multis modis olim Ecclesiam cognosci potuisse, priusquam hæreses eam invaserant: nunc verò cognosci tantúm per Scripturas. Verba ejus hæc sunt: *Ex quo obtinuit hæresis Ecclesias, nulla probatio esse potest veræ Christianitatis, nisi Scripturæ divinæ.* Hoc testimonium commemorat Bellarminus, sed ei nihil hîc respondet, ait se antea sæpe respondisse. Verúm hunc locum nos antea ab illius calumniis vindicavimus. Stapletonus lib. 1. de princip. doctrin. fidei, cap. 25. ait, hocopus esse totum ab aliquo Ariano conscriptum, aut postea ab Arianis corruptum; & subjungit, non mirum esse, nos hæreticos hæreticorum testimoniis delectari. *Respondeo:* Fuisse hunc librum totum, aut ab Ariano aliquo conscriptum, aut ab Arianis postea corruptum, nunquam potest á Stapletono, aut ab alio quoquam Papista probari. Opus certé egregium est, & quovis etiam Catholico Patre dignum, si unum aut alterum locum excipias, qui Arianismum sapere videtur. Probabile quidem est, ab aliquo Ariano in quibusdam locis corruptum esse. Sed de hoc loco nullus unquam conquestus est. Cur enim, quaso, Arianus ad Scripturas provocaret? quasi Scripturis Ariani non luculentissimé refutentur. Augustinus certé ad Scripturas provocat, quando disputavit cum Maximino Ariano, quem aliqui hujus operis authorem fuisse existimant. Deinde quare non respondet Stapletonus, aut Bellarminus, hujus Authoris rationibus, quicunq; tandem ille fuerit? Tantúm testimonium leviter eludunt, rationes non attingunt, quæ tamen examinandæ fuerunt. Ait Author ille, antea ostendi solitum esse multis modis

qui

quæ esset Ecclesia Christi, & quæ Gentilitas; nunc autem nullo modo, nisi tantummodó per Scripturas. Et rationem subjungit: *Quia quæ Christi propria sunt in veritate, ea hæreses habent in schismate. Habent Ecclesias, habent ipsas Scripturas divinas, habent Episcopos, cateroqꝫ ordines clericorum, habent Baptismum, habent Eucharistiam, habent cætera omnia.* Pergit deinceps idem Author, & ait, olim ex miraculis agnitã fuisse Ecclesiam; nũc autẽ sublata esse miracula, aut apud falsos Christianos magis inveniri: & antea ex moribus Christianorum intellectum esse, quæ esset Ecclesia, nunc autem pejores factos esse Christianos hæreticis, aut Gentilibus. Unde sic concludit: *Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, unde agnoscat, nisi tantummodó per Scripturas?* Ratio firma est. Si enim hæretici possunt hæc omnia externa indicia habere, & alia præterea omnia, quæ sunt Ecclesiæ propria, præter Scripturas, id est, præter veram Scripturarum doctrinam: necesse est hanc veram Scripturarũ doctrinam, Ecclesiæ veram & solam per se sufficientem Ecclesiæ notã esse. Ex hoc testimonio duo colligo: *Primó*, externa illa indicia, ex quibus Adversarii nostri Ecclesiam agnosci volũt, esse omnino incerta & fallacia; quia possunt etiam in hęreticorum Ecclesiis inveniri. Possunt enim hæretici habere Ecclesias, Sacramẽta, Episcopos, & alia hujusmodi externa indicia, addo etiam successionem, quam Adversarii præcipuam Ecclesiæ notam esse volunt. *Secundó*, ex superiori testimonio colligo, propter hanc causam Ecclesiam veram distingui á falsa tantummodó per Scripturas, hoc est, tantummodó per veram Scripturarum doctrinam, & veræ fidei professionem: unde sequitur, ex vera doctrina judicandam &

æstimandam Ecclesiam esse, non aliter. Ea enim nullibi locum habet, præterquam in vera Ecclesia, cujus etiam efficiens causa est. Apertissimum ergo hoc testimonium est, & ad causam nostram confirmandam aptissimum. Atq; hæc sunt omnia testimonia, quibus Adversarii aliquid respondent: alia non attingunt. Sed nos alia multa possumus in ista causa proferre. Quare ut hunc locum paulò diligentiùs perpurgemus, ad alios Patres accedamus.

Irenæus antiquus Pater, lib. 3. cap. 1. sic scribit. *Evangelium per Dei voluntatem in Scripturis* Apostoli *nobis tradiderunt, columnam & firmamentum fidei nostræ futurum.* Ubi duo affirmat. *Primum* est, columnam & firmamentum fidei nostræ, id est, notam Ecclesiæ esse Evangelium, hoc est, doctrinam Evangelicam. Nihil enim aliud est, esse columnam & firmamentum, quám esse notam; quia ut columna & firmamentum sustinet ædificium, & facit ut ab omnibus conspici possit, ita doctrina Evangelica Ecclesiam. *Secundum* est, hoc Evangelium, id est, hanc doctrinam Evangelicam, in Scripturis tantúm traditam esse. TERTULLIANUS in lib. de præscript. adverss. hæret. ait, illas Ecclesias esse veras, *quæ tenent quod ab Apostolis acceperunt, & quod Apostoli á Christo, & quod Christus á Deo.* Si illæ sint Ecclesiæ veræ; tum fides Apostolica est veræ Ecclesiæ nota. Idem in eodem libro apertiùs scribit, aliquas Ecclesias Apostolicas dici, quia ab Apostolis fundatæ & institutæ fuerunt, *alias verò Ecclesias, quæ non sunt institutæ ab Apostolis, tamen si in eadem fide conspirent, non minús Apostolicas deputari, propter cõsanguinitatem doctrinæ.* Unde doctrinam Apostolicam esse notam Ecclesiæ Apostolicæ constat. CYPRIANUS sive RUFFINUS in expositione Symboli ait,

eam

eam eſſe ſanctam eccleſiam, *in qua una eſt fides, & unũ baptiſma, in qua unus Deus creditur Pater, & unus Dominus Jeſus Chriſtus filius ejus, & unus Spiritus ſanctus.* Quid hoc, quæſo, aliud eſt, quám eam eſſe veram Chriſti eccleſiam, quæ veram Chriſti doctrinam amplectitur? Quod idem Author poſtea diſertis verbis aſſerit, cúm ait, eccleſiam eſſe, *quæ fidem Chriſti integram ſervat.* LACTANTIUS lib. 4. cap. 30. hæc verba habet: *Sola igitur Catholica Eccleſia eſt, quæ verum cultum retinet. Hic eſt fons veritatis, hoc templum Dei, hoc domicilium fidei; quod ſi quis nõ intraverit, vel á quo ſi quis exiverit, á ſpe vitæ & ſalutis æternæ alienus eſt.* Ubi apertè ſcribit, in eccleſia tantúm vera, verum Dei cultum, & veram fidem reperiri. Verus ergo Dei cultus, & vera fides, eſt nota veræ eccleſiæ. HILARIUS in comment. in Pſalm. 51. ſic ſcribit: *Eſt autem domus Dei Eccleſia, & omnes fidei Evangelicæ ſectatores.* Ergo qui ſectantur fidem Evangelicam, ii ſunt eccleſia. Idem in libr. 2. de Trinitate ait, *fidem eſſe fundamentum Eccleſiæ.* Si fundamentum eccleſiæ ſit, ejus etiam notam eſſe neceſſe eſt. Nam fundamentum ſuſtinet & oſtendit ædificium. Pergo. Venio nunc ad HIERONYMUM. Is in comment. in Micheam lib. 1. cap. 1. ſic ſcribit: *Eccleſia Chriſti, quæ habitat bene, & in toto orbe Eccleſias poſſidens, Spiritus unitate conjuncta eſt, & habet urbes Legis, Prophetarum, Evangelii, & Apoſtolorum; non eſt egreſſa de finibus ſuis, id eſt, de Scripturis ſanctis, ſed cæptam retinet poſſeſſionem.* Ubi apertè ſcribit Hieronymus, Scripturas eccleſiæ fines eſſe, extra quos non egreditur. Scripturæ ergo definiunt & circumſcribunt eccleſiam, & per conſequens eam denotant & deſignant. Idem Hieronymus in comment. in Pſalm. 133. ſic ſcribit: *Eccleſia non in parietibus conſiſtit, ſed in dogmatum veritate. Eccleſia ibi*

est, ubi fides vera est. Quid hoc illustrius dici potuit? Hoc Adversarii nostri diserté negant. Illi suam ecclesiam in parietibus constituunt, nos nostram in dogmatũ veritate. Infinita testimonia possem proferre, sed paucis contentus ero. Ex multis enim pauca tantúm delibo. AMBROSIUS in lib. 2. cap. 7. de Jacob & beata vita sic scribit: *Ibi est Ecclesia Dei, in qua apparet Deus, & loquitur cum servis suis. Ibi eripiuntur & absconduntur simulacra Gentium. Fides enim Ecclesia, omnem observantiam Gentilitatis abolevit.* Ergo ubi Deus apparet, & loquitur cum servis suis, hoc est, ubi Evangelium Christi docetur, & vera doctrina, verusq; Dei cultus retinetur; ibi vera Christi ecclesia est. Idẽ in comment. in Luc. lib. 6. cap. 9. sic scribit: *Si qua est Ecclesia, quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat; ne quam labem perfidiæ possit aspergere, deserenda est.* Ergo Apostolicæ prædicationis fundamenta possidere, hoc est, veram fidem, sanamque doctrinam, amplecti & tenere, veræ ecclesiæ nota est. Nam si falsam doctrinam tenere, sit nota falsæ ecclesiæ, quæ fugienda ab omnibus & deserenda est: tum veram doctrinam tenere, veræ ecclesiæ notam esse necesse est. EUCHERIUS antiquus Pater in lib. 2. in Genes. cap. 7. hæc verba habet: *Eo tempore, quando linguarum facta est varietas, in sola domo Heber, quæ antea fuit lingua, remansit: ita & nunc in sola Ecclesia, quæ est domus Christi, unitam esse confessionis & fidei pacem, divisis omnibus reprobis restat.* Per confessionem & fidem, intelligit Catholicam doctrinam, & prædicationem. Hæc ergo confessio & fides, hoc est, Catholica doctrina & prædicatio, argumentum & testimonium est veræ ecclesiæ. Idem in lib. 3. comment. in Reg. sic scribit: *Dilatata per orbem Ecclesia, in una eademq; fide, & veritate*

ritatis Catholicæ societate consistit. Ergo fides & veritas Catholica Ecclesiæ Catholicæ nota est. LEO in sermone 3. de jejunio mensis septimi ait: *Plenissima peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ una est oratio & una confessio.* Hæc ergo confessio, quæ est unius fidei, unam Ecclesiam facit, & indicat. Similiter GREGORIUS lib. 6. cap. 16. in Job sic scribit: *Quasi distinctæ in mundo regiones sunt Ecclesiæ Gentium, quæ in una fide positæ, morum linguarumq; diversitate dividuntur.* Ergo fidei unitas est genuina ecclesiæ nota; quia efficit, ut ecclesiæ dissimiles una sint. Distinctæ enim moribus & linguis Ecclesiæ, fidei unitate agnoscuntur. RUPERTUS in lib. 7. comment. in Apocalyp. cap. 12. in hunc modum scribit: *Flumen verum, flumen aquæ vivæ, sancta Scriptura, veraq; Catholica doctrina, quam Ecclesia, quæ est mulier ista, mittere consuevit de fonte veritatis.* Ergo ex hoc fonte, id est, ex sacræ Scripturæ veritate, agnoscitur ecclesia. THOMAS AQUINAS in secunda secundæ quæst. 83. artic. 2. ait, *Ecclesiam perfici per unitatem fidei.* Et ALBERTUS in comment. in Luc. c. 13. ait: *Ecclesiam esse radicatam in Sacramentis, & doctrina Prophetarum.* Deniq;, ut tandem hac testimoniorum multitudine supersedeam; DRIEDO in lib. 4. cap. 4. de dogmatibus variis & libris Apocryphis, ait, Ecclesiam esse ex Scripturis quærendam & cognoscendam. Ergo Scriptura, hoc est, vera doctrina Scripturis consentanea, Ecclesiæ vera & propria nota est.

Atque ita hanc omnem Quæstionem de notis Ecclesiæ, jam tandem Dei beneficio absolvimus.

Finis quintæ Quæstionis.

QUÆSTIO SEXTA.

An Ecclesia Romana sit vera Christi visibilis Ecclesia.

CAPUT PRIMUM.

De statu Quæstionis.

NUnc sequitur ut ad sextam Quæstionem veniamus, quæ est de Romana Ecclesia; quam Adversarii unicam esse verã in terris Christi Ecclesiam dicunt; & ei omnes veræ ecclesiæ notas convenire affirmant; qua de re, tractatâ jam Quæstione de notis ecclesiæ, faciliús judicare possumus. Omnib. illi quidẽ persuasum hoc esse cupiunt, ecclesiam solam Romanam esse Catholicam ecclesiam, & feré non aliâ persuasione utuntur: qua certé contra multos prævalent. Quanquam veró nõ esse hanc veram ecclesiam, ex omni feré controversia & quæstione constat; quia multas nimirum & magnas hæreses defendit: tamen peculiarem hac de re Quæstionẽ instituemus; quã breviter absolvemus; quia plura nobis postea hac de re dicenda sunt, ubi ad Quæstionem de Antichristo ventũ fuerit. Et primó quidem verum Quæstionis statũ proponemus.

Quando nos ecclesiam Romanam, verã & Catholicam Christi ecclesiam esse negamus, non veterem illam Romanam ecclesiam intelligimus, qualis fuit tempore Apostolorum, & qualem Paulus illam describit Rom. 1. 8. tum enim vera Christi ecclesia fuit, quamvis non sola; quia aliæ multæ fuerunt eodem tempore

tempore illuſtres Eccleſiæ: nec eam, quæ nonnullis poſt Chriſti & Apoſtolorum tempora ſeculis fuit: quæ quamvis fuit aliqua ex parte corrupta, tamen vera Eccleſia fuit: ſed eam quæ nunc eſt, quæque recentioribus hisce temporibus floruit. Eam nos non modó non ſolam Catholicam Eccleſiam, ſed ne omnino quidem Catholicã eſſe dicimus; nec tantúm non Catholicam, id eſt, univerſalem, ſed ne veram quidem Eccleſiam Chriſti particularem eſſe contendimus. Quare deſerendam eſſe dicimus ab omnibus, qui ſervari volunt, tanquam Antichriſti & Satanæ Synagogam. Adverſarii tenent, (quemadmodum Stapletonus illorum ſententiam explicat lib. 4. de princip. doctrin. fidei cap. 18.) ſocietatem illam hominum Chriſtianorum, quæ Romana & Catholica vulgó vocatur eccleſia, hoc eſt, quæ Romanæ eccleſiæ tanquam capiti adhæret, veram eſſe Chriſti ſolamque in terris eccleſiam. Quare noſtræ ſententiæ ſunt plané ἀντίφασις. Nos enim omnino econtra, hanc, quæ ſic vulgo vocatur, nec eſſe ſolam, nec eſſe ullam eccleſiam dicimus; nedum eſſe eccleſiam Catholicam, extra quam nemo ſervari poteſt. Quare quod illi inferunt, in ea nobis vivendum & manendum eſſe; falſum eſſe dicimus: quin potiús fugiendam illam eſſe ab omnibus affirmamus, & nullam in ea ſalutem ſperandam eſſe: imó damnandam illam eſſe dicimus, tanquam barathrum hæreſeos & erroris. Sed quia & hactenus contra illam eccleſiam diſputavimus, & deinceps in omni controverſia diſputaturi ſumus: nunc breviús hanc cauſam tractabimus. Interim etſi non multa, tamen neceſſe eſt ut nonnulla in utramque partem argumenta proponamus. Stapletonus igitur in loco ſu-

prá citato, hoc est, in lib. 4. cap. 18. de princip. doctr. decem demonstrationes affert, quibus hanc suam propositionem probat; ecclesiam Romanam, esse solam in terris veram Christi visibilem ecclesiam. Has demonstrationes nos diluemus, & contrarias postea demonstrationes proponemus.

CAPUT SECUNDUM.

In quo ad decem Stapletoni demonstrationes, quas de hac Quæstione affert, respondetur.

PRima Stapletoni demonstratio hæc est: Promissiones de futura ecclesia, in hac sola ecclesia completæ sunt. Nam hæc sola crevit per totum orbem, incipiens á Hierusalem. *Respondeo*: Si probare posset, hanc solam ecclesiam esse, in qua promissiones completæ sunt; causam concluderet. Sed hoc nunquam demonstrabit. Sunt quidem de ecclesia promissiones multæ, sed de ecclesia Romana nullæ; nec de ecclesia cujusquam loci, aut regionis. Quare falsissimum omnino est, quod ait, hanc Romanam ecclesiam esse, quæ crevit per totum orbem, incipiens á Hierusalem. Non crevit hæc quidem jamdiu, sed decrevit; nec magis hæc ecclesia illa dici potest, quæ crevit per totum orbem, quám populus hic Romanus dici potest populus ille, qui olim gentibus imperavit. Illa verò ecclesia, quæ crevit per totum orbem, & de qua tam multæ promissiones in veteri & novo Testamento habentur, dupliciter intelligi potest. *Primò*, pro numero veré fidelium; qui quidem olim exiguus fuit, & intra unam regionem conclusus, postea autem amplissimus fore prædicitur. *Secundò*, pro numero eorum, qui veram de Christo fidem & religionem profitentur. Neutro verò modo convenire possunt

possunt Romanæ ecclesiæ istiusmodi promissiones. Non primo modo; quia illi nolunt ecclesiam esse numerum veré fidelium, propterea quód hic numerus occultus est; sed volunt esse aspectabilem hominum multitudinem. Nec secundo modo est ecclesia Romana illa ecclesia, cui factæ sunt hæ promissiones. Tum enim ostendant oportet eandem fidem: aliâs eadem non est. Deinde si fidem eandem ostendant, tum imprudentes dant, fidem ecclesiæ notam esse. Nam si hæc Romana ecclesia sit illa ecclesia propter fidem: tum fides nota est ecclesiæ. Ego veró sic illas promissiones interpretor, ut proprié & primarió de electis & veré fidelibus intelligantur, quorum numerus est occultus; minús proprié & secundarió de visibilibus ecclesiis, quæ per puram prædicationem, verbique ministerium filios quotidie multos Deo generant. Sed hæ etsi vocantur ecclesiæ: tamen non sunt ecclesiæ, nisi ex parte, nempe quia habēt in se aliquos electos, & veré fideles. Utrovis veró modo sumamus; Romana ecclesia, illa non est. Absurda enim multa hanc sententiam consequuntur. *Primum* absurdum est hujusmodi: Si Romana Ecclesia ea sola sit, ad quam hæ promissiones pertinēt: tum sequetur, omnem ecclesiam olim fuisse Romanam; quod nullus unquam Pater dixit, & ratio reclamat. Nam non magis omnis Ecclesia olim Romana fuit, quám Hierosolymitana; nec minús Hierosolymitana, quā Romana. Erant hæ ecclesiæ particulares; alia nō fuit inclusa in alia; sed omnes separatæ & in solidum Ecclesiæ erant. *Secundum* absurdū hoc est: Si Romana ecclesia ea sit, quæ cœperit in Hierusalē: tū sequetur, eam é Sione prodiisse. At illud falsū est. Roma.n. nūquam é Sione prodiit: Ecclesia autē Romana á Roma

nomen habet. Romana verò ecclesia cœpit, cùm Evangelium Romæ primùm prædicatum est. Quare Romana ecclesia non est illa, ad quam hæ promissiones pertinent. *Postremum* absurdum hoc est: Si vaticinia Prophetarum in illa tantùm ecclesia completa sunt; tum in nulla alia sunt completa: at in aliis multis passim ecclesiis completa sunt, in ecclesia Hierosolymitana, in ecclesia Antiochena, in ecclesia Ægyptiaca, in ecclesia Græcorum, in ecclesiis omnium gentium, quæ nullum cum Romana ecclesia commercium habuerunt, nisi quòd eandem fidem tenuerunt. Sed propter hoc non magis erant hæ ecclesia Romana, quàm ecclesia Romana erat una ex his. Ita multiplicem hujus sententiæ absurditatẽ videmus. Sed demus, hanc olim illam ecclesiam fuisse, cui factæ sunt hæ promissiones: tamen dicimus, jam illud de Roma verè dici posse, quod Propheta olim dixit de Hierusalem, Isai. 1. 21. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis?* Et de prima demonstratione hactenus.

Secundò Stapletoni demonstratio, est hujusmodi: Hæc sola ecclesia nunquam desiit, sed perpetuò extitit in continua personarum & doctrinæ successione. *Respondeo*: hoc esse falsum. Hæ omnes Stapletoni demonstrationes, nihil aliud quàm principii petitiones sunt. Non enim hæc sola ecclesia duravit. Fuerunt in aliis multis orbis partibus ecclesiæ, ut in Græcia, & alibi, in perpetua successione. Sed ecclesia potest aliter durare, quàm in visibili successione. Etsi ergo nulla posset ecclesia illustris postremis hisce temporibus nominari, quæ opinionem habuerit ecclesiæ, & cui ecclesiæ nomen tributum est, præter ecclesiam Romanam: tamen non inde sequitur, nullam præterea ecclesiam fuisse. Potuit enim Deus alio modo

ecclesiam

Eccleſiam ſuam, quám in viſibili aliquo cœtu conſervare; potuit eccleſia in paucis eſſe, iisque ſenſum humanum latentibus; quemadmodum nos antea docuimus. Eſt hujus demonſtrationis fallacia duplex. *Prima* eſt, quód durationem eccleſiæ ad externam perſonarum ſucceſſionem reſtringat. Satis enim nos antea oſtendimus, Deum non eſſe ad perſonas, ad locos, ad tempora, ad ſedes alligatum; ſed poſſe Eccleſiam ſuam ſine externa hac perſonarum, id eſt Epiſcoporum, ſucceſſione conſervare. *Altera* fallacia eſt, quód cum perſonarum ſucceſſione callidé doctrinæ ſucceſſionem conjungit. Nam *primó* nos hoc conſtanter negamus, ullam eſſe in hac eccleſia doctrinæ ſucceſſionem; & hanc demum ſucceſſionē eam ſolam eſſe dicimus, cujus ratio aliqua habenda eſt. *Secundó*, ſoliti ſemper ſunt Adverſarii negare, doctrinam eſſe Eccleſiæ notam: nunc eam præcipuam notam facit Stapletonus. Quorſum enim, quæſo, doctrinæ ſucceſſionem hoc in loco cum perſonarum ſucceſſione conjungit, niſi quód nunc demum intelligit, ſine illa hanc nihil valere; cúm hactenus doctrinam non eſſe Eccleſiæ notam contenderit? Jam ergo de doctrina nobis cum Adverſariis litigandum eſt; quod illi ſemper refugere ſolent. Atque hæc de ſecunda demonſtratione.

Tertia Stapletoni demonſtratio hæc eſt: Romana Eccleſia ſola ſemper viſibilis, & toti orbi illuſtris fuit. Et talis debet eſſe Eccleſia in ſtatu novi Teſtamenti. Hæretici veró eccleſiam in deſerto poſitam quærunt. *Reſpondeo* 1: Romanam Eccleſiam ſolam ſemper viſibilem fuiſſe, & toti orbi illuſtrem, apertum mendacium eſt. Fuerunt enim olim multæ præterea glorioſiſſimæ & illuſtriſſimæ eccleſiæ viſibiles; quæ

etſi jam non appareant, non ſequitur tamē, Romanam ſolam eſſe veram Eccleſiam, quia ſic á ſuis ſalutatur. Quód veró illæ Eccleſię jam non appareāt; hoc indicat, externum Eccleſiæ ſtatū incertum ſemper & fallacem eſſe, & non ſemper fore Eccleſiam glorioſē aſpectabilem. 2. Etſi Scripturæ teſtantur, & Prophetæ prædixerunt, Eccleſiam ſub novo Teſtamento illuſtrem futuram eſſe: nullus tamen locus proferri poteſt, in quo Deus promiſerit, perpetuó illuſtrem fore. Imó multi loci ſunt, qui contrarium teſtantur, & nos antea multis argumentis contrarium evicimus. Quare quanquā his aliquot ſeculis, in hac Occidentali parte mundi, Papa cum ſuis pro Eccleſia habiti ſunt: tamen non inde ſequitur, nullam fuiſſe aliam Eccleſiam. 3. Quód nobis ſolitudinem objicit, nihili æſtimamus. Nos cum Scriptura Eccleſiam fore in ſolitudine tempore Antichriſti dicimus; & nos non pudet, ex hujusmodi ſolitudine Eccleſiam noſtram revocare. Malumus enim cum vera Eccleſia in ſolitudine verſari, quám in mediis urbibus cum Antichriſto. Ita enim nos antea oſtendimus, atq; ita á Spiritu S. edocti ſumus, Antichriſtū ſcilicet in templis, in urbib⁹, in cathedris, dominaturū; cū interim Eccleſia in ſolitudine, in agris, in ſpeluncis deliteſcat. Multitudinem ergo & amplitudinē nihili facimus.

Quarta Stapletoni demonſtratio in hunc modū ſe habet: Romana Eccleſia ſola eſt veré una: ac proinde ſola eſt vera Chriſti in terris Eccleſia. *Reſp.* Romanam quidem Eccleſiam per ſe unam eſſe; ſed tamen aliæ omnes Eccleſiæ in toto orbe diſſeminatæ, non ſunt hæc una Romana Eccleſia, neq; hanc unam Romanā Eccleſiam efficiunt. Quomodo enim eſſe poteſt una cum aliis tam multis? Sed pergit Adverſarius, &

Roma-

Romanam Eccleſiam unam eſſe docet, propter tres cauſas; quæ nobis ſeorſim excutiendæ ſunt. *Prima* cauſa eſt, quód Eccleſia Romana his ſeculis poſterioribus habuit eosdem cultus & ritus, eandem fidē & religionem, quam ſecula priora habuerunt. *Reſpondeo* 1: hoc eſſe falſiſſimum; quemadmodum nos poſſumus in omnibus religionis capitibus demonſtrare. 2. Si hoc verum ſit, tum contra ipſos Papiſtas vel maximé facit. Si enim Eccleſiæ unitas in fidei unitate conſiſtat; tum fidem & religionem eſſe maximé Eccleſiæ notam ſequitur; quod tamen alibi Stapletonus non agnoſcit. Quare nos de fide agamus, & ex hac Eccleſiam æſtimemus; & inde concludamus, Eccleſiam Romanam non eſſe veram Chriſti Eccleſiam; quia non retinet eandem fidem, quam antiqua Romana Eccleſia tenuit. *Secunda* cauſa, cur Eccleſiam Romanam veré unam eſſe contendit Stapletonus, hæc eſt; quia nos ſcilicet non poſſumus exordium ullius mutationis oſtendere, quo anno, & quo in loco cœperit. *Reſpondeo* 1: Etſi non poſſumus momenta temporum deſignare, quando Romana Eccleſia á prima illa puritate ſua receſſit: tamen hoc nihil prorſus contra nos facit. Non enim ſequitur, eandem tenere fidem, quam antea tenuit. Non debent Adverſarii á nobis requirere, quoto anno, quoto menſe, quoto die, mutatio facta eſt; quemadmodum nos antea docuimus. Hoc eſt in re ſeria ludere. Quid noſtrâ intereſt, quoto ſeculo mutata eſt Eccleſia Romana; modó mutatam eſſe oſtendamus? Satis nobis eſt, ſi demonſtremus, aliam eſſe Eccleſiæ illius doctrinam ab ea, quā Apoſtoli tradiderunt. 2. Sed tamen deinde etiam *reſpondeo*: poſſe nos in multis fidei capitib. & articulis

annum in quo mutatio facta est, imó ferè diem, saltem personas, á quibus facta est mutatio, hoc est mutationis authores, designare. Et hoc quidem nos antea in nonnullis dogmatibus ostendimus; sed ea nunc non repetemus. *Tertia* causa, quam assignat, cur sola Ecclesia Romana sit veré una, hæc est; quia perpetua est hæc sola. *Respondeo*: Præclarum certé argumentum! Ecclesia Romana est sola una. quare? quia est perpetua sola. Hoc est idem per idem probare. Sed hoc aliis nimirum argumentis postea confirmabit. Hactenus de quarta demonstratione.

Quinta Stapletoni demonstratio hæc est: Sola ecclesia Romana vocatur Catholica, etiam ab inimicis suis; quod satis est, inquit. *Respondeo* 1: hoc non esse satis, eam scilicet vocari Catholicam; quemadmodum á nobis contra primam notam Bellarmini anam satis disputatum est. Quid enim, si nos illos vocamus, aut si illi se vocant ecclesiam Catholicam? Non valet argumentum á nomine ad rem. 2. *Respondeo*: nos nunquam serió & ex animo eam Catholicam vocare, sed joco tantúm. Nam quare Catholicam vocaremus? Quid enim in se habet Catholicum? nihil certé; non fidem, non amplitudinem? non aliud quicquam. Sed si forte aliqui joco sic loquantur, non hinc bonum argumentum colligi potest. Si quando ex animo de Ecclesia illa loquamur, eam semper Romanam, Papisticam, Antichristianam, Apostaticam Ecclesiam vocamus; Catholicam veró nunquam.

Sexta Stapletoni demonstratio hæc est: Hæc sola est verissimé Apostolica. *Resp.* Si hoc potest probare; sequetur certé, verissimé esse Ecclesiam, & quidem Catholicam Ecclesiam quodam sensu. Nam quæ

Ecclésia

Eccleſia veriſſimé Apoſtolica eſt, eadem etiam veriſſimé eſt Catholica; & econtra. Sed affirmo, non modó non veriſſimé, ſed ne aliquo quidem modo Apoſtolicam eſſe. Quomodo ergo hoc nobis perſuadebit? Duplici ſcilicet argumento. *Primó*, quia á duobus glorioſiſſimis Apoſtolis fundata fuit, Petro nempe & Paulo; & eorum ſucceſſoribus adhuc hodie paret. *Reſpondeo* 1: quód Paulum cum Petro in Eccleſiæ hujus fundatione conjungit, dubitari meritó poſſe, an ex animo loquatur. Solent enim Papiſtæ totum hoc Petro tribuere, & Epiſcopos Romanos ejus tantúm ſucceſſores appellare. Hîc autem Stapletonus & Petro & Paulo hoc tribuit. Ait enim, Eccleſiam Romanam hodie parere ſucceſſoribus eorum. Quæro ergo ab illo, an duo ſimul Epiſcopi Romani, & duo ſimul ECCLESIÆ capita fuerunt? & an á Paulo quoque factum eſt, perinde ac á Petro, ut hæc Eccleſia caput eſſet aliarum Eccleſiarum? Sed veriſſimum quidem eſt, Romanæ Eccleſiæ Paulum, multó magis quám Petrum, fundatorem eſſe judicandum. Legimus enim in Scripturis, Paulum ad eam Eccleſiam Epiſtolam ſcripſiſſe, ibi fuiſſe, ibi docuiſſe, ibi Eccleſiam inſtituiſſe; quorum nullum de Petro uſpiam legimus. Ergo conſultiús facerent Adverſarii, ſi Paulum potiús quám Petrum illius Eccleſiæ fundatorem conſtituerent; niſi quód hoc minús faceret pro primatu. 2. *Reſpondeo*: non conſtare ex Scripturis, Petrum Romanæ Eccleſiæ fundatorem fuiſſe, ac proinde nõ eſſe fidei noſtrę articulum. At ex hoc articulo tota Romanæ Eccleſię religio pendet; de quo tamen nullum plané verbum extat in Scripturis. Quare probabile videtur (neque enim certi aliquid hac de re ſtatuam) Petrum non

fundâsse Romanam Ecclesiam, nec unquam Romæ fuisse. Sed hac de re postea fusiús suo loco dicemus. 3. *Resp.* Ecclesiam aliquam esse verissimé Apostolicã, non est fundari ab Apostolo aliquo, aut ab omnibus Apostolis; sed, in fide & doctrina Apostolica persistere, & prædicationem Apostolicam retinere. Quare & illæ Ecclesiæ sunt Apostolicæ, quæ non fundatæ ab Apostolis, eorum tamen doctrinam retinent; & illæ non sunt Apostolicæ, quæ fundatæ ab Apostolis, á fide Apostolica defecerunt. Antiochena Ecclesia á discipulis fundata est, ut patet Act. 11. v. 19. 20. 21. &c. & tamen Apostolica Ecclesia fuit. Similiter Samaritana Ecclesia, ut patet Act. 8. 5. á Philippo sive Diacono, sive Evangelista, certé non Apostolo, fundata est: Apostolica tamen Ecclesia fuit. Galatarum verò ecclesia non fuit veré Apostolica, licet ab ipso Apostolo Paulo instituta, quando á vera fide defecit. Non enim ad naturam veræ Ecclesiæ pertinet, ut ab hoc aut illo fundetur. Et ideo Tertullianus ait, Ecclesias Apostolicas deputari ex consanguinitate doctrinæ. *Secundum* Stapletoni argumentum, quo probat, Ecclesiam Romanam esse verissimé Apostolicã, hoc est; quia huic Apostolicæ Ecclesiæ semper cæterę omnes gentes Christianę communicârũt. *Resp.* Communicare, non arguit Ecclesiam, etiamsi omnes Ecclesiæ simul communicaverint; nisi in vera fide consenserint. Cum hac verò Romana ecclesia, qualis núc est, nunquam communicârunt omnes gentes Christianæ. Olim quidẽ, cúm esset Catholica, & veré Apostolica, cum ea cõmunicabant omnes; non tamen ut cum capite, sed ut cũ sorore. Sed nũ illa ideo sola fuit veré Apostolica? non magis certé, quã aut Hierosolymitana, aut Ephesina, aut Alexandrina; quia cum illis

illis etiã reliquę gentes Chriſtianæ, & reliquę Eccleſię Apoſtolicæ communicabãt. Sed poſtquã á vera fide deſcivit, omnes pii eam deſeruerũt, & ejus communionem reliquerũt. Ergo nullo modo jam eſt Apoſtolica, ſi de veré Apoſtolica Eccleſia loquamur. Vocat ſe quidem Apoſtolicam; ſed nihil habet in ſe Apoſtolicũ. Debet veró ſemper cũ cõmunione externa, pietatis etiã cõmunio cõjungi; alioqui erit cõjuratio contra Chriſtum potiús, quám communio. Fateor quidem, in perfidia & apoſtaſia multos cum Romana Eccleſia communicâſſe, & adhuc communicare: ſed cúm illa communio non ſit in vera fide & religione, damnanda prorſus eſt, & reſpuenda. Quare omnia tandem ad fidem ſunt exigenda.

Septima Adverſarii demonſtratio hęc eſt: Sola Romana Eccleſia veré eſt Catholica. Voluit. n. alteram hac de re demõſtrationẽ inſtituere. Ita videtur quintã ſuã demõſtrationẽ penitus exploſiſſe, & quaſi abjudicâſſe. Vidit. n. nõ ſatis eſſe, Catholicã vocari. Sed *reſp.* falſiſſimũ hoc eſſe, ut cętera. Nec veré Catholica eſt Eccleſia illa, nec omnino Catholica; quod iſto modo probari & explicari poteſt. Eccleſia dicitur Catholica dupliciter. *Primó*, quia p omnes locos diſſeminatur, & per totũ terrarũ orbẽ propagatur. Atque ſic revera Eccleſia Chriſtianorũ ab Eccleſia Judæorũ diſtinguitur; quia Judaica Eccleſia unius tantũ gentis finib. circũſcripta fuit; Chriſtiana veró Eccleſia omnes locos, omnes gẽtes, omnes populos, omnes nationes cõplectitur. Verúm Romana Eccleſia hoc modo & ſenſu catholica dici nõ poteſt: quia uni⁹ loci, uni⁹ civitatis, vel ſaltẽ unius ditionis finib. circũſcripta eſt. Romana. n. Eccleſia nuſquã eſt niſi in Romanis finib. nec magis ubiq; eſſe põt, quã Roma poteſt ubiq; eſſe. Eſt. n. particularis eccleſia; ut eccleſia

Hierosolymitana, Ephesina, Corinthiaca, Antiochena, Constantinopolitana, & reliquæ particulares Ecclesiæ. Nec possumus probabiliús aut veriús dicere, Romanam Ecclesiam esse hoc modo Catholicam, quám ullam omnino in toto orbe Ecclesiã. Sic igitur disputo: Nulla Ecclesia particularis potest esse aut dici Catholica, hoc est, universalis: at Romana Ecclesia est particularis Ecclesia: ergo hoc sensu Catholica, id est, universalis, dici non potest. *Alio* modo Catholica dici potest Ecclesia, quæ fidem Catholicam, hoc est, orthodoxam, quam omnes ubique tenent rectè sentientes, profitetur. Sic enim Ecclesiæ particulares sæpe Catholicę dicuntur, propter communem fidem. Et fateor quidem, Romanam Ecclesiam hoc modo Catholicam dici aliquando potuisse. Nam olim ea fides, quam Romana Ecclesia tenuit, communis fuit. Et nunc etiam fateor, in hac apostasia multi passim cum Romana Ecclesia in perfidia jamdiu communicârunt, quam illi quidé pro vera fide habent. Olim rectam de Christo Christiáque religione sententiam tenuit; nunc verò à Christo & ab ejus Evangelio jamdudum defecit. At ne hoc quidem modo Romana Ecclesia magis erit sola Catholica, quám quævis alia visibilis Christi in terris Ecclesia. Et sic præterea aliud incommodum sequetur, nempe fidẽ esse ecclesię notã. Nam si ecclesia Romana Catholica dicatur propter fidẽ, tũ fides certé est ecclesię nota. Verũ Romana Ecclesia fidem jãdiu deseruit, & abjecit; ut diximꝰ. Quare si rectè vereq; loqui velimus, nullo modo Catholica, sed potiꝰ apostatica dicẽda est. Nã q̃ ad primã hujus vocis acceptionẽ attinet; abhorret ab omni sensu, ecclesiã uniꝰ loci p̃ omnia loca patêre. Quod verò ad secundã

attinet,

attinet acceptionem; non magis illa hoc ſenſu Catholica eſt, quám alia ulla vera particularis Eccleſia; quemadmodum diximus. Sed proprié quidem Eccleſia dicitur Catholica, quia καθόλου, hoc eſt, univerſaliter per totum terrarum orbem ſparſa eſt. At illa Eccleſia Romana, quæ eſt in Latio, ubi Cacus ille Romanus Pontifex in antro ſuo latitat, non eſt per totum orbem ſparſa. Imó dicere hoc ſenſu, Romanam Eccleſiam eſſe ſolam Catholicam, eſt uno atque eodem ſpiritu pugnantia & plané contraria affirmare. Perinde enim eſt, ac ſi quis diceret, Unus homo eſt omnis homo; aut, Una civitas eſt omnis civitas; aut, Unus Epiſcopus eſt omnis Epiſcopus; aut, Una Eccleſia eſt omnis Eccleſia. Sed forſan Catholicam dici quispiam putabit, quia in alias omnes Eccleſias dominatur. Sic enim quidam imperiti Papiſtæ abſurdé dicunt. Sed tum hæc ſola particularis Eccleſia eſſet Catholica, quia hæc ſola dominatur. Et ſic nullæ aliæ eſſent Eccleſiæ, quibus hoc nomen conveniret; cúm tamen tota Chriſtianorum Eccleſia Catholica dicatur, quia latiſſimé fuſa eſt. Hoc enim nomen ad totum illud corpus Chriſtianorum, non ad aliquam particularem Eccleſiam proprié pertinet.

Octava Stapletoni demonſtratio eſt, Romanam Eccleſiam ſemper per ſingulas ætates communicaſſe cum toto orbe Chriſtiano, & hodie communicare. *Reſpondeo:* in hac demonſtratione omnia eſſe falſa, & infirma. *Primó* enim non communicat hodie cum noſtris Eccleſiis, cum Anglicana, cum Scotica, cum Germanica, cum reformatis Galliæ Eccleſiis; quas eſſe Chriſtianas & veras Eccleſias & poſſumus & parati ſumus probare. *Secundó reſpondeo*, & quæro,

quam ille communionem intelligat, num externam, an internam? Externam voco, quæ in externis quibusdam rebus consistit, in ritibus, in Episcopis, in Cathedris, in personis. Et sic forsan aliqui qui Christiani vocantur, Ecclesiam illam tanquam matrem suam venerãtur. Verúm si hanc intelligat communionem, hæc fallax est, & veram Ecclesiam non evincit, ac proinde nihil valet. Nam homines Christiani falli possunt, & putare eam esse veram Ecclesiam, quæ non est. Et hoc quidem modo omnes feré cum Antichristo communicaturos esse testantur Scripturæ. Si veró alteram illam communionis speciem, internam scilicet, quæ est fidei & doctrinæ, intelligat; tum ostendant illi, & probent nobis suam fidem. Hoc dum fecerint, dabunt nobis veniam, si illorum communionem respuamus. Nam quod ad hanc communionem attinet, nullas hodie Ecclesias cum illa communicare dicimus, nisi apostaticas. Qui veró in vera fide non communicant, ii conspirare potiús contra Christum, quám communicare cum Christo, aut Ecclesia ejus dicendi sunt. Non enim est hæc sanctorum communio.

Nona demonstratio hujusmodi est. In hac sola fuit Episcoporum & Ecclesiarum successio. *Respondeo* 1. non fuisse in illa Ecclesia sola perpetuam successionem; posse enim probari aliarum Ecclesiarum successionem; quemadmodum nos alibi docuimus. 2. Non probat Ecclesiam externa Episcoporum successio; nec est ex illa, Ecclesia judicanda. Scriptura enim non requirit successionem localem non interruptam; nec CHRISTUS ad unum locum suam Ecclesiam alligavit. Pastorum quidem & Doctorum successio nunquam est in Ecclesia CHRISTI interrupta.

rupta. Suos enim Paſtores Chriſtus in Eccleſia ſua ſemper habet, licét non ſemper in uno atq; eodem loco. Et hoc modo ſuam Eccleſiam conſervat Deus, ut illam Papiſticam ſucceſſionem & monarchiam nihili faciamus. Fuit enim ſemper hujusmodi ſucceſſio Epiſcoporum & Eccleſiarum etiam extra Eccleſiam Romanam, ſi locum quidem ſpectemus, interrupta; ſin perſonas, non interrupta.

Decima & ultima demonſtratio hæc eſt: Fidei propagatio & conſervatio per hanc ſolam, & in hac ſola fuit. *Reſpondeo:* hoc eſſe inſigne & capitale mendacium. Ab Apoſtolis enim & Evangeliſtis propagata vera fides & religio fuit, non ab Eccleſia Romana. Hisce veró poſterioribus ſeculis nec propagavit nec conſervavit veram fidem Eccleſia Romana, ſed hæreſin & perfidiam ſuam; & fidem veram é medio ſuſtulit. Atque hæ omnes Stapletoni demonſtrationes ſunt.

CAPUT TERTIUM.

In quo argumenta noſtra proponuntur, quibus Romanam Eccleſiam non eſſe veram Chriſti Eccleſiam probamus.

NUnc reſtat, ut veris argumentis, Eccleſiam Romanam non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, demonſtremus. Quod quanquam per ſe manifeſtum eſt: tamen quia patronos & alumnos multos habet hæc Eccleſia, dabimus operam, ut clariús adhuc omnibus innoteſcat. Hinc enim eam á nobis jure deſertam & ſemper damnatam eſſe, conſtabit. Agemus autem primó de partibus Eccleſiæ, tum de tota Eccleſia. Partes ſunt, caput & reliqua membra. Caput eſt, Pontifex Romanus. Hunc enim caput

esse dicunt, & Episcopum totius Ecclesiæ Catholicæ, cui reliqui parêre debent, & cui non parêre exitiale & damnabile est. De eo veró sic argumentamur *primó:* Pontifex Romanus non est verus Episcopus: ergo Ecclesia Romana non est vera Ecclesia. Consequentia firma est. Nam Ecclesia non potest esse sine Episcopo. Disputo ex eorum placitis. De antecedente ergo videamus. Cúm veró dico, Pontificem Romanum non esse verum Episcopum; non id dico propter vitam aut mores hominis, sed propter præcipuum munus Episcopi, quod in illo desideratur. Romani enim Episcopi, qui jam sunt, non sunt similes antiquis & primis Episcopis, qui olim fuerunt: ergo veri Episcopi non sunt. Olim Episcopi Romani diligenter docebant Ecclesiam suam; & nulli facti sunt Episcopi, nisi qui in hoc munere fideles erant. Olim hoc ad se pertinere, & præcipuum suum munus esse putabant, ut populum sibi commissum docerent atque instituerent; adeó ut monstri simile esset, per annos post Christum plusquam sexcentos, Episcopum aliquem in ecclesia esse, qui aut nollet, aut non posset populum docere. Tales olim erant omnes Episcopi Apostolici. Neque enim in Romana tantúm Ecclesia hoc factum est, sed etiam in aliis. Quare in Episcopo Apostolus requirit, ut sit διδακτικός, 1. Tim. 3. 2. hoc est, non ejusmodi, qui curet tantúm, & det operam, ut alii doceant, & hanc authoritatem docendi aliis tribuat: sed qui ipse sufficiat alios docere. Nam Apostolus ibi docet, quibus dotibus Episcopum præditum esse oporteat, antequam eligatur: ergo per διδακτικόν, non eum intelligit, qui aptus tantúm est ad curandum, ut alii doceant, (quis enim hoc præstare non

non posset?) sed qui ipse docere possit. Quare Turrianus magnam suo nomini & existimationi injuriam facit, qui hoc modo Apostoli verba interpretatur. Nam Apostolus ipse seipsum explicat 2. Tim. 2. 2. ubi jubet Timotheum, ea quæ ab ipso acceperat, aliis tradere, qui essent ipsi *ἱκανοὶ καὶ ἕτερους διδάξαι, idonei ad alios docendos.* Itaq; vetus interpres διδακτικὸν interpretatus est Doctorem; quod omnem ambiguitatem tollit. Doctor enim is dicitur, qui ipse docere potest. Sic OEcumenius rectissimé, Chrysostomum secutus, in comment. in hunc locum, ait, reliquos homines debere esse modestos, sobrios, liberales, temperantes; sed hoc esse proprium munus Episcopi, docere. Verba ejus hæc sunt: *τὴν μὲν σωφροσύνην, καὶ τὴν κοσμιότητα, καὶ τὴν φιλοξενίαν, καὶ τοὺς ἀρχομένους ἔχειν χρὴ: προσέθηκεν δὲ τὸ διδασκάλου ἴδιον, διδακτικὸν εἰπών. Temperantiam quidem, & modestiam, & hospitalitatem, etiam subditos habere oportet. Adjecit igitur illud quod est Doctoris proprium, aptum esse ad docendum.* Thomas Aquinas in hunc locum eodem modo hæc verba interpretatur. Ait enim, hoc esse proprium prælati officium, docere. Et scité locum illum huc accommodat, qui habetur Jerem. 3. 15. ubi Deus Israëlitas in hunc modum alloquitur: *Dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientiâ ac doctrinâ.* Sic Cajetanus in hunc locum, ait; Doctorem non laureâ, sed sufficiente scientiâ ad docendum, ornatum esse debere. Et Catharinus in hunc locum, ait; Doctorem esse, qui sciat docere, & qui actu doceat plebeculam suam. Sic illorum summos Pontifices ipsi Papistici Doctores damnant, & pro Episcopis non habent. Nam illi certé non docent; nec est inventus jamdiu aliquis Papa, qui populum doceret. Sed si fatentur Papistæ, hoc esse mu-

nus & officium Pontificum Romanorum, ut populum docerent; illosq; hoc munus jamdiu neglexisse; & hoc in iis vitium esse; & esse illos propterea reprehendendos, quód non doceant; cum iis non contenderem. Esset enim hoc vitium vitæ tantúm & morum, non opinionis, non sententiæ. Sed illi sentiunt, & opinantur, & defendunt, hoc docendi munus ad eos minimé pertinere. Et tales certé hodie sunt vel omnes vel pleriq; eorum, ut docere nõ possint. Nam si hoc illorum officium sit, & si possunt docere; cur, quæso, non docent? Forsan hoc nimis vile munus esse judicant; quo tamen nullum est magis honorificum. Nam Scriptura testatur, fore ut qui alios docent, & docendo ad Deum convertunt, instar stellarum in cœlo splendeant. Et mirum tamen est, non posse eos docere, qui tantum sibi tribuunt, ut in pectoris sui scrinio omnem sciẽtiam gestare se jactent, & non posse se errare glorientur. Horum utrumq;, si possunt, in docendo ostendant; nusquam enim opportunior locus dari potest, in quo ostendãt. Sed cúm primúm Papæ eliguntur, hoc minimé omnium quæritur, utrúm sint διδακτικοί, nécne. Ergo concludo, Pontificem Romanum, cúm nec doceat populum, nec ad se hoc pertinere putet, nec sit διδακτικός, nulli' Ecclesiæ particularis, multó minús Catholicæ Ecclesiæ Episcopum esse; & si ille non sit Episcopus verus, nec Romana Ecclesia erit vera Ecclesia.

Secundó, Romanus Pontifex se caput totius Ecclesiæ, & OEcumenicum, Catholicæ Ecclesiæ Episcopum appellat. Inde ego sic concludo: Qui se vocat OEcumenicum sive universalem Episcopum, & caput Ecclesiæ, is non est verus & legitimus Episcopus: at Pontifex Romanus sic se appellat, & sic se salutari

salutari vult: ergo non est verus & legitimus Episcopus. De minore nemo dubitare potest. Majorem ergo excutiamus. Illam veró confirmat Gregorius Papa in libro 4. Epistolarum, Epist 39. Ubi sic scribit: *In hoc sceleſto vocabulo consentire, nihil aliud est, quám fidem perdere.* Ubi claré indicat Gregorius, se non potuisse cum Johanne Episcopo Constantinopolitano communicare, quemadmodum Imperator monuerat; propter hoc, quia cum illo consentire, qui se OEcumenicum Episcopum vocabat, & sibi illum titulum vendicabat, nihil aliud erat, quám fidem perdere. Idem in libro 6. Epist. 24. similiter ait: *Si hanc* elationem *æquanimiter portamus, universa Ecclesiæ fidem corrumpimus.* Corruptam ergo fuisse fidem Ecclesiæ Romanæ, jamdudum constat; & sic illam non esse, nec jamdudum fuisse, veram Ecclesiam. Ostendit enim Gregorius, cum vera fide pugnare, quenquam se universalem Episcopum vocare; & eos fide carere, qui hujusmodi aliquem Episcopum agnoscunt. At Ecclesia Papistica unum Episcopum universalem agnoscit. Ergo constat eam verâ fide carere. Et alio loco idem Gregorius ait, hoc modo omnes Episcopos in ordinem redactos, aut abdicatos esse; & hoc esse adeó impium, ut si unum aliquem universalem Episcopum constituamus, nullum Ecclesiæ Episcopum relinquamus. Hoc vocabulum in Epistolis suis valde exagitat, & multa contra illud scribit; & propter hoc ait, se nunquam cum Johanne Episcopo Constantinopolitano communicaturum esse, qui hoc sibi nomen vendicavit & assumsit. At veró Episcopus Romanus non modó hoc vocabulum, verumetiam rem ipsam multis jam retró seculis usur-

pavit. Ergo ille non est legitimus Episcopus, & per consequens illa ecclesia non est vera ecclesia. Sed hac de re postea plura dicemus, cúm de primatu Pontificis Romani differemus.

Tertió, Romanus Pontifex, qui se caput ecclesiæ vocat, est verus Antichristus: ergo ecclesia Romana, quæ illi paret, est Antichristiana. Consequentia manifesta est. Antecedentis verò propositionis confirmationem in suum locum reservabimus. Atque hactenus de capite, jam de membris videamus.

Membra verò sunt aut prælati, aut subditi. Prælati sunt aut Episcopi, aut Presbyteri. De prælatis verò eadem ferè dici possunt, quæ de Papa: & iisdem ferè argumentis contra illos uti licet, quibus contra ipsum usi sumus. Sunt enim suo similes capiti. Nihil in se habent, quod in veris Episcopis requiritur, quatenus sunt Episcopi. Ex his igitur, quæ dicta sunt, hujusmodi argumentum colligo. Ubi nullum est legitimum ministerium, ibi nulla est ecclesia: at inter Papistas nullum est legitimum ministerium: ergo inter Papistas nulla est ecclesia. Major est ipsorum. Jam verò illorum non esse legitimum ministerium, postea volente Deo abundè & copiosè demonstrabitur. Nunc ex causis tantúm illud declarabimus. Nam primó, quis Papam unicum ecclesiæ caput, quis Cardinales, quis Monachos, quis reliquam illam fecem ac turbam Cleri Papistici instituit? Deus certè nusquam nec in verbo, nec extra verbum. Imó ipsi fateri coguntur, maximam partem sui ministerii non niti authoritate divina. Imó pugnat planè cum Scripturis illorum ministerium; quemadmodum nos postea docebimus. Ergo de efficiente causa ministerii Papistici non constat. Forma verò quæ sit illius

illius miniſterii, non poſſum divinare. Nullam certé poſſunt ex Scripturis oſtendere. Debuit eſſe certa quædam & legitima deſignatio; ſed Papiſtici miniſtri legitimam deſignationem non habent. Materia verò talis eſt, qualis eſſe non debet. Sunt enim illorum Epiſcopi & Presbyteri indocti, impii, impuri. Nihil in ſe habent, quod veros Epiſcopos & Presbyteros habere oportet. Finis autem omnium maximé eſt impius & nefarius, Chriſtum ſcilicet Deo Patri quotidie offerre & ſacrificare; quo nihil abſurdius aut flagitioſius eſſe poteſt. Et de his ſingulis multa argumenta contexi poſſent. Sed de his rebus alio loco erit fuſiùs dicendum.

Jam verò populus ipſe talis non eſt, qualis populus Chriſtianus eſſe debet. Nam quid á Chriſtiano teneri oporteat, neſcit. Nihil feré á Turcis, á Judæis, ab Ethnicis, niſi Chriſtiani nominis uſurpatione, differt vulgus Papiſtarum. Vocantur quidem Chriſtiani; at religionem & fidem Chriſtianam, quæ ſola hominem Chriſtianum facit, ignorant; & quoad ſalutis cognitionem, ſtupidi plerumque & brutâ quadam ignorantiâ præditi ſunt; idque non tam ſuâ culpâ, quám Prælatorum & Papæ. Et cúm talis ſit ſingularum partium per ſe conſtitutio & conditio; quid ſit de toto ſentiendum, facilé conjicere poſſumus. Si enim partes nihil in ſe habeant, quod ſit Catholicum; Eccleſia certé tota Catholica eſſe non poteſt.

Nunc de univerſa ſimul Eccleſia videamus; de qua unum generale argumentum in hunc modum inſtituo: Eccleſia Romana non eſt Catholica, non Apoſtolica, non una, non ſancta: ergo non eſt vera Eccleſia. Conſequentia patet; quia hæ ſunt quatuor

Ecclesiæ notæ, in Symbolo Constantinopolitano propositæ. Et Papistæ ipsi has Ecclesiæ notas esse agnoscunt. Si ergo Romana Ecclesia has notas non habeat; non est vera Ecclesia. Antecedens facilé probari potest. Sanctam enim dici Ecclesiam ajunt, propter sanctam doctrinam. Sic Bellarminus. Sic Stapletonus. Quia aliter suam Ecclesiæ definitionem tueri non possunt, quæ ejusmodi est, ut Ecclesiam ex non sanctis, imó ex aperté flagitiosis constare statuat. Unam etiam similiter dici volunt, propter fidei unitatem. Fides igitur ad unam Ecclesiam efficiendam necessaria est. Hinc mihi liceat inferre; nec Catholicam, nec Apostolicam dici posse Ecclesiam, nisi fidem Catholicam & Apostolicam teneat. At Ecclesiam Romanam non tenere fidem Catholicam & Apostolicam, sic probo: Non habet puram verbi prædicationem, nec rectam & legitimam Sacramentorum administrationem, ab Apostolis servatam, & á Christo institutam: ergo fidem Catholicam & Apostolicam non tenet; & per consequens non est sancta, non una, non Catholica, non Apostolica Ecclesia. Quanquam enim Papistæ non concedant, puram verbi prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem, Ecclesiæ notas esse: tamen Ecclesiæ dotes, & bona quædam inseparabilia esse concedunt. Unde possumus concludere; Si Ecclesia Romana non habeat has dotes, & hæc bona, eam non esse veram & Catholicam Christi Ecclesiam. Ergo num habeat nécne, videamus. Et primó quidem de verbi integritate, tum de Sacramentorum usu. Sic igitur disputo: Ecclesia Romana multos fidei articulos fundamentales sustulit, & fidem in præcipuis capitibus corrupit: ergo veram doctri-

doctrinam non retinet, nec CHRISTUM quidem ipsum: ex quo sequitur, Christi Ecclesiam esse non posse. Cúm igitur hîc de fide & religione quæstio omnis habenda sit: proponam aliquos fidei articulos, quos Adversarii nóstri sustulerunt; & fundamenta quædam religionis Christianæ, quæ ab illis miserè convulsa sunt.

Et *primo loco* de justificationis nostræ articulo agemus: qui videtur omnium præcipuus & maximé fundamentalis esse, utpote in quo salutis nostræ prora & puppis consistit. Justificationis veró ratio unica tantúm est. Qui ergo aliam justificationis rationem, præter illam unicam, quam Dominus in Scripturis proposuit, sibi fingunt, manifestum est eos á fide aberrasse, & fundamentum atque caput religionis Christianæ maximé necessarium evertisse, & á salute denique ac vita æterna excidisse. Si enim una tantúm via sit, quá itur in urbem; qui ab illa via aberrabit, nunquam in urbem ingredietur. Si una tantúm janua sit, quæ ducit in ædes; qui per eam non ingreditur, quomodo is in ipsas ædes unquam intrabit? Sic cúm unica duntaxat via sit justitiæ & salutis consequendæ: qui ab ea declinat & aberrat, non potest is salutem consequi. At Papistæ hoc faciunt: ergo salutem consequi non possunt. Fatendum igitur est, hoc esse fundamentum. nam qui extra est, servari non potest; & omnia hujusmodi, fundamenta sunt. Jam hoc fundamentum á Papistis convulsum esse patet. Non enim tenent illam justificationis viam, quam Deus in verbo suo præscripsit, & monstravit, & solam atque unicam esse docuit: ergo hoc fundamentum non tenent. Nam errant quidem primó de causa efficiente justificationis nostræ, tum de

materia, & forma. Primó quod ad causam efficientem salutis & justitiæ nostræ attinet, eam esse Dei amorem & gratiam solummodó, Scripturæ testantur; præter eam nullum aliud ejus principium agnoscunt. Sic Paulus 2. Tim. 1. 9. ait, Deum servasse nos, & vocasse vocatione sancta, *non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia, quæ data quidem est nobis in Christo Jesu ante tempora seculorum.* Sic etiam idem Paulus Tit. 2. 11. ait, illuxisse *gratiam Dei salutiferam quibusvis hominibus, &c.* Ergo hæc Dei gratia est, quæ nos primó ad salutem traduxit. Et Ephes. 1. 5. ait, Deum nos prædestinasse, quos adoptaret in filios per Jesum Christum, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *pro benevolo voluntatis suæ affectu.* Et Eph. 2. 4. & 5. ait, Deũ, qui dives est misericordiâ, διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην αὐτοῦ ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς, *propter multam illam charitatem, qua dilexit nos, etiam cùm per lapsus mortui essemus, nos unà cum Christo vivificasse*, cujus *gratiâ* (inquit) *servati estis.* Hoc illud est, quod legimus Johan. 3. 16. *Ita dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ita principium nostræ salutis totum soli Deo Scripturæ tribuunt; ejusque χάριν, εὐδοκίαν, προθεσιν, ἀγάπην, *gratiam, benevolentiam gratuitam, propositum, amorem*, ejusdem causas esse statuunt. Papistæ verò quid faciunt? Longé certé aliter & docent, & credunt. Nam *primó* ajunt, Deum excitari & commoveri, ut se ad nos convertat, nosque ad se vocet, nostris quibusdam operibus præparatoriis, & hæc fieri dicunt tum extra, tum ante fidem. Sic statum invertunt vocationis nostræ. Nam ex illorum sententia non vocat nos Deus, quia nos amat, nostrique miseretur; sed amat nos, & nostri miseretur, quia nostris operibus

bus inducitur. Et licét Concilium Tridentinum nihil certi hac de re ſtatuat: tamen hujusmodi aliquid obſcuré inſinuare videtur ſeſſ. 6. c. 6. & 7. Et doctiſſimi quidam Papiſtæ hoc diſerté & conſtanter aſſerunt. Sic Malvenda in disputatione Ratisbonenſi cum Bucero, ait, homines operibus quibusdam extra fidem factis Deum promereri. Atque hæc conſtans eſt omnium Scholaſticorum opinio, & doctrina. Hinc enim natum eſt meritum illud congrui, ut omnes nôrunt. Nam triplex meritum conſtituunt Scholaſtici, congrui, digni, condigni. Meritum veró congrui illud opus bonum eſſe dicunt, quod homo peccator, nondum renatus, ante fidem facit per ſe. Congruum enim eſſe affirmant, ut qui faciunt quod in ſe eſt, apud Deum gratiam inveniant. Sic Bonaventura in libro 1. Sentent. diſtinct. 41. quæſt. 1. Sic omnes feré Scholaſtici. Jam autem recentiores nonnullos Papiſtas hujus opinionis & ſententiæ pudet. Præterea cum illa DEI gratia Papiſtæ noſtrum arbitrium conjungunt & copulant; quod quidem non tanquam penitus ſublatum renovari, & quaſi mortuum vivificari, novumque ac bonum in nobis fieri, ſed quaſi dormiens tantúm & conſopitum excitari, & quaſi languidum ac infirmum corroborari á Dei gratia volunt. In quo inſignem Dei gratiæ injuriam faciunt, & unicum ſalutis noſtræ principium tollunt. Atque ita cúm noſtram converſionem pendêre ex operibus propriis, & ex arbitrio proprio ex parte volunt, quæ tota ex Dei gratia pendet: in principio & cauſa efficiente noſtræ juſtificationis errant. Jam ad juſtitiæ noſtræ materiam veniamus, de qua etiam ſimiliter errant Papiſtæ. Unde ſic concludo: Qui aliam ullam

justificationis materiam statuunt præter eam, quæ vera materia est, ii servari non possunt: at Papistæ hoc faciunt: ergo servari non possunt, si modó in hoc errore obstinaté perstiterint. Scripturæ non aliam nostræ justificationis materiam proponunt, quám Christi obedientiam usq; ad mortem. Sic Paulus Apostolus Rom. 5. 19. *Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς, per obedientiam unius, justi constituentur multi.* Sic idem Paulus Rom. 8. v. 3. 4. ait, missum esse Christum in carne peccato obnoxia, idq; pro peccato, ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν, *ut justificatio Legis in nobis impleretur.* Ergo obedientia legis, quam Christus in se habuit perfectissimam, nostra obedientia est, nostræq; justificationis materia. Idem praterea Paulus Rom. 10. 4. ait, Christum esse τέλος νόμου εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι, *finem Legis, ad justitiam cuivis credenti.* Quare qui aliam justitiæ nostræ materiam statuunt, præter hanc Christi obedientiam, illi á vera justitiæ materia toto cœlo aberrant; & aliam quidem statuere, est aliud fundamentum ponere. Hæc Scripturarum doctrina est. At Papistarum longé alia est sententia. Nam etsi concedunt, Christum esse in se justissimum, & Legem implevisse, Deoque perfectissimé satisfeciisse: tamé non concedunt, hanc ejus obedientiam, justitiam nostram esse, sed nostram justitiam in nostris operibus & meritis volunt consistere. Sic Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. Sic omnes Papistæ nunc uno ore asserunt, materiam justitiæ nostræ esse opera nostra. Sed cúm opera nostra nõ sint perfectè justa, nec Legi satisfaciant: hinc fit, ut non possimus hoc modo justi esse. Ergo extra fundamentum sumus, & á salute excidimus, si in operi-

operibus & meritis noſtris juſtitiam noſtram ſtatuamus. Jam de forma juſtitiæ noſtræ videamus. Eam Scripturæ ponunt in imputatione hujus obedientiæ Chriſti; quæ á Deo nobis gratis applicatur, á nobis verò per fidem recipitur, ut propter eam ſimus Deo reconciliati. Hæc imputatio, hæc applicatio obedientiæ & juſtitiæ Chriſti, eſt forma juſtificationis noſtræ. Ob eam cauſam Scripturæ ſtatuunt juſtitiam noſtram in reconciliatione cum Deo: quando ſcilicet ex inimicis facti ſumus Dei amici; atque hoc quidem fit, cúm Chriſti obedientia nobis imputatur, non antea. Ita Apoſtolus apertiſſimé teſtatur Rom. 5. 10. *Si, cúm inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus: multó magis, reconciliati, ſervabimur per vitam ipſius.* Quibus verbis formam proponit Paulus juſtificationis noſtræ. Similiter 2. Cor. 5. v. 18. *Hæc omnia ſunt ex Deo, qui reconciliavit nos ſibi per Jeſum Chriſtum.* Et ob eam cauſam Evangelium, quod hanc nobis juſtificationis formam proponit, eodem in loco διακονία τῆς καταλλαγῆς, hoc eſt, *miniſterium reconciliationis*, vocatur. Et adhuc clariús, ſi quid clarius deſiderari poteſt, in verſu ultimo ejusdem capitis: *Illum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in eo.* Atque hinc eſt, quód Scripturæ juſtificationem noſtram, non in noſtris bonis operibus ac meritis, ſed in malorum operum remiſſione conſtituunt. Sic Act. 13. 38. *Notum ſit vobis, fratres, annunciari vobis remiſſionem peccatorum per iſtum.* Sed qua tandem in re ponunt Papiſtæ formam juſtificationis noſtræ? Certé in meritis bonorum operum. Ajunt enim, opera noſtra bona ex ſe juſta eſſe, & vitam æternam mereri. Hoc meritum operum, eſt forma juſtitiæ illorum. At mereri opera noſtra ni-

hil possunt. Ergo cúm propriam suæ justificationis rationem in merito ponunt: extra fundamentum ædificant, & toto cœlo errant, & nunquam ad salutem pervenire possunt. Nos postea, si Deus dederit, nullum esse operum nostrorum meritum docebimus; unde sequitur, nullam esse apud Papistas justificationis formam. Ex his manifestum est, Papisticam Ecclesiam principale religionis fundamentum evertere, ac proinde veram Christi Ecclesiam dici non posse.

Venio nunc ad *aliud* Christianæ religionis fundamentum huic consentaneum, á Papistis non labefactatum modó, verumetiam sublatum penitus, & funditus eversum. Atque hoc quidem est, Legem Dei non posse á nobis præstari seu impleri; ób eamque causam non debere quenquam per illam, quam Legi præstat, obedientiam, justitiam aut salutem sperare aut expectare. Hoc patet ex Rom. 8. 3. τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, καὶ περὶ ἁμαρτίας, κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκὶ. *Nam quæ Legis erat impotentia, cúm viribus esset destituta per carnem, Deus suo ipsius filio misso in forma consimili carni peccato obnoxiæ, idq; pro peccato, condemnavit peccatum in carne.* Quo loco tribuit Paulus Legi τὸ ἀδύνατον, hoc est, *impotentiam*, sive *impossibilitatem*; quod perinde est, ac si diceret, Legem nobis impossibilem esse, nec posse nobis justitiam conferre: & hujus impotentiæ sive impossibilitatis causam assignat, nempe ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς, *carnis nostræ infirmitatem.* Hinc fit, quód nos officia illa præstare non possumus, quæ á nobis in Lege requiruntur. Et Actor. 15. 10. Petrus Legem *jugum* vocat, *quod neque patres nostri, neque nos*

portare

portare valuimus; & ait, eos Deum magnâ injuriâ afficere, qui hominum cervicibus jugum illud tam grave imponere conati sunt. Et Galat. 2. 15. 16. in omnium Apostolorum personâ loquitur Paulus in hunc modum: *Nos qui naturâ Judæi sumus, & non ex Gentibus peccatores, scientes non justificari hominem ex operibus Legis, sed per fidem Jesu Christi, etiam nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis; propterea quód non justificabitur ex operibus Legis ulla caro.* Quid hoc aliud est, quám neminem posse Legem præstare? Nam si Legem præstare quisquam posset, ex obedientia illi præstita salvus fieret. Atque hoc est, quod Paulus ait Galat. 3. 10. sub maledictione omnes esse, quotquot ex operibus Legis sunt; cujus rei rationem proximis verbis subjungit, quia Lex omnes maledictos pronunciat, qui non perseveraverint in omnibus, quæ in illa scripta sunt, ut faciant ea. Hæc causa est, quamobrem pereant illi omnes necesse est, qui ex Lege salutem expectant. Falluntur ergo, quicunque per Legem justi esse volunt, quam nemo præstare potest. Lex enim omnes damnat, & omnibus maledictionem denunciat. Jam veró hoc Papistæ docent & credunt, posse nimirum Legem ab hominibus servari. Hoc patet ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 11. Et quanquam recentiores quidam Papistæ distinctione quadam hanc sententiam mitigare conantur, dum ajunt, posse á nobis Legem servari pro statu hujus vitæ: tamen Tridentini Patres hujusmodi rationem proponunt, qua Legem simpliciter & perfectè á nobis servari posse probant. Ajunt enim, impiam esse sententiam, Deum impossibilia præcipere. Ergo Lex secundúm illos etiam perfectè impleri potest, & non tantúm pro

ſtatu hujus vitæ. Imó adjungunt Papiſtæ, non tantũ Legem á nobis impleri poſſe, verumetiam (quod execrandum eſt) amplius quiddam & excellentius poſſe præſtari, quám quod Lex requirit. Unde nata ſunt illorum opera ſupererogatoria, & hinc theſaurus ille indulgentiarum, quas Concilium Tridentinum in ſummo precio habet, quemadmodum patet in ejusdem Concilii ſeſſ. 21. cap. 9. Ergo cúm illi dicant, non tantúm Legem á nobis impleri poſſe, ſed majora etiam & ampliora officia poſſe præſtari, quám quæ in Lege deſiderantur: manifeſtum eſt, eos hoc ſecundũ fundamentũ tollere, atq; ita á ſalute excidiſſe. Illud enim uni Chriſto proprié cõvenit, plus poſſe præſtare, quám quod Lex præcipit. Imó illud etiam adjũgo (& á vobis diligenter animadverti velim) Chriſtũ, ſi nihil aliud feciſſet, quã quod Lege præcipitur, ἀπαρχὴν & authorem noſtræ ſalutis nullo modo eſſe potuiſſe: moriendo veró, quod plus fuit, quám Lex præcipit, redemtionis noſtræ opus complevit, & in hoc opere ſupererogationis, noſtra ſalus & juſtitia præcipué conſiſtit. Atque hîc videte myſterium Papiſticę iniquitatis. Hoc Chriſti opus ſupererogatorium nobis ad ſalutem imputari nolunt, hanc enim imputationem rident: ſanctorum tamen opera ſupererogatoria volunt imputari, & hanc imputationem probant. Hoc immenſum eſt amentiæ, inſaniæ, & impietatis barathrum, derogare CHRISTO, quod ad ſanctos deferant. Manifeſtum ergo eſt, hoc religionis fundamentum ab illis everſum eſſe.

Teritum religionis fundamentum á Papiſtis everſum, illud eſt, peccatis noſtris omnibus ex merito condigni æternam mortem deberi. Nam ſi omne

peccatum

peccatum ſit cauſa mortis; certé qui aliter dicunt, & docent, nempe omnia peccata non eſſe mortifera; ii plus quám verum fundamentum evertunt; nam & falſum etiam fundamentum huic contrarium ſtabilire conantur. At mortem deberi omni peccato, etiam originali, quod omni ratione noſtrum non eſt, Scripturæ luculentiſſimé teſtantur. Rom. 5. 12. hæc verba habet Apoſtolus: *Sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors: ita in omnes homines mors pervaſit, in quo omnes peccârunt.* Ex quo loco colligi poteſt, mortem conſequenter ex peccato illatam eſſe. Invexit enim peccatum mortem in mundum. Et Rom. 6. ult. verſ. idem Apoſtolus ait, peccati ὀψώνια, hoc eſt, *ſtipendia*, vel *mercedem*, mortem eſſe. Deus ipſe per Prophetam in hunc modum loquitur, *Anima quæ peccáverit, ipſa morietur*, Ezech. 18. 4. Apoſtolus Paulus 1. Cor. 15. 56. ait: τὸ κέντρον τῦ θανάτυ, ἡ ἁμαρτία, *Aculeus mortis, eſt peccatum.* Ubi docet & oſtendit, aculeum quendam eſſe peccato inſitum, qui mortem infligat. Et Rom. 7. verſ. penul. idem Apoſtolus in hæc verba erumpit: *Miſer homo*, τίς με ῥύσεται ἐκ τῦ σώματος τῦ θανάτυ τύτυ; *quis me eripiet ex corpore iſto mortis?* Senſit nimirum, corpus ſuum mortale eſſe, hoc eſt, morti obnoxium propter peccatum. At Papiſtæ hoc fundamentum prorſus evertunt. Nã *primó* docent creduntq;, & nos etiam credere volũt, eſſe quędam peccata venialia ſuâ naturâ. Sic Concilium Trident. ſeſſ. 6. c. 11. Et hęc conſtans opinio eſt omnium Papiſtarum. Atq; hinc commentum de Purgatorio extitit, in quo pœnas peccatis venialib. debitas perſolvi, atq; ita peccata ipſa expurgari volunt. Cúm ergo illi multa peccata venialia eſſe credant,

quæ sunt mortifera; fieri non potest, ut vitam & salutem æternam consequantur; quippe qui statum suum ignorant. Illorum enim salus desperata est, qui morbum suum non agnoscunt, præsertim lethalem. *Præterea*, docent illi, concupiscentiam post Baptismum, non habere veram rationem peccati. Sic Concil. Tridentinum sess. 5. can. 5. Et quidam illorum asserunt, naturale quiddam esse, nec magis esse peccatum, quám spirare, quod omnem quidem impudentiam superat. Ita enim ne ante Baptismum quidem peccatum erit. Ergo cúm excluſi sint á regno cœlorum, qui peccata sua non agnoscunt; ecclesiam Romanam non esse veram ecclesiam constat, in qua homines ad veram peccatorum suorum agnitionem pervenire non possunt.

Quartum fundamentum, non labefactatum modó, sed evulsum penitus & eversum á Papistis, est, salutem eorum omnium qui credunt, certam esse. Sic Rom. 8. 38. legimus? πέπεισμαι, *persuasum mihi est*, (inquit Apostolus,) *neq; mortem, neq; vitam, neq; Angelos, neq; principatus, neq; potestates, neq; præsentia, neq; futura, neq; sublimitatem, neq; profunditatem, neq; ullam rem aliam creatam, posse nos separare á charitate Dei, quæ est in* CHRISTO JESU *Domino nostro.* Persuasum hoc sibi esse ait Apostolus: persuasio verò certa est. Et quod Paulus ibi de se profitetur, id omnes fideles in mentibus & conscientiis suis sentiunt. Scripturæ enim docent, eos qui dubitant, nihil posse á Deo impetrare. Sic Jacobus cap. 1. ver. 7. Et Heb. 11. 1. Apostolus ait, fidem esse ὑπόστασιν & ἔλεγχον, *subsistentiam & evidentiam rerum quæ sperantur.* Et Hebr. 10. 22. 23 Rom. 4. 21. πληροφορία fidei tributa est. Et paulo antè in eodem capite nempe vers. 20. dubitatio ἀπιστία

propria

propria eſſe dicitur. Præterea quando in fide firmitas requiritur, verſ. 19. & vis ac potentia, verſ. 20. manifeſtum eſt, Papiſtarum impium eſſe dogma de ſalutis noſtræ incertitudine. Nam ex his verſibus apparet, non oportere nos ἀθετεῖν τῇ πίστει, aut διαχέειν, ſed τῇ πίστει ἐνδυναμοῦσθαι. Qui ergo fidem faciunt incertam, & hanc ab illa πληροφορίαν ſeparant: ii fidem deſtruunt, & fundamentum evertunt. Atque hoc quidem faciunt Papiſtæ. Illam enim fidem, quã nos certam eſſe volumus, ipſi inanem quandam hæreticorum confidentiam vocant; itaque nos non credere, ſed ſperare ſolummodo noſtram ſalutem volunt. Sic Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 9. Qua quidem in re ſpei magnam injuriam faciunt, cùm eam fallacem & incertam faciunt; cui tamen Apoſtolus Heb. 6. 11. πληροφορίαν etiam tribuit, & quã etiam in eodem capite verſ. 19. animæ anchoram appellat. Sed quæro á Papiſtis, quis tandem illius articuli ſenſus ſit, *Credo remiſſionem peccatorum*, & illius, qui ſubſequitur, *Credo vitam æternam*. Nam ſi ille ſenſus ſit, quem ipſi eſſe volunt, nempe, Credo eſſe remiſſionem peccatorum, & eſſe vitam æternam: rurſum quæro, quid interſit inter fidem illorum, & fidem Diaboli? Nam eſſe remiſſionem peccatorum, & eſſe vitam æternam, Diabolus ipſe credit. Reſpõſum mihi ſemel fuit hoc interroganti, á quodam Papiſta, hominem eſſe in ſtatu, vel (ut ille locutus eſt) in poſſibilitate vitæ, Diabolum non item. At ſic tamẽ inter hypocritæ aut impii fidem, & tuam qui Papiſta es, nulla plané erit differentia. Nam poteſt quis hypocrita, aut impius eſſe, & tamen credere, eſſe remiſſionem peccatorum, & eſſe vitam æternam. Sed urgeo adhuc acriús. Si nihil ampliús credas, quám

esse remissionem peccatorum, & esse vitam æternã: Diaboli certé tantum credunt, quantum tu; atq; ita inter tuam & Diabolicam fidem nihil plané differet. Nam horum utrumq; esse, Diaboli etiã ipsi credũt.

Quintum fundamentum illud est, ut credamus scilicet, non posse nos pro peccatis nostris, vel minimis illis quidẽ & leviſſimis, Deo satisfacere; sed hoc Christum solum feciſſe, idque cumulatiſſimé, ut nulla præterea á nobis satisfactio requiratur. Sic Petrus Apostolus 1. Epist. 2. cap. vers. 24. ait, Christum *peccata nostra pertuliſſe in corpore suo super lignum, ut nos peccatis mortui, justitiæ viveremus.* Et addit, ᾧ τῷ μώλωπι ἰάθητε, *Cujus vibicibus sanati estis.* Unde colligimus, nos Christi morte ab interitu servatos esse; nec id tantúm, sed sanitati etiam & integritati restitutos. Et Apocalyp. 1. 5. *Johannes ait, Christum* non modó nos dilexiſſe, verumetiam sanguine suo, á peccatis nostris laviſſe. Ergo Christi tantúm sanguine loti & purgati sumus. Præterea 1. Johan. 2. 2. Christus dicitur esse ἱλασμὸς, id est, *propitiatio* pro peccatis nostris. Si ergo peccatores simus, & peccata nostra agnoscamus, & confiteamur; quid supereſt niſi ut ad Christum confugiamus, ejusq; merita amplectamur? Nam ille quidem solus pro nobis Deum placavit. Itaq; Rom. 3. 25. Paulus ait, Christum á Deo propositum esse, ut esset ἱλαστήριον, hoc est, *placamentum, sive, propitiatio.* qua ratione tandem? sequitur, διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, *per fidem in sanguine ejus.* Quare Christus morte sua, & sanguinis sui effusione, Deo satisfecit, eique nos reconciliavit. Et quidem sperare, te posse Deo satisfacere pro peccatis tuis, quid aliud est, quám teipsum Deum facere? Nemo enim potest Deo satisfacere, niſi qui ipse Deus sit.

Quę-

Quænam ergo est Papistarum blasphemia, qui dicunt, nos posse Deo satisfacere, eumque placare, per satisfactiones nostras; quas illi pœnitentiæ partem esse statuunt? Sic Concilium Tridentinum sess. 14 can. 13. Sic omnes Papistæ. Hæccine fides est, hæccine Ecclesia Christi? Jam verò multæ sunt satisfactiones Papistarum, quibus putant se posse mortem æternam effugere, opera scilicet quædam spontanea, quibus corpus affligunt, & alia nonnulla, quæ nusquam á Deo præcipiuntur. Atque hæc quinque fundamenta, de quibus diximus, ad articulos de nato & mortuo Christo pertinent. Ille enim natus est, ut nos justificaret, & Legem impleret, mortuus verò est, ut peccata nostra expiaret, & pro peccatis nostris Deo satisfaceret; quemadmodum patet Rom. 4. in fine: *Morti traditus est propter delicta nostra; é mortuis verò excitatus est propter justificationem nostri.* Sed pergo ad alia fundamenta.

Sextum igitur fundamentum est, in Scripturis omnem doctrinam ad salutem necessariam contineri. Quidni enim hoc pro fundamento ponamus, cũ Moses Deut. 4. 2. prohibeat diserté, ne quid ad verbum Dei addamus, aut ei aliquid detrahamus? Et Apoc. 22. 18. 19. væ illis grave denunciatur, qui addũt aliquid, aut detrahunt. Præterea Galat. 1. 8. Apostolus anathema iis denunciat, qui aliquid in ecclesiam inducunt, & populo Dei obtrudunt, præter Evangelium illud, quod ipse tradiderat. Quem locum egregiè exponit Augustinus in lib. 3. contra literas Petiliani, cap. 6. in hunc modum: *Sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacũq; alia re, quæ pertinet ad fidem, vitamq; nostrã, non dicam, si nos, nequaquã comparandi ei, qui dixit, licét si nos, sed omnino quod secutus adjecit, si Angelus d-*

cœlo vobis annunciaverit, præterquam quod in Scripturis Legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit. Hæc Augustinus. Atque hanc quidem ob causam Patres Scripturarum perfectionem ubique ferè prædicant. Tertullianus in libro contra Hermogenem sic scribit: *Adoro Scripturæ plenitudinem.* Et pauló póst in eodem loco ait: *Scriptum esse doceat Hermogenis officina, aut timeat væ illud, adjicientibus aut detrahentibus destinatum.* Alludit vel ad locum Apostoli, qui habetur Galat. 1. 8. vel ad locum Apocalypseos, quem nuper citavimus. Hinc intelligimus, Scripturas esse perfectas & sufficientes. Atque hoc est, quod Pater quidam pius, pié certé & veré dixit: *Omnes cùm credimus, hoc credimus, nihil aliud esse, quod credamus, quám quod est in Scripturis, propter Scripturarum perfectionem.* Jam veró Papistæ hoc tam magnum fundamentum convellunt & evertunt. Nam ad Scripturas, innumerabiles penè traditiones adjungunt; quarum tamen authores designare non possunt. Quas licét incertas illas quidé, obscuras, multiplices, inter se pugnantes, & ejusmodi, ut earum nonnullæ, etiamsi Apostolicæ dictæ, á Romana tamen ecclesia non approbentur: tamen non modó recipiunt, verumetiam authoritate, dignitate, majestate ipsis Scripturis exæquant. Ajunt enim, se pari pietatis affectu eas recipere & venerari, atque ipsas Scripturas. Sic Concilium Tridentinum sess. 4. Sic omnes Papistæ. Unde sic concludo: Quæ Ecclesia non est Scripturis contenta, sed iis traditiones adjungit & exæquat, ea non est vera & Catholica ecclesia: at ecclesia Romana hoc facit: ergo Ecclesia Romana non est vera & Catholica ecclesia.

Septimum fundamentũ á Papistis eversum, illud est, Scripturarũ cognitionẽ esse populo necessariam ad salutem;

salutem; ac proinde debere Scripturas á populo legi, ut ex iis discant atque intelligant, quid ab ipsis Deus requirat, quidq; illos credere, quid facere oporteat. Quare Christus Johan. 5. 39. ait: ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, *Scrutamini Scripturas; nam vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere; & illæ sunt, quæ testantur de me.* Et idem Christus Marc. 12. 24. Sadducæos erroris redarguit, quód Scripturas ignorarent. Sic Matth. 22. 29. Si ergo Sadducæi, qui in Scripturis assidué versabantur, & tamen eas non intelligebant, errabant turpiter: quid de illis sentiemus, qui Scripturas omnino nesciunt, quiq; illas nec legunt unquam, nec legere possunt? Quare Chrysostomus in homil. 3. de Lazaro sic scribit: *Neq; nunc fieri potest, non potest* (inquam) *fieri; ut quisquam salutem assequatur, nisi perpetuó versetur in lectione spirituali* Scripturarum. Et sané non est hæc hyperbole, ut Papistæ volunt. Non enim tam facile est salutem assequi, quám illi putant. Variis enim modis Adversarius nobis insidiatur, ac proinde undiq; Scripturis muniti esse debemus. Quare cúm Scripturas populo surripiant Papistæ, & eum in cæcitate teneant: quid aliud faciunt, quám populum in certam perniciem conjiciunt, & fundamentum salutis necessarium evertunt? Sic enim se res habet, ac si quis morbo lethali laboraret, quem nulla medicina, nisi una sanare posset; qua si quis eum uti non sinat, is certé eum necat. Sic Papistæ unicam animæ medicinam populo eripiunt. Ex his sic concludo: Quæ ecclesia Scripturas removet ab oculis, á conspectu, á lectione populi, ea non est vera ecclesia: at Romana ecclesia hoc facit: ergo non est vera Ecclesia. Facere autem hoc Papistas, manifestum est. Nam *primó*, Scripturas verti prohibent. *Secundó*, versas etiam

non omnibus permittunt, sed tantúm paucis quibusdam, quibus hoc speciali quodam privilegio cõcessum est. *Tertió*, sacrificuli illorum omnia sacra officia ignotâ linguâ peragunt. *Quartó*, ne hoc ægrè ferat populus, & sibi ab illis injuriam fieri conqueratur, quód Scripturæ ipsis surripiantur: docent populum, eiíque persuadent, fidem implicitam, hoc est, excitatem, & brutam quandam ignorantiam, illis ad salutem sufficere. Cúm ergo hæc sit sententia, hæc doctrina, hæc πρᾶξις Romanæ Ecclesiæ: negari non potest, eam falsam & pseudocatholicam Ecclesiam esse. Nam si Christus Luc. 11. 52. Scribas & Legisperitos reprehendat ac damnet, iisque væ denunciet, quód τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως, hoc est, *clavem scientiæ*, sustulissent: certé Pontificem Romanum cum toto Clero Papistico, ejusdem culpæ reum, æternis suppliciis mulctandum esse curabit. Ex hoc loco discimus, scientiam Scripturarum esse ad salutem necessariam. Nam vocatur κλεὶς, hoc est, clavis regni cœlorum, sine qua nullus patet ad cœlum aditus. Qui ergo carent scientiâ, ii á regno cœlorum excludantur. Unde manifestum est, dogma Papisticum esse impium, & contra nostram salutem. Hæc duo fundamenta de Scripturis, ad articulum de Spiritu sancto pertinent. Ob eam causam in Symbolo Nicæno sic scribitur: *Credo in Spiritum sanctum, qui locutus est per Prophetas.* Et quemadmodum per Prophetas: ita etiam per Evangelistas & Apostolos similiter locutus est.

Progredior jam ad *octavum* fundamentum. Illud verò est hujusmodi: Scripturæ omnes nos docent, unum Deum nobis colendum, & adorandum esse, nullamq; partem hujus cultus ulli creaturæ esse imperti-

pertiendam. Lex secunda prohibet omnia simulacrorum genera, ubicunque tandem sedes habuerint, & cujuscunque formæ aut materiæ fuerint. Et Matth. 4. 10. Christus ait, *Dominum Deum tuum coles, & illi soli* μόνῳ λατρεύσεις, *& ei soli servies.* Ergo λατρείαν uni Deo deberi affirmat. Tota denique Scriptura idololatriam passim damnat, eamque scelus esse flagitiosissimum & Deo odiosissimum clamat. Non ergo potest esse Ecclesia, quæ idololatriam docet, & defendit? nullo modo. Nè ipsi quidem Papistæ hoc dixerint. Sed aliud est verbo damnare idololatriam, aliud non exercere. Nam olim Judæi verbis idololatriam damnabant, quam tamen opere & factis exercebant. Et sic quidem hodie Papistæ. Nos verò illis verissimè idololatriam objicimus. Nam primò Angelos colunt, deinde Sanctos: nec hos tantùm ipsos in spiritu, verumetiam illorum imagines, Sanctorum etiam reliquias, præterea statuas, lapides, & infinitas hujusmodi quisquilias. Nónne ergo idololatræ sunt? Sed hîc adhibitâ distinctione tritâ, respondent, se his omnibus δουλείαν, non λατρείαν tribuere. At *respondeo*: hoc esse commentũ; ut nos postea suo loco, Deo volente, pleniùs docebimus. Et populus quidem non potest facilè distinguere δουλείαν à λατρείᾳ. Imò affirmo, illos etiam λατρείαν sanctis tribuere. Nã illos precantur; hæc λατρεία est: & ante illorum statuas procũbunt, ac provolvuntur; hæc etiam est λατρεία. Non enim dixerint, opinor, hanc esse civilem adorationẽ, sed religiosam. Prętera intelligi se & exaudiri ab illis sperãt; & hoc quid aliud est, quã divinitatẽ illis tribuere? Sed quia tantũ huic distinctioni cõfidunt, agé, videamus nũ non creaturis etiã λατρείαν tribuant. Quod si illos facere probabimus,

tergiversari non possunt, quin se idololatras esse fateantur. Primó ergo manifestum est, eos λατρείαν tribuere pani Eucharistico; quem esse Deum, furore maximo correpti, affirmare non erubescunt. Nam hæc illorum fides est, hæc professio. Sed tamen quia ibi Deum esse putãt; forsan hac in re excusandi sunt, & tolerabilis hæc est illorum opinio. At hæc excusatio non est admittenda; quemadmodum nos postea, Deo volente, suo loco docebimus. De cruce verò quid respondebunt? num crux quoque Deus, aut Christus est? At crucem homines faciunt. Utcunque certé fingant, panem in Eucharistia transubstantiatione quadam divinâ Christum fieri; crucem tamen creaturam esse fateantur necesse est. Quæcunque enim tandem aut qualiscunque crux fuerit, factitia certé est; nec ulla hîc transubstantiatio aliquo modo esse potest. Sed quid? num tribuũt illi cruci λατρείαν? sanè quidem; idq; non illi tantúm cruci, in qua Christus pependit; sed omnibus etiam illius simulachris, formis, & figuris. Sic Thomas in parte 3. Summæ, quæst. 25. artic. 4. & Cajetanus in commentariis suis in illum locum Thomæ, & Andradius in lib. 9. Orthodox. explicat. Jam igitur ex his sic concludimus: Qui λατρείαν ulli nisi Deo tribuunt, ii sunt idololatræ: qui cruci λατρείαν tribuunt, ii alteri præterquam Deo tribuunt: ergo sunt idololatræ: & sic per consequens Papistæ idololatræ sunt, & illorum Ecclesia est idololatrica, non Catholica; ac proinde ab omnibus execranda & deserenda. Hoc fundamẽtũ refero ad primum illum Symboli articulum, *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Cúm enim nos in Deum credere profitemur, illi soli cultum omnem divinũ ac religiosum tribuendum esse agnoscimus.

Nonum

Nonum fundamentū eſt, ſanctitatem eſſe omnibus neceſſariam; qui ſervari volunt, ſine illa non poſſe quenquam in cœlum ingredi. Propter hanc cauſam inſtitutum eſt á Deo matrimonium. Hoc fundamētum Papiſtæ turpiſſimé violârunt, cúm ordinem quendam hominum ad perpetuum cælibatū aſtrinxerunt; qua de re Concilium Tridentinum verba facit ſeſſ. 24. cap. 9. Sanctitatem veró omnibus neceſſariam eſſe, docet Apoſtolus Heb. 12. 14. ubi hæc verba habentur: *Sectamini pacem cum omnibus, & ſanctitatem; ſine qua nemo videbit Deum.* Quare quando hæc Papiſtica doctrina ſit, debere aliquos perpetuó cælibes vivere, & absque matrimonio, ſive continentiæ donum habuerint, ſive non; manifeſtum eſt, eos hoc fundamentum evertere. Hoc veró fundamentum ad articulum de Eccleſia refero, quia illam ut Catholicam, ita ſanctam eſſe credimus. Ex his omnibus concludi poteſt, Eccleſiam Papiſticam non eſſe veram eccleſiam, quæ tot fundamentalia Chriſtianæ religionis principia ſuſtulerit.

De doctrina ſatis multa diximus, jam de Sacramentis videamus; quorum rectum uſum, & legitimam adminiſtrationem, eccleſiæ notam alteram ſtatuimus. Sacramenta ex verbo Dei & doctrinâ in eo comprehensâ pendent; & promiſſiones Dei, noſtræque redemtionis myſteria nobis ad vivum obſignāt. Quare non oportet alia Sacramenta in Eccleſiam invehere, quám quæ Chriſtus ipſe inſtituit; nec quæ á Chriſto inſtituta ſunt, aliter tractare, quám Chriſtus ipſe tractari voluit Et de Sacramentis quidem primó in genere, tum in ſpecie dicemus. Non hic objiciam Adverſariis Sacramentorum multitudinē, nempe quód plura habeat Sacramenta Eccle-

sia Papistica, quám Christus instituit. Neque enim hoc capitale esse existimo, de Sacramentorum numero dubitare. Absit ut illum statim á salute excidisse dicamus, qui putat esse plura Sacramenta, quám duo. Multi quidem olim servari potuerunt, qui de Sacramentorum numero errârunt, modó in errore suo pertinaces non fuerint. Sed Papistæ hanc sententiam suam mutare nolunt, ne moniti quidem; ergo illorum deterior multó & desperatior est conditio. Olim multi, qui easdem opiniones tenuerunt, quas hodie Papistæ tenent; tamen non tam impii fuerunt, quám hi, qui nunc vivunt; quia non tam pertinaces fuerunt: at hi quia nolũt erudiri, sunt αὐτολόγητοι. Sed nolo, ut dixi, hoc pro fũdamento Christianæ religionis ponere, esse tãtúm duo Sacramẽta.

Decimum ergo fundamentum est, Sacramenta extra legitimum usum nõ aliquid conferre. Legitimus autem Sacramentorum usus in adultis, in vera fide consistit. Qui enim cum fide Sacramenta recipiunt, & cum fide iis utuntur, ii legitimé utuntur; qui verò sine fide ad ea percipienda accedunt, iis abutuntur, & illis nullus fructus ex eorum perceptione redundat. Nam ne infantibus quidem Baptismus ad salutem valet per se, nec infundit iis fidem, aut gratiam aliquam; sed est iis tantúm signaculum, sive sigillum fœderis: multó minús adultis sine fide gratiam aliquam potest infundere. Adulti ergo sine fide fructum nullum salutiferum ex Sacramentis percipere, nullã gratiam sperare aut expectare possunt. Hoc testantur Scripturæ infinitis in locis. Cúm enim Sacramenta ex verbo pendeant, & verbum sine fide susceptum nihil prosit: certé nec Sacramenta sine fide quicquam valent. Ergo includere gratiam in Sacramen-

cramentis, ſic ut ſine fide ſumentibus gratiam infundant, eſt extra fundamentum ædificare, & ſalutem amittere. Nã Sacramenta ſine fide percepta, non magis proſunt, quám verbum ſine fide auditũ. Apoſtolus Heb. 4. 2. ait, verbum auditum non profuiſſe olim Iſraëlitis, quia non fuit συγκεκραμμένον τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασιν, *fide contemperatum apud illos qui audierant.* Quib. verbis apertiſſimé docet, Evangelium ſine fide nihil prodeſſe. At Sacramẽta ſunt appẽdices Evangelii: ergo nec illa ſine fide quicq̃ proſũt. Itaq; Rom. 2. 28. 29. Apoſtolus ait, externám circumciſionẽ eſſe inutilem; veram circumciſionem in corde eſſe; hanc autem in ſpiritu eſſe, non in litera. Ergo Sacramenta ſine fide, & internâ Spiritus ſancti in corde efficaciâ, nihil valent. At aliter Papiſtica Eccleſia docet; nã gratiam in Sacramentis incluſam eſſe docet, adeó ut etiam ſine fide ſuſcipientibus proſint. Qua quidem in re non modó verum fundamentum evertit, verumetiam contrariũ fundamentũ ponit; nempe Sacramenta ex ſe, ſine fide, & ſine ullo bono motu recipientiũ, gratiam conferre. Sic Concilium Trident. ſeſſ. 7. can. 6. & 8. de Sacramen. in gen. Ubi etiam mõſtrum illud operis operati nominatim ſtabilitur & defenditur. Sic igitur diſputo: Qui ex opere operato, ſine fide, gratiam, remiſſionẽ peccatorũ, regnũ cœlorum ſe aſſequi poſſe ſperãt, ii miſeré falluntur, & neceſſarium ſalutis fundamentũ evertunt: at Papiſtica Eccleſia hoc ſperat, & ſperari poſſe ſtatuit: ergo Papiſtica Eccleſia fallitur, & fundamentum evertit. Sed quæro á Papiſtis, quam gratiã conferant Sacramenta? num remiſſionem peccatorum? potéſtne ergo remiſſio peccatorũ ab adulto non credente acquiri & obtineri? Nemo ſanæ mentis dixerit: reclamat e-

nim tota Scriptura. Quid? num ipsam fidem conferunt? at parvulis fidem non infundit Baptismus; & sine fide adultis quicquam prodesse, absurdum est. Sed quæro, quam fidem intelligant? fidémne Catholicam? at hoc fieri non potest. Ea enim scientia tantúm est & doctrina, quam constat non conferri. Nã adulti nõ sunt doctiores, postquam Sacramentorum participes fuerint, multô minùs infantes. Quam ergo fidem intelligunt? formatam? an informem? Informis fides Deo grata esse non potest. Num ergo fidem formatam intelligunt? at illam fidem ne ipsi quidem dixerint infantes habere posse. Nam formata fides semper informem fidem sequitur. at quando potuit informis fides in infantibus præcedere? Deinde charitas, quam illi fidei formam faciunt, in infantibus esse non potest. Ergo nominent ullam gratiam, si possunt, quam Sacramentum aliquod per se, sine fide, aut bono motu recipientis, conferre potest. Quare persuadere populo, se posse consequi gratiam, remissionem peccatorum, regnum cœlorum, vitam æternam, sine fide, est populum in pernicioſum errorem conjicere, & religionis fundamentum capitale evertere.

Undecimum fundamentum est, Sacramenta esse symbola & signacula justitię, nõ causas salutis; ac proinde non pendere nostram salutem ex illis, adeó ut, qui his careat, omnino pereat, & salutis suæ naufragium faciat. Nam salus nostra, in Christi meritis consistit. Si credimus, perire non possumus, etsi Sacramenta non habeamus; modó id nullâ nostrâ culpâ fiat, quód non habeamus. Contemnere quidem Sacramenta, pernicioſum est; non propter Sacramentorum vim, sed propter mandati contemtum.

Hoc

Hoc poteſt ex Scripturis confirmari, ſed idem alibi eſt copioſiús tractándum. In ſuum ergo locum reſervabimus. At Eccleſia Papiſtica docet, Sacramenta ſic eſſe abſolutè ad ſalutem neceſſaria, ut pereant omnino, qui illis caruerint. Cujus quidem erroris jacta ſemina ſunt á quibusdam Patribus; qui tamen non tam perverſé hoc defenderunt, quám Papiſtæ. Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. cap. 4. Sacramentorum neceſſitatem comprobat. Nec tamen hoc omnibus Sacramentis tribuunt Papiſtæ, ſed Baptiſmo tantúm & pœnitentiæ; quanquam non ſimiliter, & ex æquo utrisq;. Non enim tam pręciſé pœnitentiæ tribuunt, quám Baptiſmo. Nam ſine Baptiſmo nullam ſpem ſalutis relinquunt nec parvulis, nec adultis, ita ut niſi aqua in promtu ſit, ſalus periclitetur: quaſi vita & ſalus noſtra æterna ab externa lotione pendeat; quam opinionem dementem eſſe conſtat. Salus enim noſtra pendet ex Dei electione, ex promiſſionibus ejus, ex Chriſti meritis; quæ omnia certiſſima ſunt; non ex lotione externa in Baptiſmo; quam conſtat non incertam modó, verumetiam variam eſſe. Quare cúm non ſit incerta noſtra ſalus; manifeſtum eſt, eos fundamentum vel maximé neceſſarium evertere, qui eam ab externo Sacramentorum uſu ſuſpendunt. Atq; hactenus de Sacramentis in genere, nunc de Euchariſtia in ſpecie dicamus; in qua multa á Papiſtis fundamenta everſa eſſe docebimus.

Duodecimum igitur fundamentum eſt, Chriſti corpus ſemel tantúm conceptum eſſe ex ſubſtantia virginis Mariæ, & ex nulla alia materia fieri poſſe, & habere Chriſtum tantúm corpus unum. Sic enim ex Scripturis edocti ſumus, & Adverſarii non audent aperté reclamare; eſtq; hic præcipuus fidei articulus.

Paulus Rom. 1. 3, ait, factum esse Christum ex semine Davidis secundúm carnem. Et Gal. 4. 4. idem Paulus sic scribit: *Postquam venit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, γενόμενον ἐκ γυναικός, factum ex muliere, factum Legi obnoxium.* Denique Rom. 9. 5. ait á Judæis descendisse, τὸ κατὰ σάρκα, *quod ad carnem attinet.* Jam veró Ecclesia Papistica nescio quale corpus, & quám multa corpora Christo tribuat. Scripturæ illi unum tantúm corpus tribuunt, idq; ex substantia virginis conceptum, quemadmodum accepimus: illi veró multa, eaque ex alia materia, nempe ex pane per transsubstantiationem confecta. Hoc dogma de transsubstantiatione in Concilio Tridentino sess. 13. can. 2. & 4. confirmatur. Nam docent ibi illius Concilii Patres, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus. Quod si verum sit; tum Christi corpus ex frumento confectum est, & ex pane triticeo: at frumentum non est semen Davidis, panis non est caro virginis. Ergo sic disputo: Si necessarium sit credere, Christum ex virgine natum esse, ejusque corpus ex carne virginis factum esse; tum aliter credere & docere, nempe corpus ejus ex pane fieri, est necessarium salutis fundamentum evertere: at primum verum: ergo & secundum. Nam si corpus ex frumento factum habeat Christus: aliud certé corpus est, quám quod ex Maria est conceptum. At hæc Papistarum sententia est, panem illum, quem ex pistoribus, aut ab alio quopiam emtum, in Ecclesiam inducũt, in verum Christi corpus mutari. At verum Christi corpus ex virgine factum est: quod veró ex pane confectũ est, non

est

eſt ex virgine factum: ergo quod ex pane confectum eſt, non eſt verum Chriſti corpus. Et hinc quoq; ſequitur, Chriſtũ plura, imó infinita corpora habere. Non enim fieri poteſt, ut idem corpus hîc ſit, quod alibi ſumitur. Nam illud corpus ſumi & conſumi poteſt, ut hoc interim ſalvũ atq; integrũ ſit. Et qui illud ſumunt, hoc non ſumunt; alioqui multa individua diverſa, eadem numero eſſent. Nobis veró nõ aliter de Chriſti corpore ſentiendum eſt, quám Scripturæ docent. Manifeſtũ igitur eſt, fundamentũ omnium maximum ab Adverſariis everti. Sed hac de re alibi copioſiús eſt dicendum, nunc ſufficiat attigiſſe.

Decimumtertium fundamentũ eſt, Chriſtum nunc, quod ad humanam naturam attinet, in cœlis tantúm reſidere, & non eſſe nunc in terris adorandum. Suſtulit enim corpus ſuum in cœlum, & ibi reliquit. Ita ſumus ex Scripturis ſacris edocti. Qui ergo Chriſtũ volunt adorare, eum in cœlis tantúm ad dexteram Patris ſedentem adorent oportet, nuſquam alibi. Jam veró Eccleſia Papiſtica docet, Chriſtum eſſe in Sacramento realiter præſentem, ibi ſub ſpeciebus panis & vini latere, ac proinde ibi etiam cultu latriæ adorandum eſſe. Atque eam quidem ob cauſam ſolent cruſtulum illud conſecratum, quod ajunt in Chriſti corpus mutatum eſſe, elevare, & in pompa circumgeſtare, ut ab omnibus non videatur modó, verumetiam adoretur; quam eſſe immanem & horrendam idololatriã, res ipſa clamat. Quid enim idololatricum eſt, ſi hoc non ſit, fragmentum panis, qui pauló priús á piſtore emtus eſt, nunc pro Deo coli, creatore cœli & terræ? Nulla demẽtia cum hac comparari poteſt. Ergo inſanam eſſe totam Eccleſiam Papiſticam conſtat. Hac de re legite Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. can. 6.

Decimumquartum fundamentum est, Eucharistiam esse in duobus symbolis celebrandam & sumendam. Sic Christus instituit, sic Apostoli tradiderunt, sic Patres constantissimé docuerunt. Et hoc quidem ad unius Sacramenti integritatem pertinet. Quin & ipsi etiam Papistæ, si velint jus suum Canonicum defendere, agnoscant necesse est, non posse sine sacrilegio divelli ista tam necessaria unius Sacramenti membra. Unde constat, Ecclesiam Papisticam esse sacrilegam totam, á tempore Concilii Constantiensis. Nam ab illo quidem tempore illorũ sacrificuli Eucharistiam populo sub una tantúm specie panis administrarũt; alteram veró speciem, nempe vinum, populo subduxerunt. Hoc est quod Concilium Tridentinũ statuit sess. 21. cap. 1. Et hæc est praxis illius Ecclesiæ constans & perpetua. Quare fateamur necesse est, Papisticam Ecclesiam sacrilegam esse, á qua Sacramenta ita mutilantur, & sacrilegium tam apertum defenditur.

Decimumquintum fundamentum est, Eucharistiam non ab uno homine, sed á multis simul sumendam esse. Ita Scripturæ docent, ita Christus, & Apostoli ejus, omnibus Ecclesiis præscripserunt, & hunc deniq; morem omnes Ecclesiæ multis post Christum seculis observarunt. Nam olim tota Ecclesia ad cœnam Dominicam participandam convenire solebat, & quotidie quidem in locis quibusdam, alibi veró singulis diebus Dominicis, alibi admodum certé frequenter. Et nunquam nisi á multis simul sumi solebat. At in Ecclesia Antichristi hic mos obtinuit, hæc praxis invaluit, ut unus sacrificulus Eucharistiam cõficeret & perciperet, utq; idem spectante tota Ecclesia, totam solus sumeret. Hoc sancitum fuit in Concilio Constantiensi sess. 13. de calice, & in Concilio Triden-

Tridentino ſeſſ. 22. cap. 6. de utroq; elemento, & panis & vini. Quare hæc duo Concilia rationem celebrandi cœnam á Chriſto inſtitutã hac ex parte mutarunt; quod cúm pernicioſum ſit, fateamur neceſſe eſt, fundamentum fidei & ſalutis noſtræ ab illis everſum eſſe. Hæc magna quidem ſunt & atrocia, quæ á nobis ſunt commemorata; at quæ ſequuntur, majora & tetriora ſunt.

Decimumſextum ergo fundamentum, unum omnium ſummum & nobiliſſimum, illud eſt, totam ſalutis & redemtionis noſtræ vim in ſolo & unico Chriſti ſacrificio conſiſtere. Sic legimus Heb. 10. 12. & 14. Sic Paulus in omnibus feré Epiſtolis. Et illud ſacrificium cruentum ſive ſanguineum eſſe teſtantur Scripturæ, in quo ſalus noſtra poſita eſt. At Papiſtæ aliud ſacrificium conſtituunt, idq; *ἀναίμακτον*, hoc eſt, *incruentum*, ſive *exangue*, pro vivis & mortuis; quod quidem, quale ab illis fingi poteſt, non intelligo. Hoc ſacrificium quotidie Deo offerri volunt, & hoc ſacrificium in Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 1. & 2. ſtabilitur. Atque ideo multos illi ſacrificulos habẽt, quorum munus eſt Chriſtum Deo Patri offerre, quaſi illud ſacrificium nondum immolatum ſit, in quo ſalus noſtra conſiſtit. Scriptura teſtatur, nullum nobis reſtare externum & actuale ſacrificium, ſed illius tantúm ſacrificii, quod ſemel in cruce oblatum eſt, memoriam & Sacramentum; illud veró ipſum ſacrificium in Eccleſia adhuc actualiter offerri poſſe, quemadmodum Papiſtæ volunt, omnem plané fidem ſuperat. Sed de hoc monſtro poſtea ſuo loco plura nobis erunt dicenda; quod quidem ejusmodi eſt, ut qui hoc ſibi aſſumunt, Chriſtum iterum Deo Patri offerre, ii ſibi Eccleſiam non relinquant.

Decimumseptimum fundamentum est, hoc Christi sacrificium, non nisi semel tantúm oblatum esse. Sic legimus Heb.10. v.10. Ἐν ᾧ θελήματι ἡγιασμένοι ἐσμὲν διὰ τῆς προσφορᾶς τοῦ σώματος τοῦ Ἰησοῦ χριστοῦ ἐφάπαξ. *Qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi semel factam.* Cujus rei ea ratio longé gravissima & luculentissima est, quód hoc sacrificium dissimile sit priscis illis, quæ sub lege erant, sacrificiis; quæ peccatum non penitus & perfectè tollebant, ac proinde crebrâ repetitione opus habuerunt. At hoc sacrificium, quia erat filii Dei, perfectum fuit; ac proinde semel oblatum, Deo Patri, pro peccatis nostris cumulatissimé satisfecit: ergo non opus est ut repetatur; & qui repeti volunt, Christo summam contumeliam faciunt, quasi non præstiterit, quod in se susceperit. At Papistica Ecclesia hoc sacrificium sæpe repetendum esse statuit. Sic Concilium Tridentinum sess.22. cap.1. Quare manifestum est, Papistas Christum ejusq; sacrificium longé augustissimum horrendâ contumeliâ afficere, dum illud quotidie repeti & iterari volunt, quasi iræ divinę nondum esset satisfactum, quasi peccata nostra nondum essent expiata, quasi humani generis redemtio nondum perfecta & expleta esset.

Decimumoctavum fundamentum illud est, hoc unicum sacrificium á nullo nisi Christo offerri potuisse, qui in ęternum Sacerdos erat. Nam veteres Sacerdotes mortales erant, hic veró æternus; ergo hic solus potuit sacrificium illud offerre, cujus æterna & perpetua futura erat efficacia. Hoc in toto septimo capite Epistolæ ad Hebræos aperté demonstratur. Et hic solus dignus erat, qui tam excellens sacrificium offerret; quia hic summus Sacerdos erat. Jam veró Ecclesia

ſia Papiſtica habet genus quoddam novum & inauditum Sacerdotum, quos omnes numero penè infinitos Chriſto collegas adjungit; qui ſanè miſeri homunculi ſibi perſuadent, ſe poſſe Chriſtum Deum & hominem Patri ſuo offerre in Euchariſtia, indigni certè qui manibus attingant vel ipſam Euchariſtiam, multò magis Chriſtum. Solus Chriſtus ſeipſum Deo Patri obtulit, illi non offerunt: nec enim opus eſt, nec Chriſtus præcepit, nec poſſunt offerre. Et hæc ſunt præcipua & longè maxima ſalutis noſtræ fundamenta. Nam illud Chriſti unicum ſacrificium, ſemel ab ipſo Chriſto in cruce oblatum, eſt noſtræ redemtionis ac ſalutis cauſa. Hæc fundamenta, tam multa, tam magna, ab Eccleſia Papiſtica labefactata & convulſa ſunt. Quare neceſſe eſt, ut concludamus, non eſſe illam veram Chriſti Eccleſiam. Si enim non ſit ea vera Eccleſia, quæ unum tantúm fundamentum tollit; hæc quæ tam multa tamq; præclara fundamenta evertit, quomodo vera Eccleſia eſſe poteſt? Si enim qui unum tantúm mortiferum vulnus accepit, is periit; tum multò magis, qui plura. De iſtis rebus alibi nobis fuſiús diſerendum erit; nunc ergo longior & accuratior eſſe nolui. Illud enim tantúm in animo nunc habui, ut quæ, & quám multa ſalutis fundamenta ab Adverſariis labefactata ſunt, oſtenderem, non ut aliquam accuratam de his rebus orationem inſtituerem. Quod á me aliqua ex parte præſtitum fuiſſe ſpero. Atq; ita de hac Quæſtione ſatis multa diximus.

Finis ſexti Quæſtionis.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quæ & quanta sit Ecclesiæ authoritas.

Caput Primum et Unicum.

In quo quæq; pars hujus Quæstionis in suum proprium locum rejicitur.

PErventum jam est ad septimam & postremam hujus controversiæ Quæstionem, quæ est de authoritate & potestate Ecclesiæ; quam quidem Quæstionem in primis necessariam esse constat. Alii enim nimium, alii minus, quám par est, Ecclesiæ tribuunt; tantum veró oportet tribuere, quantum ei convenit. Nam ut Cæsari danda sunt, quæ sunt Cæsaris: ita Ecclesiæ, quæ sunt Ecclesiæ. Et certé insigni præditam esse Ecclesiam authoritate certum est, atq; multiplici. Sed Romana Ecclesia jamdudum abusa est hac authoritate: ergo nos suam Ecclesiæ veram ac legitimam authoritatem vindicemus, falsam veró & non legitimam refellamus oportet. Et quia Controversiam tractamus; primó videamus, quam authoritatem ac potestatem Adversarii Ecclesiæ tribuant; tum quam nos, & Scripturæ. Omnem Ecclesiæ potestatem in has partes distribuunt Adversarii. *Primó* dicunt, Ecclesiæ authoritatem necessariam esse ad Canonem Scripturæ consignandum, quia sine authoritate & judi-

judicio Ecclesiæ (ut illi affirmãt) quis legitimus Scripturarum Canon sit, hoc est, qui libri sint Canonici, qui non, ignoramus. *Secundó* Ecclesiæ authoritatem requiri ajunt, in vero Scripturæ sensu assignando; nam sine illa non posse quenquam Scripturas interpretari, & multos obscuros locos intelligere, affirmant. *Tertió*, in addendo multa, quę scripta non sunt; quia Scripturæ non sufficiant; hoc est, in traditionibus non scriptis tum proponendis, tum distinguendis; ut veras nimirum traditiones á falsis discernamus. *Quartó*, in certis legibus præscribendis, pro ratione temporum, locorum, personarum, ad ordinem in Ecclesia servandũ, perpetuamq; disciplinam necessariis; quas illi leges, Canones vocare solent. *Quintó*, in verbo prædicando, & excommunicando; quæ clavium ferè potestas appellari solet; & quam esse magnam Ecclesiæ authoritatem negari non potest. Hæc illi Ecclesiæ tribuunt. Jam videamus quomodo & quatenus nos cum iis consentiamus. Et *primó*, non esse in authoritate Ecclesiæ positum, Scripturæ Canonem consignare, quemadmodum Adversarii volunt, nos antea in tertia Quæstione primæ Controversiæ de Scripturis ostendimus. Illam ergo partem ab ista disputatione removeamus oportet, nisi velimus ea iterum tractare, quæ antea á nobis tractata sunt. *Præterea*, quod ad Scripturæ interpretationem attinet; de ea in quinta Quæstione primæ Controversiæ satis multa diximus; ubi docuimus, non oportere eam illo modo, quo ipsi volunt, ad Ecclesiam referri. Quare & hoc etiam ab hac Quæstione alienum est. *Tertió*, quod attinet ad traditiones stabiliendas & judicandas; in postrema Quæstione primæ Controversiæ ostendimus, nullam esse vim harum traditio-

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quæ & quanta sit Ecclesiæ authoritas.

Caput Primum et Unicum.

In quo quæq; pars hujus Quæstionis in suum proprium locum rejicitur.

PErventum jam est ad septimam & postremam hujus controversiæ Quæstionem, quæ est de authoritate & potestate Ecclesiæ; quam quidem Quæstionem inprimis necessariam esse constat. Alii enim nimium, alii minus, quám par est, Ecclesiæ tribuunt; tantum veró oportet tribuere, quantum ei convenit. Nam ut Cæsari danda sunt, quæ sunt Cæsaris: ita Ecclesiæ, quæ sunt Ecclesiæ. Et certé insigni præditam esse Ecclesiam authoritate certum est, atq; multiplici. Sed Romana Ecclesia jamdudum abusa est hac authoritate: ergo nos suam Ecclesiæ veram ac legitimam authoritatem vindicemus, falsam veró & non legitimam refellamus oportet. Et quia Controversiam tractamus; primó videamus, quam authoritatem ac potestatem Adversarii Ecclesiæ tribuant; tum quam nos, & Scripturæ. Omnem Ecclesiæ potestatem in has partes distribuunt Adversarii. *Primó* dicunt, Ecclesiæ authoritatem necessariam esse ad Canonem Scripturæ consignandum, quia sine authoritate & judi-

judicio Ecclesiæ (ut illi affirmãt) quis legitimus Scripturarum Canon sit, hoc est, qui libri sint Canonici, qui non, ignoramus. *Secundó* Ecclesiæ authoritatem requiri ajunt, in vero Scripturæ sensu assignando; nam sine illa non posse quenquam Scripturas interpretari, & multos obscuros locos intelligere, affirmant. *Tertió*, in addendo multa, quę scripta non sunt; quia Scripturæ non sufficiant; hoc est, in traditionibus non scriptis tum proponendis, tum distinguendis; ut veras nimirum traditiones á falsis discernamus. *Quartó*, in certis legibus præscribendis, pro ratione temporum, locorum, personarum, ad ordinem in Ecclesia servandũ, perpetuamq; disciplinam necessariis; quas illi leges, Canones vocare solent. *Quintó*, in verbo prædicando, & excommunicando; quæ clavium ferè potestas appellari solet; & quam esse magnam Ecclesiæ authoritatem negari non potest. Hæc illi Ecclesiæ tribuunt. Jam videamus quomodo & quatenus nos cum iis consentiamus. Et *primó*, non esse in authoritate Ecclesiæ positum, Scripturæ Canonem consignare, quemadmodum Adversarii volunt, nos antea in tertia Quæstione primæ Controversiæ de Scripturis ostendimus. Illam ergo partem ab ista disputatione removeamus oportet, nisi velimus ea iterum tractare, quæ antea á nobis tractata sunt. *Præterea*, quod ad Scripturæ interpretationem attinet; de ea in quinta Quæstione primæ Controversiæ satis multa diximus; ubi docuimus, non oportere eam illo modo, quo ipsi volunt, ad Ecclesiam referri. Quare & hoc etiam ab hac Quæstione alienum est. *Tertió*, quod attinet ad traditiones stabiliendas & judicandas; in postrema Quæstione primæ Controversiæ ostendimus, nullam esse vim harum traditio-

num, & Ecclesiam non habere authoritatem, istas populo Dei obtrudendi. Jam verò quod attinet ad reliquas illas duas partes hujus, de qua loquimur, authoritatis, quæ positæ sunt in legibus præscribendis, & in verbo Dei prædicando, varieq; applicando, atque etiã in excommunicando, ubi res postulat: non videntur illæ hujus loci esse. Nam harum partium prior pertinet ad proximã Controversiam de Conciliis. In eum ergo locum reservabimus. Et de potestate clavium tum demum dicendum erit; cúm de fictitio illo Papistico Ordinis Sacramento disputabimus. Ergo nunc nulla reliqua pars est hujus Quæstionis, de qua hîc dicamus. Atque ita totam hanc Controversiam, de Ecclesia tota in genere, singulari Dei gratiâ ac bonitate, jam tandem ad exitum perduximus.

Finis septimæ Quæstionis.

Τῷ Θεῷ δόξα.

INDEX

INDEX LOCORUM S. SCRIPTURÆ, QUI AB AUTHORE VEL APPOSITE citantur, vel orthodoxé explicantur, vel á depravationibus vindicantur.

Geneſis.

Ca.	℣.	pag.
17	10	652
	11	652

Exodus.

4	5	545
7		550
		560
8		550
		560
12	3	9
		652
	6	9
	19	9
	47	9
14	28	584
24	14	269
32	3	269
	4	267
	10	269
	17	269
	26	268
	27	269
	29	269
40	11	268
	12	268
	13	268

Numeri.

16	31	584
20	4	164
22		573
		577
23		573
24		573

Deuteron.

4	2	735
	6	654
13.1,&c.		539
		551
		557
		561
		573
18	21	561
	22	551
		561
		568
23	1	9
	2	9
	3	9
	8	9
32	31	577

Josua.

5	2	654
22		678
23		679
24		679
	14	655

I.Samuel.

2	30	463
17	47	9
28	19	572
31	4	573

I.Regum.

8	14	9
		165
13	18	573
19	10	257
	14	270
		274
	18	257
22	6	309
	17	309
	22	531
		573

II.Regum.

9	33	585
16	10	280
		463
	11	280
		463
23		679
	29	597

II.Chron.

15	3	280
18	21	531
28	24	280
		463
	25	463

Ezra.

7	10	679

Nehemias.

8	3	679

Pſalm.

2	8	419
14	4	489
19	5	171
	8	527
		683
25	7	341
26	5	7
45	14	208
47	7	242
48	1	680
71	8	419
73	1	75
	3	605
76	1	680
80	9	3
88	29	247
	30	249
	36	247
108	7	50
110	2	248
129	1	307
147	19	655
	20	271
		655

Proverbia.

29	18	656

C.	℣.	p.
Cantica Canticorum.		
2	2	65
	12	62
	14	607
4	7	137
	12	137
6	6	64
	8	137
		495
Esaias.		
1	3	277
	5	278
	6	278
	9	278
		312
	21	279
		704
	22	279
2	2	173
		656
	3	656
19	2	508
	14	531
24	13	312
35	8	141
41	23	568
52	11	94
55	10	683
	11	683
56	10	354
59	21	657
61	89	244
64	6	489
Jeremias.		
2	26	278
	27	278
	29	278
3	15	717
5	1	279
8	8	354
12	1	604
18	18	310
23	31	567
	32	567
31	33	190
Ezechiel.		
3	7	278
7	26	299
9	4	214
		278
18	4	731
20	18	396
	19	396
34	16	75
36	25	97
44	12	463
	13	463
Daniel.		
2	35	173
	44	248
		406
	45	173
7	17	568
Oseas.		
4	6	460
Joël.		
2	28	567
	29	567
3	17	141
Michæas.		
3	6	299
4	1	173
Sophonias.		
3	12	312
Zacharias.		
14	21	141
Matthæus.		
3	12	38
		246
4	10	739
5	14	175
	21	299
	43	350
6	1	299
7	15	261
	16	658
	20	543
	24	128
	25	128
	26	232
	27	232
9	13	7
10	7	546
	8	546
	33	256
11	25	312
13	3	683
	24	377
		385
		659
	25	377
		385
	30	246
		261
	39	246
		407
	40	246
	44	313
	47	40
15	3	299
16	6	299
	18	8
		124
		159
		166
		231
		232
		235
		357
17	10	350
18	15	85
	17	8
		168
		328
		341
	20	266
		337
		659
21	25	555
	26	555
	32	556
	33	681
	43	681
22	2	42
	14	283
	29	737
23	2	454
	3	86
		335
		335
		454
	10	335
24	5	261
		370
	11	261
		282
	12	283
	24	261
		560
	49	86

C.	℣.	p.
25	1	44
	32	45
		73
	33	45
27	44	60
28	19	661
		687
	20	3
		237
		336
		660
		687

Marcus.

4	14	378
12	24	737
16	16	27

Lucas.

1	33	248
2	23	482
4	17	245
	18	245
7	30	556
	33	556
8	11	378
10	16	335
		335
		343
11	28	128
		209
	52	738
12	32	312
16	29	663
17	20	194
18	8	280
		288
	34	351
21	17	307
23	39	60

C.	℣.	p.
24	47	419

Johannes.

1	19	555
3	5	347
	16	724
	29	644
4	20	369
	23	195
5	39	737
	43	531
6	53	347
8	31	687
	44	110
9	22	36
		455
10	9	73
	16	73
		75
		495
		209
	27	664
	41	462
11	47	295
		574
	50	454
12	42	455
14	16	3
		337
	17	337
		340
	26	3
15	2	145
	20	605
	24	546
16	2	307
	13	324
	20	605
	33	605
17	11	518

C.	℣.	p.
	17	340
	20	338
20	9	351
	21	446
21	17	75

Acta Apost.

1	6	351
	8	419
	15	20
2	14	20
	17	568
	18	568
	19	568
	41	19
	42	665
5	1	181
	11	8
8	5	710
	6	401
	10	370
9	1	48
	2	169
	4	169
		170
10	14	352
	20	351
11	2	351
		513
	4	351
	18	351
	19	351
		710
	20	710
	21	710
	26	401
12	23	585
13	38	727
14	23	453
15	3	169

C.	℣.	p.
	4	169
	9	538
	10	728
16	5	668
17	34	627
18	22	169
19	27	370
	28	513
	29	513
	32	7
	40	7
20	17	448
	28	8
		168
	29	456
		466
	30	456
		466
		508
21	4	574
	11	574
	12	574
23	3	370

Ad Roman.

1	3	746
	7	6
	8	674
		700
	16	683
2	28	743
	29	179
		538
		743
3	2	271
		680
	3	684
	4	342
	25	734
4	11	22

C.	℣.	p.
	12	110
	16	110
	19	733
	20	733
	21	732
	25	735
5	10	727
	12	731
	19	726
6	23	731
7	24	731
8	3	726
		728
	4	726
	9	56
		101
		337
	38	732
9	5	746
10	4	726
	10	256
		538
	14	667
	15	667
11	4	275
12	4	121
	5	121
		495
I. ad Cor.		
1	2	7
	9	7
	10	518
2	6	486
	15	198
		674
3	4	361
4	15	669
		674
5	3	46
	4	46
	5	46
	12	19
7	14	483
8	5	370
10	5	165
	7	269
	17	97
11	18	638
	19	259
		261
		511
	27	100
	29	100
12	12	121
	13	57
		77
		101
		121
13	9	341
15	9	48
		169
	12	634
		638
	44	198
	56	731
II. ad Cor.		
5	18	527
		727
	21	727
6	15	96
	16	96
	17	95
		96
		96
10	17	578
	18	578
11	2	140
	14	538
Ad Galatas.		
1	6	352
		670
		677
	8	539
		670
		736
	13	48
		169
2	14	352
	15	729
	16	729
3	1	278
		352
		531
	27	57
4	4	746
	19	674
	26	3
		65
	28	110
6	1	278
Ad Ephesios.		
1	5	724
	22	129
		163
		324
	23	3
		8
		324
2	4	724
	5	724
	20	126
		442
		670
	21	3
		136
4	4	134
		324
	11	239
		442
	12	134
		239
	13	134
		239
	16	133
5	23	69
		136
		163
		324
	25	206
	26	69
		69
		136
		206
	27	8
		69
		69
		206
		519
	29	[illegible]
		[illegible]
		340
	30	136
	32	8
		70
		139
		214
6	12	198
		216
Ad Philip.		
2	21	60
3	6	169
Ad Coloss.		
1	6	684
		422
	18	163
2	19	134
		136

C.	℣.	p.
		136
2. Thessalon.		
2	3	261
		285
		678
	4	370
	7	228
		261
		261
	8	462
	9	531
		559
		561
	11	531
1. ad Tim.		
1	3	677
	13	48
	19	677
3	2	716
	15	3
		8
		140
		170
		231
		321
		336
		343
		671
4	1	285
		676
	3	403
	14	447
6	3	677

C.	℣.	p.
2. ad Tim.		
1	9	724
2	2	717
	19	75
		210
	20	47
3	5	370
	8	261
	9	261
		408
	12	605
	13	262
		408
		531
Ad Titum		
1	1	538
2	11	724
Ad Hebræos		
3	6	141
		236
4	2	743
	12	527
5	2	341
6	11	733
	19	733
10	10	750
	12	749
	14	749
	22	732
	25	9
11	1	605
		732
12	14	741

C.	℣.	p.
	18	197
	23	181
13	12	109
Jacobus.		
1	7	732
1. Petri		
2	5	128
		198
		199
	24	733
3	20	67
	21	67
5	2	8
2. Petri		
2	1	261
1. Johannis		
2	2	734
	18	228
		261
	19	76
		112
3	10	110
4	7	77
		78
Judas.		
	3	674
Apocalypsis.		
1	5	109
		734
2. tot.		677
	1	88
	5	681
	8	88

C.	℣.	p.
	9	370
	12	88
	14	353
		573
	15	353
	18	88
	20	353
3. tot.		677
	1	88
		370
	7	88
	9	370
	14	88
	17	370
9	1	291
11	3	464
12	1	213
	6	289
13	3	288
	7	288
	8	288
		429
	16	288
		513
	17	288
14	1	214
21	9	138
		212
	10	3
		139
		212
22	11	535
	18	735
	19	735

τῷ Θεῷ δόξα.

INDEX BREVIS RERUM.

Numerus paginam denotat.

ADamus & Eva erant Ecclesia. 266

Adversariorum cõfessio, an Ecclesia nota. 577. 578. &c. argumenta Papistarum pro hac notâ. ibid. illorũ de nostris Doctoribus confessio. 578 579. nostrorum de illis confessiones quomodo intelligenda. 581. 582

Amplitudinem non esse Ecclesia notam. 418 419. nec probari hoc ex dilatatione Ecclesiæ tempore Messiæ. 419. argumẽta Adversariorũ pro hac nota diluuntur. ibid nostra proponũtur. 428. 429. veteris Ecclesiæ amplitudinem ad nostram pertinere. 424. tam Satanæ, quám Christi Ecclesia convenire. 429. &c. non esse notam ex Patribus probatur. 430. tam nostra quám illorũ Ecclesia convenire. 430. 431. &c. de hac notâ quatuor Bellarmini observationes diluuntur. 421

Antiquitatem non esse Ecclesiæ notam. 376. argumenta Adversariorum pro hac notâ diluuntur. 377. nostra proponuntur. 395. Patres non hujus notæ patroni. 393. 398. non minús falsa quám vera Ecclesia convenire. 377. sine veritate nihil valere. 395. ex veritate dijudicandam esse, non contrá. 298. aliquando Ecclesia non conveniisse. 396. 397.

Apostolica Ecclesia qua & quotuplex. 225. non fuisse antiquissimam. 379

Apostolos non fuisse á Petro delegatos, sed á Christo. 446

De arca Noha similitudine cum Ecclesiâ. 66. 67. 68

B

BAptismum nõ facere nos propriè membra Catholicæ Ecclesiæ, sed particularis. 22

Non baptizatos omnes ab Ecclesia Catholicâ excludi, falsum. 19. horum duo genera. ibid.

C

CAlvini mors qualis. 591

Campianus fatetur, Ecclesiam non semper esse gloriosam. 258. & amplitudinem esse qualitatem, non notam Ecclesiæ. 308

Catechumenos aliquos esse de Ecclesia, & servari. 26. 27

Catholica Ecclesia nomen aliquando incognitum. 371. cur sic dicta Ecclesia. 711. non satis idonea Ecclesiæ nota. 361. argumenta adversariorum in hac causa diluuntur. ibid. nostra proponuntur. 369. non probant hanc notam Patres. 362. &c. Catholicus quis. ibid. &c. Catholicos olim se vocabant Ariani & Donatistæ. 373. nos nunquam ex animo ita vocare Papistas. 374. 708

Certos

Certos esse fideles de salute. 732
Christus eorum tantùm qui servantur caput. 69. ad ejus & Diaboli corpus iidem non pertinent. 146
Crucem non metuit Diabolus. 485. ei λατρείαν tribuunt Papistæ. 740

D

DEfectio Antichristi tempore erit Ecclesiastica, non politica. 285. idq; Rhemenses fatentur. 286. generalis erit, non particularis. ibid.
Dissensiones Papistarum. 503
Doctrina efficacia duplex. 527. apud nos qualis. 528. 529. apud Papistas qualis. ibid. apud hæreticos esse potest. 530. &c. doctrina doctore naturâ notior. 632 643. conspiratio in hac cum Ecclesia Apostolica, vera Ecclesiæ nota. 467.
Duratio non est Ecclesiæ nota. 405. &c. argumẽta Adversariorum pro hac nota diluuntur. ibid. nostra proponuntur contra. 417. tam Satanæ synagoga, & Ecclesia Antichristi convenit, quàm veræ Ecclesiæ. 406. 407. 408. 409. 410.

E

ECclesia unde dicta. 6. ejus varia acceptio. ibid. &c. Ecclesiam apud se esse hæretici gloriantur. 4. duplicem statuit Bellarminus. 34. hoc falsò nobis tribui 90. extra Ecclesiam nullam esse salutem, quomodo intelligendum. 32. 33. 185. 254. 255. de ejus comparatione cum area. 38. cum reti. 40. cum convivio nuptiali. 42. &c. cum decem virginibus. 44. cum ovili. 45. cum animali. 193. cum ædificio. 124. &c. cum capite & membris. 129. &c. cum sponsa. 137. &c. cum columna & firmamento. 140. 321. cum thesauro abscondito. 313. significare semper visibilem cõgregationem, falsum. 163. in sole positam, quomodo dixit Augustinus. 172. & quomodo civitatem in monte positam. 175. in quibus fuit tempore Christi. 183. 293. non in Pontificibus, Scribis, & Pharisæis. 294. 383. ejus splendor duplex. 225. de ejus defectione quid nos statuamus. 228 &c. quo tempore defecerit, non dissentiunt nostri. 226. &c. nõ tenemur tempus designare. 230. 386. 390. quæ super Petrũ ædificatur, numquã deficere. 232. eam esse invisibilem. ibid. &c. ei pastores nunquam defuturos, sed non in unâ semper sede. 239. ei salutare esse, aliquando latere. 241. semper salvam esse, non semper gloriosam. 243. premi posse, non opprimi. 260. fuisse in Papatu, nõ Papatum, rectè á nostris dicitur. 262. ante Christũ nullam fuisse, præter Synagogam Judaorũ. 271. ejus interdũ nulla externa amplitudo. 279. 308. id docẽt Patres. 314. aliquando est in solitudine. 289. post Christum inter Gentes propagatam, sæpe obscuratam fuisse. 301. modò á tyrannis. 302. modò ab hæreticis, inprimis ab

Arianis. 303. quod etiam Ecclesia Romana contigit. ibid. persecutioni semper obnoxia. 307. errare non posse, statuunt Adversarii. 317. &c. nos cõtra. 319. 340. qua nostra de hac re sententia. 320. non probant hoc Patres 332. quomodo duci dicitur in omnem veritatem. 327. Rhemensiũ argumenta non probant, non posse errare. 336. &c. ejus ignorantia eam errare posse evincit. 341. cũ ejus natura error cõstare potest. 344. errare potest in interpretatione scripturarum. 347. &c. & in Sanctorũ canonizatione. 349. ejus Pastores posse errare. 345. &c. etiam Episcopos Romanos. ibid. inter militantem & triumphantem quid intersit. 344. in initio non habuit successionem. 453. ad tempus potest fundamẽtale dogma ignorare. 613. 614. fundamentis salvis salva. 623. ejus authoritas quãta. 752. confidentia Papistarum in hac tota controversia. 4. hujus controversia distributio in septẽ Quaestiones 5. qui eam matrẽ non habet, nõ habet Deum patrem. 109. 110. 147. in eâ nullos esse impios ex Catechismo Tridentino probatur. 142

Ecclesia Catholica quid, secundúm Papistas. 11. secundúm nos. 16. &c. nostra definitio á Stapletoni calumniis vindicatur. 15. 16. quare hortus conclusus dicitur. 60. &c. quare & quomodo sancta dicitur in Symbolo. 106. 142. 329. non est similis aliis humanis societatibus. 182. 194. 223. &c. ejus encomia. 3. regnum Dei dicitur. 3. 194. & mons Sion. 197. spiritu & veritate Deum colit. 196. est domus spiritualis. 198. &c. creditur, non videtur. 200. 201. etiam teste Bellarmino 202. est sancta Jerusalem de calo descendens. 212. est mulier amicta Sole, de qua Apocal. 12. v. 1. 213. corpus mysticum. 214. 215. ejus membra omnia invisibilia. 215. ejus militia spiritualis. 216. est totum & continua & discreta Quãtitatis. 217. est numerus justorum ab Abel, ad ultimũ fidelem. 217. 218. non videtur, licét detur esse aggregationem particularium Ecclesiarũ 218. ex electis & reprobis simul constare, falsum. 37. 38. &c. nec id Patres affirmant. 52. ex solis praedestinatis constare probatur. 59. 124. sic Patres. 148. &c. sic Papista ipsi. 157. 158. habere magnos peccatores, nõ ajunt Patres. 91. &c. ejus copulatio cum capite spiritualis. 95. 98. 99. esse visibilem statuunt Adversarii. 160. nos contra. 162. illorum argumenta. 163. nostra. 190. 206. Patres hoc non asserunt. 187. sed contrariũ. 219. &c. Tyranni eam persequi non possunt. 170. ad eam qui pertineant, visus non dijudicat. ibid. credi á nobis negat Bellarminus. 200. 201. deficere, nos non dicimus. 221. esse perpetuó duraturam, nos non negamus. 406. an ad eam pertine-

ant

ant infideles occulti. 111. Adversariorũ argumenta hoc non evincunt. 111. 112. 121. 122. Patres hoc non probant. 116

In Ecclesiis particularibus sunt reprobi cum electis misti, non in Catholica. 39 &c. quare Ecclesia dicta, etsi in iis sint magni peccatores. 87. visibiles esse nos fatemur. 165. non sunt ex paucis æstimanda. 614. an ad aliquam particularem Ecclesiã teneamur nos adjungere. 186

Ecclesiam visibilem nunquã deficere Papista statuunt: nos negamus. 230. 231. illorũ argumenta diluuntur. 231. 253. nostra ponuntur. 264. &c. Patres non favent hac in re Papistis. 250. &c.

Ecclesia Israëlitica defectio cũ vitulum fecit. 267. 268

Ecclesia nostra an duratura sit, ignorant Papista. 416

Ecclesiam Christianã non cœpisse ante passionem Christi, falsum. 298. &c. fuisse totã in principio in Apostolis & discipulis, falsum. 180

Si Ecclesiam non audierit &c. de censuris non de doctrinâ intelligendum. 328

Ecclesia universali nulla facta promissio, qua non singulis fidelibus. 342

Ecclesia Judaorum erravit. 350. & Apostolorum. 351

Ecclesia primitiva Nota. 665

Ecclesiam á Synagogâ curiosé distinguit Augustinus. 9

cum Ecclesia piorum Christus erit ad finem mundi. 237

Ecclesiam representativã posse errare. 334 354

Elia suo tempore nulli professores noti. 257. tota tum visibilis Ecclesia defecerat. 270. &c. non inter Israëlitas modó, sed & inter Judæos. 269. 270. Ex ejus verbis, Ego solus relictus sum, quid colligi potest. 276

Episcopi ordinatio á duobus vel tribus Episcopis Ecclesiastica constitutio fuit, non sanctio Apostolica. 446. 447. & valet tantúm Ecclesiâ florente. 447. 451. 452. Episcopi nostri legitimã ordinationem habuerunt. 451

Eucharistiam in utraq; specie celebrandam esse. 748. non esse adorandam. 747. non ab uno Sacerdote sumendam. 748

Excommunicatio non excludit ex Ecclesia Catholica proprié, sed ex particulari. 31. 32. 35 86

Exitus infelix hostium Ecclesiæ an Ecclesiæ nota. 583. 584. Argumenta Adversariorum pro hac notâ diluuntur. ibid. nostra proponuntur contrá. 593. Ministrorum Papa qualis. 594

Felicitas temporalis, an Ecclesiæ nota. 596. 597. Argumenta Adversariorum pro hac nota diluuntur. ibid. Nostra proponũtur contra. 604. non semper pios comitatur. 598. 599. nec Papa addictos. 602. 603. huic notæ adversantur Scriptura. 604. 605. apud hostes Ecclesiæ reperitur. 605. 606. &c. apud impios, Ethnicos

& Paganos. 608. in noſtris Eccleſiis reperitur. 609. Auguſtini cõtra hanc notam teſtimonia. 609. 610.

Fides ſpecialis non tollit orationem Dominicam. 524. De fide communi Chriſtianorum loquitur Chriſtus Luc. 18. 8. non de rarâ fide. 280

Filios Dei quosdam eſſe veritate Eſſentiæ, quosdam veritate Finis, an ſit recipiendum. 77. 78

Fratres noſtri qui. 58

H

HÆreſes quædam diuturnæ. 261. 409. nobis á Pontificiis falsó objectæ. 473. &c. ut Joviniani. 481. Vigilantii. 482. Pelagianorum. 483. Neſtorianorum. 484. Pontificiis á nobis rectè objectæ. 486. ut Manichæorum & Pelagianorum. 488. 489. Anomorum. 491. Apoſtolicorũ. 493. Mahometis. 494

Hæreticum eſſe membrum Eccleſiæ, ait Alphonſus de Caſtro. 18

Hæreticorum unitas. 512

I

de Inceſtuoſo inter Corinthios. 46. &c.

de Juſtificatione non rectè ſentiunt Papiſtæ. 723. 724. noſtra hæc de re ſententia inepté á Bellarmino improbatur. 522

L

LAtreían á Papiſtis creaturis tribui. 739. 740

Legem non poſſe á nobis impleri. 728. 729. 730. de ejus impletione nõ rectè ſentiunt Papiſtæ. ibid.

Lutheri vita. 536. laudatur ab Eraſmo. 537. doctrina ejus á Roſſenſi laudatur. 579. vaticinium quoddam ejus. 571. confeſſio ejus de Eccleſia Papiſtica quomodo intelligẽda. 581. mors qualis. 588. 589. &c.

M

MAhumetis ſecta amplior quam Eccleſia Chriſtianorum. 427

Membra Chriſti mortua nulla. 57. 61 81. 82. 101. 139. 140. 145

Miniſtrorũ miſſio duplex. 547. noſtrorum legitima. 554

Miracula non ſunt Eccleſiæ nota. 545. Argumenta Adverſariorum pro hac nota diluuntur. ibid. noſtra proponuntur contra. 560. ex Patribus. 564. &c. hodie non deſideranda. 462. & tamen noſtra Eccleſia quadam habet. ibid.

Miracula vera quæ. 549. 550. non arguunt veros doctores. 550. 557. Johannes Baptiſta nulla edidit. 554. Papiſtarum qualia. ibid. Magorum Ægyptiorum qualia. 558. 560. 561. Ethnicorum. 562

Multitudo Michææ & Jeremiæ inimica. 309. non eſt Eccleſiæ nota. 308. 309. &c.

N

NOmina multa falsó rebus impoſita. 368

Quas notas Eccleſiæ ſtatuat Stapletonus. 358. 359. quas Bellarminus. 360. 361. quas noſtri. 610. de noſtris Notis cautiones quædam. 613. 614. de notis Eccleſiæ.

cleſia, varia Papiſtarum ſententia. 358. 359. illorum contra noſtras notas argumẽta diluuntur. 618. noſtra nota confirmantur ex Scripturis. 652. rationibus. 672. &c. ex Patribus. 688. &c. ex Papiſtis ipſis. 698. &c. quomodo á Stapletono impugnantur. 640. eſſe dotes Eccleſia fatetur Stapletonus. 645. juvare hæreticos falſum. 646

Per eas notas deſignari poteſt Eccleſia, quas hæretici vendicãt. 620. 625. 626. 636. 640

Nota vera Eccleſia inſeparabiles. 633 & in Eccleſia definitione ponuntur. 673. &c. Sic Stapletonus. 358 359

Nota falſa Eccleſia, á fide deſicere. 676

Nota primitiva Eccleſia. 665

Contra primam noſtram notam Bellarmini argumenta. 620. &c. contra ſecundam. 637

Notas ſuas tollit Bellarminus. 631

O

OEcolampadii mors qualis. 590. 591

OEcumenicus Epiſcopus nullus. 718

In ovili Chriſti nulli niſi oves. 72. 73. hæ oves ſunt prædeſtinati tantùm. 73

P

PApiſtica Eccleſia nõ antiquiſſima. 379. &c. ejus dogmata multa olim oppugnata. 391. ejus nova dogmata multa, & ritus novi. 403. 404. ejus falſa & impia dogmata multa. 525. Chriſtianæ religionis fundamẽta multa convellit. 722. 723. &c. in ea nullum legitimum miniſterium. 720. eſt idololatrica. 738. vide plura in Romana Eccleſia.

Papiſtarum vita qualis. 540. 541. 542

An Paulus ſemper fuit Eccleſiæ membrum. 48. 49

Paſtores in Eccleſia perpetui, ſed nõ ſemper in una viſibili ſucceſſione. 443. 444

Peccatores magni, an ſint in Catholica Eccleſia. 84. argumẽta adverſariorum. 85. &c. noſtra. 94

Peccata omnia ſuâ naturâ mortalia. 731

Petrus erravit in fide & moribus. 351. 352

Plebs Papiſtica non veré Chriſtiana. 721

Prædicatio verbi naturâ notior Eccleſiâ, non nobis. 627. 628. calumnia Stapletoni circa hanc notam diluuntur. 647. 648. eſſe valde illuſtrem Eccleſiæ notam, fatetur Stapletonus. 662. diſtinguit veram Eccleſiã á falſa. 689. ad eam Eccleſia alligatur. 681. ubi viget, ibi aliqui veré fideles. 682. facit Eccleſiam eſſe Catholicam. 684. per eam innoteſcit Eccleſia. 685

Propheticum lumen non eſſe Eccleſiæ notam. 568. adverſariorum argumenta diluuntur. ibid. &c. noſtra proponũtur. 571. &c. illud de quo Joël. 2. v. 28. 29. ad

Ecclesia tantúm primordia sub novo Testamento pertinere. 568. 569

R

REgnum Christi in paucis potest consistere. 248

Romana Ecclesia qua. 233. potest illa deficere. ibid. & 306. id fatentur Rhemenses. 287. nõ diu duravit in successione non interrupta. 411. 412. non sola fuit olim Ecclesia. 413. 414. non tam ampla, quám volunt Adversarii. 423. 424. qua nunc est, nõ Catholica. 700. 701. pro hac Ecclesia Stapletoni demonstrationes decẽ diluuntur. 702. in hac non sunt impleta promissiones. 703. 704. non est interrupta hujus successio. 714. nõ est veré una. 706. non veré Apostolica. 708. 709. nõ veré Catholica. 711. non antiquissima. 380. 400. non semper cum toto orbe Christiano communicavit. 713. ejus fundator tam Paulus quám Petrus ex adversariorum confessione. 709. in eâ nõ reperiuntur quatuor nota symboli Constantinopolitani. 721. 722. olim Arianismo infecta. 303

Romanus Pontifex non verus Episcopus, & quare. 715. errare potest. 346

S

SAcramentorũ usus intermitti ad tempus potest incolumi Ecclesia. 615. de illorum numero dubitare, non exitiale. 742. extra legitimum usum nihil conferunt. ibid. &c. non esse causas, sed symbola salutis. 744

Sacrificium Christi unicũ non repetendum. 750. idem omni modo perfectũ. ibid. non nisi á Christo offerri posse. 750. 751

Sanctitatem vitæ esse Ecclesiæ notam, negat Stapletonus. 646. electorum tantúm esse. 537. tam nostram quám Romanam Ecclesiam demõstrare. 539. ex illa non æstimandos esse Doctores. 542

Satisfactionẽ nullam pro peccatis á nobis præstari posse. 734. satisfactio nostra unica Christus. ibid.

Schismatici & hæretici nomina sumunt ab hominibus. 361. sic Papista. 366. 375

Scripturas non sufficere ad veritatis cognitionem, sine traditionibus, antiqua hæresis. 486. in iis omnem doctrinam ad salutem necessariam cõtineri. 735. earum cognitionem esse populo necessariam. 736. 737

Sponsa in Canticis quid. 64

*Successionem non esse Ecclesiæ notam. 432. &c. argumenta adversariorum pro hac nota diluuntur. ibid. nostra proponuntur contrá. 453. &c. ad Patrum testimonia pro successione, in genere respondetur. 432. 433. in specie. 435. &c. huic nihil tribuendum sine successione doctrinæ. 442. ne ex Patrum testimonio. 464. 465. hæretica Ecclesia hanc habere possunt. 456. &c. in Judaica fuisse Synagoga. 454. posse á doctrinæ successione separari. 455. in initio non

non habuit Ecclesia. 453. etiam in vera Ecclesia interrumpi posse. 463. &c.

Successio ordinaria & extraordinaria quomodo differũt. 461

T

TRanssubstantiationem evertere articulum Fidei. 746. 747

V

VAticinia vera apud Ethnicos, hæreticos, & Pseudoprophetas. 570. 572. 575. 576. á nostris Doctoribus quadam edita. 571

Ex verbo Dei scripto repurgata olim Ecclesia. 678

Unitas non nota Ecclesiæ. 495. Adversariorum argumenta pro hac nota diluuntur. 496. nostra proponuntur contrá. 512. unitas sacrorum scriptorum non magis pro Papistis facit quám pro nobis. 497. unitas Papistarum qualis. 498. 514. unitas nostrarum Ecclesiarum probatur. 509. 514. nostra melior quám illorum. 315. apud hæreticos & impios reperitur. 512. &c. sine fide nihil valere, ex Patribus probatur. 517

Z

Zuinglii mors qualis. 589. 590

FINIS.